BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
164
L
10
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM STUDIOSÆ JUVENTUTIS

AUCTORE

CAJETANO DE FULGURE

AVERSANÆ

CATHEDRALIS ECCLESIÆ CANONICO

OLIM

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO
S. THEOLOGIÆ PRÆCEPTORE

Editio quarta auctior, et emendatior.

TOMUS IV.

Continens Tractatum

De Sacramentis.

BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III NA

NEAPOLI 1822.

EX TYPOGRAPHIA JANUARII REALE.

Superiorum Facultate.

Quodcumque in hac Ecclesiae agricultura fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industriâ decet excolatur, et observetur, hoc idem floreat, et maturescat, hoc idem proficiat, et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa caelestis Philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut inutilentur.

Vincentius Lirinensis Commonit. 1. Cap. 30.

Πιστιν ημεις ουτε παρ' αλλων γραφομενην ημιν νεωτεραν παραδεχομεθα ουτε αυτοι τα της ημετερας διανοιας γεννηματα παραδιδοναι τολμωμεν, ινα μη ανθρωπινα λογιζωνται τα της ευσεβειας ρηματα. αλλ' απερ παρα των αγιων πατερων δεδιδαγμεθα, ταυτα τοις ερωτωσιν ημας διαγγελλομεν.

Basilius *Epist. ad Antioch. Eccles.*

MONITUM

Cum duo postrema harum Institutionum volumina septimum scilicet, et octavum nuper ediderim, in quibus eos etiam moralis disciplinae tractatus explicavi, de quibus tum in Dissertatione Prodroma, *tum in* Lib. IX. *pollicitus eram; visum est mihi tum in hoc, tum in sequenti volumine nonnulla adjicere, quae ad moralem doctrinam pertinerent; ut integrum corpus adolescentes habeant tum dogmaticae, tum moralis Theologiae. Ea tamen asteriscis quibusdam notavi, (a) ut si cui videretur, facile posset praetermittere.*

(a) Ad hunc scilicet modum (* *)

LIBER VIII.

SIVE

TRACTATUS DE SACRAMENTIS.

Praefatio.

Jam de Sacramentis, per quae gratiam sanctificantem, de qua in Libro superiore diximus, largitur Deus, est hoc libro disserendum. Cum autem ea quae de iis dicenda sunt, partim communia sint omnibus, partim unicuique peculiaria, erit disputatio haec omnis divisa in partes octo, quarum prima de Sacramentis in communi, seu *in genere* posterioribus de singulis speciatim, ea brevitate, et perspicuitate, quae instituti nostri rationi conveniat, pertractabimus.

PARS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAP. I.

De nomine, et definitione Sacramenti.

Adv. I. Etsi Sacramentum a Romanis dicebatur tum militare jusiurandum, tum pignus a litigantibus apud Pontifices depositum, ut testatur Varro *Lib. IV. de ling. lat.* in scripturis tamen μυστηριον quod Latinus interpres saepe vertit *Sacramentum* usurpatur 1.° pro re arcana, atque occulta, ut *Tob. XII: 7. Sacramentum Regis abscondere bonum est*, quo sensu etiam Patres aliquando sacratiora Religionis Chri-

stianae mysteria, ut Trinitatis, Incarnationis etc. sacramenta appellant. 2.° pro signo rei latentis, licet ea impia sit, ut *Apocalips. XVII.* 7. *Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiae.* 3.° pro signo rei sacrae, ut *Ephes. V.* 32. de Matrimonio dicitur · *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

II. At Patres, et Theologi sacramenti nomine strictius utuntur pro mystico signo rei sacrae, sed quae ad sanctificandos homines instituta sit. Licet autem Novatores haeretici etiam de nomine Sacramenti litem Ecclesiae intenderint; hodie tamen ab eo non abhorrent. et quidem, si Ecclesia nova vocabula *Trinitatis*, *consubstantialis etc.* usurpare potuit ad veterem fidem explicandam, multo magis Sacramenti nomen, quo Scriptura utitur pro signo cujuscumque rei sacrae, paulo strictius adhibere potuit ad explicanda signa rei sacrae, quae homines sanctificet. (*a*).

III. Non una est autem apud Catholicos, et haereticos. Sacramenti definitio. Illi enim, sola fide homines justificari affirmantes, quod *in lib. VII. cap.* 18. refutavimus, Sacramentum definiunt: *signum a Deo institutum ad fidem nostram corroborondam, et promissiones suas in nobis confirmandas, et obsignandas.* Ita Calvinus *libr. IV. cap.* 14 et alii passim novatores. At Catholici licet varias tradant Sacramenti definitiones, quas fuse exponit Bellarminus *Lib. I de Sacram. in gen. cap.* 11. omnes tamen eodem recidunt.

PROPOSITIO.

Sacramentum recte definitur, signum sensibile rei sacrae divinitus institutum ad hominum sanctificationem.

Explicatur, et probatur definitio. Recta enim rei definitio est, quae convenit omni; et soli definito, ut Scho-

(a) Vide *Bellarminum.*

Scholae loquuntur; atqui nostra definitio omnibus, et solis, tum veteris, tum novae legis Sacramentis convenit; nam per ea quidem verba *signum sensibile rei sacrae* explicatur *genus*, in quo Sacramenta cum reliquis sacrarum rerum signis conveniunt, qualia sunt, serpens aeneus a Moyse exaltatus, signum crucis etc. At cum additur *divinitus institutum ad hominum sanctificationem*, exponitur *differentia*, qua Sacramentum stricte dictum a quocumque alio mystico signo discernitur. Quod autem haec sit natura sacramentorum, ut homines sanctificent, suo loco probabimus.

Corollaria.

I. Ergo Sacramenta non sunt signa naturalia, qualis est *ex. gr.* fumus, qui ignem natura sua significat; sed arbitraria, seu ut loquuntur, *ad placitum*, tum quia res sensibilis natura sua sanctificare homines nequit; tum quia in definitione dicuntur signa *divinitus instituta*. Fatendum tamen, signa haec similitudinem aliquam habere ejus rei, quae homines sanctificat, ut inquit Augustinus *Epist. XCVIII. alias XXIII.* si enim eam similitudinem non haberent, *nullo pacto essent sacramenta.*

II. Cum res, quae hominem sanctificat, non aliud sit, nisi gratia; hinc sequitur, sacramenta praecipue signa esse gratiae sanctificantis. Sed quoniam gratia merito passionis Christi tribuitur, et ad vitam aeternam perducit; hinc sacramenta, ut advertit S. Thomas 3. *p. Quaest. LX. art.* 3. sunt signa *demonstrativa* gratiae, *rememorativa* passionis Christi, et *praenunciativa* gloriae. Quod in aliis quidem sacramentis obscurius, in aliis clarius elucet; *ex. gr.* in baptismo. In eo enim Sacramento commemoratur 1.° passio mors, sepultura, et resurrectio Christi, ut advertit Apostolus *Rom. VII.* 4. et *Coloss. II.* 12. 2.° interior animae regeneratio, et renovatio *ibid.* et *ad Tit. III.* 5. 3.° futura gloria; *si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus Rom. VI.* 5. Idem de Eucharistia dicas.

III. Cum Sacramenta sint signa a Deo instituta ad san-

sanctificandos homines, debent esse permanentia, h. e. tandiu vigere, quandiu durabit Ecclesia.

IV. Ad Sacramentum igitur tria necessaria sunt; 1.° Ritus sensibilis. 2.° institutio divina, ac permanens 3.° gratiae sanctificantis largitio. Sufficit tamen in ritu aliquo largitionem gratiae ostendere; inde enim certe concluditur, divinam ejus esse Institutionem.

Scholion.

Quaerunt hic operose Scholastici, utrum Sacramenti nomen tum veteris, tum novae legis Sacramentis *univoce*, an vero *analogice* conveniat; item utrum sacramenta utriusque legis sint signa *speculativa*, an *practica*. Nos ista breviter expediemus, postquam de existentia, virtute, et efficacitate Sacramentorum in quadruplici hominum statu disseruerimus.

C A P. II.

De existentia Sacramentorum in quadruplici hominum statu, scilicet innocentiae, naturae, legis Mosaicae, et Evangelicae

§. I.

De existentia Sacramentorum in statu innocentiae.

Adv. Status innocentiae ab hominis creatione usque ad ejus lapsum duravit. In eo statu Durandus *in IV. Dist.* 1. *q.* 2. docet, aliqua extitisse sacramenta, eamque sententiam amplexus est Fulgensius Bellelli *Lib. I. Mentis Augustini Cap.* 20. Suarez. non quidem extitisse ait, sed fuisse extitura si status ille durasset, alii Theologi utrumque negant.

PRO-

PROPOSITIO.

Nulla fuerunt instituta sacramenta in statu innocentiae, nec fuissent instituta, si durasset ille status.

Prob. 1a. *pars.* I. ex silentio Scripturae, et traditionis.

Probatur II. *utraque pars.* ratione D. Thomae 3. *P. Quaest. LXI art.* 2. *in corp.* Non decebat, ut in statu innocentiae sacramenta essent; ejus enim status dignitas, atque perfectio in eo erat, ut superiora inferioribus non subjicerentur, ac proinde non decebat, hominem integrum signis subjici sensibilibus, vel ad intelligendas res spiritales, vel ad gratiam accipiendam. Ergo nec fuerunt in eo statu Sacramenta, nec fuissent, si status ille perdurasset.

III. In eo statu inutilia prorsus sacramenta fuissent. Non enim alteri illa usui esse possunt, nisi vel sanctificandis hominibus, vel iis instituendis in scientia rerum spiritalium. Atqui Adamus tum gratia, tum scientia in sua creatione fuit ornatus, neque posteri ejus, si status innocentiae durasset, deterioris fuissent conditionis. Ergo sacramenta in eo statu non fuissent. Neque illud opponi potest; saltem ad augendam gratiam utilia tunc futura fuisse sacramenta. Res enim iisdem causis augetur, quibus nascitur. Ergo si a principio gratiam habuissent homines sine Sacramentis, ejusdem augmentum sine Sacramentis per bona opera mereri potuissent. Cetera argumenta libenter omittimus.

Refutantur objiecta.

Objic. I. Fuissent in statu innocentiae sacrificia, Ergo et Sacramenta. 1.° Quia sacrificium est oblatio rei sensibilis, unde par de sacrificiis, ac de Sacramentis ratio esse videtur. 2.° Quia ex Augustino *Lib. X. de Civ. cap.* 5. ipsum sacrificium Sacramentum est, ait enim: *Sacrificium visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, idest, sacrum signum est.*

R. Ne-

℟. *Nego cons.* Dispar enim ratio est sacrificii, et Sacramenti. Per sacrificium enim homo rebus sensibilibus non subjicitur, ut in Sacramentis, sed iis utitur ad religionem, servitutem, ac pietatem erga Deum significandum, quo sensu *Augustinus* sacrificium ait, sacrum quoddam esse signum, ac latiori sensu *Sacramentum*.

Objic. II. Matrimonium sine dubio fuit in statu naturae innocentis. Atqui erat Sacramentum significabat nempe Christi conjunctionem cum Ecclesia. Ergo.

℟. *Neg. min.* Adamus enim futurum suum lapsum non praevidebat (alioquin fuisset sine praecedenti culpa miser), ac proinde non praevidebat, antequam peccaret, futurum Christi adventum; si enim non peccasset, Christus non advenisset, ut in *Lib. VI.* diximus. Ergo non intelligebat, matrimonium suum esse signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, idcirco erat illud mera figura suo tempore revelanda, et mox ab ipso Christo elevanda, ad rationem Sacramenti.

Objic. III. Chrysostomus *Hom. LX. ad Pop. Antioch.* Sacramentorum institutionem ex ipsa repetit hominis natura. Ait enim; *Si incorporeus esses, nuda, et incorporea tibi dedisset ipse dona. Sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi praebet.*

℟. *Dist. ant.* Ex ipsa hominis natura per peccatum depravata, in qua ita corpori consertus est animus, ut sensibilibus rebus subjici debeat, ad intelligenda, atque accepienda invisibilia dona, *conc.* Secus, *neg.*

§. II.

De existentia Sacramentorum statu in naturae.

Adv. I. Status naturae non ideo dicitur, quasi in eo homines sola natura duce regerentur, nemo enim salvus unquam esse potuit sine fide, et gratia Dei, sed quia non tenebatur lege scripta. Duravit autem status ille ab Adae lapsu usque ad promulgationem legis Mosaicae respectu Israelitarum; ceterae enim gentes, quae Mosaicis ritibus nec initiatae erant, nec te-

tenebantur, in statu naturae fuerunt usque ad Evangelii promulgationem.

II. Certum est, ante legem Mosaicam, datam Abrahae circumcisionem, unde *Joan. VII.* 22. dicitur *non esse ex Moyse, sed ex Patribus.* Sed quoniam circumcisio aliquo pacto ad legem Mosaicam pertinet, tum quia a Moyse etiam praecepta est *Levit. XII.* 3: tum quia fuit quaedam praeparatio ad legem, et velut professio totius legis servandae, ut docet Apostolus *Galat. V.* 3: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae*; hinc quaestio est, an in lege naturae extiterint alia Sacramenta praeter circumcisionem. Negant nonnulli Theologi cum *Soto*, alii concedunt, fuisse aliquod Sacramentum ad peccatum originale delendum in parvulis, sed nullum agnoscunt institutum ad delenda peccata *actualia* in adultis, cujus sententiae auctor est *Suarez* Alii denique adfirmant, tam pro parvulis, quam pro adultis instituta in illo statu sacramenta.

PROPOSITIO.

Verisimilius est, fuisse in lege naturae aliqua Sacramenta, saltem pro parvulis.

Prob. I. Auctoritate Augustini *Lib. V. contra Julian. cap.* 11. *Non est credendum, ante datam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullo ejus Sacramento opitulatos esse parvulis suis; quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura Sacra tacere voluerit.* In eadem sunt sententia auctor *de Vocat. gent. Lib. II. Cap.* 25. aliique veteres.

Prob. II. Non est verisimile, Deum, qui voluntate antecedenti vult omnes homines salvos fieri, nullum remedium tot millibus parvulorum in statu naturae pereuntium praeparasse, quo ab originali labe mundarentur, sicut etiam sub lege Mosaica credibile non est, nullum remedium contra peccatum originale paratum esse feminis, quae utique non circumcidebantur. Atqui remedium illud debebat esse sensibile; non enim pe-

poterat, nisi per externos actus applicari infantibus, modo humanae naturae consentaneo. Ergo Sacramentum erat, hoc est signum aliquod sensibile, quo homines suam in Christum venturum fidem profitebantur: *Eadem enim fides mediatoris salvos justos faciebat antiquos pusillos cum magnis*, ut inquit Augustinus *Lib. II. De nupt. et conc. cap.* 11.

Objic. I. Gregorius *Lib. IV. Moral. cap.* 2. haec habet: *Quod apud nos valet aqua baptismatis hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro iis, qui stirpe Abrahae prodierunt, mysterium circumcisionis.* Idem videtur sensisse S. Thomas *in IV. Dist.* 1. *quaest.* 2. *art.* 6. Ergo sola fides parentum in statu naturae parvulos sanctificabat.

R. Dist. cons. Sola fides actu exteriori manifestata, atque infantibus applicata, quae dicitur *sola* ad exclusionem sacrificii, quod pro adultis necessarium affirmat *Gregorius*, *conc.* sola fides actu interno concepta *nego*. Ad *S. Thomam* quod attinet, fatemur, eum scribentem *in IV. Sentent.* in eam sententiam propendisse, quae solam fidem sine Sacramentis profuisse parvulis autumat, at in *Quaest. IV. de malo art.* 8. *ad* 12. ait: *Fides antiquorum cum aliqua protestatione fidei valebat parvulis ad salutem*: unde videtur priorem sententiam mutasse.

Scholion.

Varias levioris momenti quaestiones, quae inter Scholasticos agitantur de Sacramentis legis naturae, utrum eorum materia *αμεσως*, *immediate* a Deo definita sit, utrum gratiam produxerint *ex opere operato etc.* libenter omittimus.

§. III.

§. III.

De existentia Sacramentorum in statu legis Mosaicae

Adv. Status legis Mosaicae a promulgatione ipsius legis usque ad mortem Christi duravit. Certum autem est, in eo statu fuisse circumisionem, eamque fuisse Sacramentum, ut paulo ante diximus. Quaestio igitur est inter Theologos, utrum praeter circumcisionem in illo statu alia sacramenta fuerint. Pauci id negant Scholastici.

PROPOSITIO.

Fuerint in statu legis Mosaicae alia praeter circumcisionem Sacramenta, imo plura fuerunt, quam sint in nova lege.

Prob. I. Extitisse in eo statu plura sacramenta, ponunt ut certum Concilium Florentinum in *Decreto unionis*, et Tridentinum *Sess. VII. can* 7. *Si quis dixerit, ea ipsa sacramenta novae legis a Sacramentis veteris legis non differre etc.* Quod autem plura extiterint, quam in lege nova, auctor est Augustinus *Lib. XIX. cont. Faust. cap.* 13. *Prima sacramenta, quae observabantur, et celebrabantur ex lege, praenuntiativa erant Christi venturi, quae cum suo adventu Christus implevisset, ablata sunt .... et alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora.*

Prob. II. Legenti Mosaicos libros, praesertim *Leviticum*, patet, plura fuisse in Lege sacramenta praeter circumcisionem, scilicet esum agni Paschalis, consecrationes Sacerdotum, et Levitarum, purificationes varias, demum plura sacrificia, quae cum fuerint instituta etiam ad expiandum, et sanctificandum populum, vera sacramenta erant. Atque hac ratione definiri certo non potest, quot fuerint in Mosaica lege sacramenta, quia scilicet difficilius de singulis sacrificiis definiri potest, an sacramenti etiam rationem habuerint.

§. IV.

§. IV.

De existentia sacramentorum in nova lege.

Adv. Novae legis status a morte Christi usque ad consummationem saeculi durabit. In hoc statu esse sacramenta, nullus haereticorum negavit, nisi forte obscuri quidam veteres, quos *Arconticos* vocat *Epiphanius*. Nostra igitur quaestio cum haereticis non est, nisi de numero, et virtute Sacramentorum. Non enim agnoscunt illi passim, nisi sacramenta duo, baptismum, et Coenam (hoc nomine Eucharistiam adpellant) quibus alii aliud pro suo quisque lubito addunt. Nam Lutherus *initio Lib. de Captiv. Bab.* adjungit Poenitentiam. Calvinus *Lib. IV. Inst. cap.* 19. §. 28. ordinationem aliquo pacto videtur agnoscere.

PROPOSITIO

Agnoscenda esse in nova Lege sacramenta, eaque nec plura, nec pauciora quam septem, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium, est dogma fidei.

Ita definivit Conc. Trid. *Sess. VII. Can.* 1. *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum anathema sit* (*a*).

Prob.

(a) Habemus hac in re consentientes Graecos non solum veteres, ut ex eorum *Euchologiis* patet, quae collegit *Martene*, verum etiam recentiores, licet ab Ecclesia Latina diuturno schismate divisos. *Hieremias* enim Pseudopatriarch. *C P. Augustanam confessionem* damnavit celebri cep.

Prob. Non esse minus, quam septem Sacramenta, toto hoc Libro demonstrabimus, de singulis disputantes (*a*). Quod autem plura non sint, quam septem, ex eo probatur, quod nullum aliud possit praeterea designari, aut fingi Sacramentum, ut ex objectorum solutione fiet perspicuum.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Patres septenarii Sacramentorum numeri non meminerunt. Justinus *in Apolog. II.* et Irenaeus *Lib.* I. *Cap.* 9. *et* 13 Baptismum, et Eucharistiam tantum commemorant. *Cyrillus Hierosolymitanus in Cathechesibus*, in quibus agit de Sacramentis, tria tantum; scilicet Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam. Idem facit Ambrosius in *Lib. de Sacramentis*. Augustinus *Epist. LIV. al. CXVIII. ad Januar.* duo tantum enumerat, Baptismum, et Eucharistiam, ait enim: *Christus Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis societatem novi populi colligavit; sicuti est Baptismus, et communicatio*...

---

censura, quam latine reddidit *Stanislaus Socolovius*, et septem Ecclesiae Sacramenta apud Graecos semper tradita asseruit. Cumque anno circiter MDCXXIX. *Cyrillus Lucaris* ejusdem sedis Pseudopatriarcha ab haereticis circumventus, duo tantum esse asseruisset sacramenta in quadam fidei confessione edita Genevae anno MDCXXXIII. damnatus est in Synodo Constantinopolitana anno MDCXXXV.

(a) Ceterum ut infra dicemus *Cap*, 3. § 2. De Baptismo legimus *Act.* 2. 381. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti.* De Confirmatione *Act. VIII.* 17. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum* De Eucharistia *Ioan. VI.* 59. *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* De Poenitentia *Joan.* XX. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema Unctione *Jac. V* 15. *Oratio fidei salvabit infirmum etc.* De Ordine 1. *Tim. IV.* 14. *Noli negligere gratiam . . . quae data est tibi . . . cum impositione manuum presbyterii.* De Matrimonio quod legitur *Ephes. V.* 32. *Sacramentum hoc magnum est*: ex traditione ostendemus de vero intelligendum Sacramento.

municatio Corporis et Sanguinis Domini. Idem repetit *Lib. III. de Doct. Christ. cap.* 9. Ergo.

℟. 1.° *Transeat ant. Neg. cons. Ex disciplina enim arcani*, quae prioribus saeculis viguit, cavebant Patres, ne quod voce tradebant fidelibus, id scripto aperte consignarent, ne forte mysteria religionis nostrae panderentur profanis. Quod manifeste evincunt frequentes illae reticentiae, quae in scriptis veterum PP. occurrunt, cum agunt de Sacramentis (a).

℟. 2.° *Neg. ant.* Suo enim loco probabimus ex Scriptura, et PP. etiam vetustioribus, unumquemque ex his septem ritibus esse vere Sacramentum. Si autem aliquando nonnulli PP. pauciora commemorant, id non eo consilio faciunt, ut reliqua negent, sed quia ita instituti operis ratio postulabat. Sic *Justino* opus non erat singula commemorare Sacramenta, sed illa tantum, de quibus Christiani accusabantur à Gentilibus, quorum calumnias illa Apologia refellendas susceperat. *Irenaeus* contra Marcionitas disputans, ex occasione duorum meminit Sacramentorum, de quibus quaestio contra illos haereticos incidebat. *Cyrillus*, et *Ambrosius* (si modo is est auctor librorum *de Sacramentis*, quod eruditi negant) scribunt ad Catechumenos, ac proinde eorum tantum Sacramentorum mentionem faciunt, quibus catechumeni simul initiandi erant, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Eucharistia. *Augustinus* locis in objectione citatis duo sacramenta exempli loco commemorat, non tamen aliorum veritatem negat; ait enim: *sicut est Baptismus, et comunicatio corporis, et sanguinis Domini, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.*

Objic. II. Ablutio pedum verum videtur esse Sacramentum. Ergo vel sunt plus quam septem, vel si ablutio pedum non est Sacramentum, etiam de aliis dubitari potest.

Prob. ant 1.° Ex ipso Evangelii textu habemus in externo illo ablutionis ritu praeceptum divinum. *Exem-*

(a) Vide Emmanuel Schelstrate *Dissert. de Disciplina arcani.*

plum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis; et promissionem gratiae: *si non lavero te*; ait Christus Petro, *non habebis partem mecum*. 2.° Ambrosius *Lib. de myster. cap.* 6. *et Lib. III de Sacram. cap.* 1. et Bernardus *serm.* 1. *in Coen. Dom.* asserunt, ablutionem pedum esse Sacramentum, quo venialia peccata abluuntur. 3.° Ab antiquis temporibus in Ecclesia servatum est, ut pedes baptizandorum lavarentur, eique ceremoniae, quam non profanam, sed sacram agnoscit Augustinus *Epist. LIV. al. CXVIII. ad Janua.* et *Epist. LV.* statuta dies feria V. *in Coena Domini.* Vide Edmund. Martene *De Eccles. Rit. Lib. I. cap.* 1. *art.* 15, *n.* 8.

℟. *Neg. ant. Ad* 1*m. dist. ant.* Habemus praeceptum divinum, et gratiae promissionem in ablutione pedum *materiali*, *neg. Spiritali* pro exercitio scilicet charitatis, et humilitatis, *conc.* His accedit, quod verba illa: *si non lavero te etc.* non gratiae prommissionem continent, sed minas. Si enim Petrus in sua inobedientia durasset, gratiam amisisset. *Ad* 2*m. Ambrosius, et Bernardus* pedum lotionem Sacramentum vocant latiori sensu, *conc.* Sensu proprio, et stricto, *neg.* Docent quippe, homini justificato abluendas superesse leviores maculas, cujus rei Sacramentum, idest sacrum signum est ablutio pedum. *Ad.* 3*m.* Nec semper ea consuetudo, nec ubique in Ecclesia obtinuit, ut inquit Augustinus *cit. Epist. LV.* In concilio enim Eliberino *Can. XLVIII* vetita est: et de Ecclesia Romana testatur Ambrosius *loco cit. hanc Ecclesia Romana consuetudinem non habet, ut pedes lavet.* Ex quo evidenter evincitur, non esse Sacramentum (*a*)

Objic. III. Primus omnium videtur invexisse septenarium Sacramentorum numerum Magister sententiarum *Lib. IV. Dist.* 2. Imo post Magistrum *Durandus* matrimonium e numero Sacramentorum exclusit: *Hugo* vero

(a) Vide hoc argumentum fusius pertractatum apud Bellarminum *Lib. II cap.* 24. Tourne'y Q. *II. art.* 4 Boucat. *art. ult. sect.* 1. Vide etiam *Mabillonii* notas in *S. Bernardum.*

vero *Victorinus* plura enumerat, quam septem, ut sunt aspersio aquae benedictae, susceptio sacrorum cinerum, benedictio palmarum etc. *Part. IX. de Sacramentis*. Imo ut ostendat, haec a se inter vera Sacramenta censeri, subjungit; *Sunt alia quaedam in Ecclesia Sacra, non tamen Sacramenta.* Ergo.

℟. *Neg. ant. Magister* enim *Sententiarum* ex Patrum perpetua traditione Sacramenta enumerat septem, non id proprio cerebro fingit, licet fortasse nemo ante ipsum conceptis verbis dixerit: *septem sunt sacramenta*, sicut nemo etiam ante ipsum ait: *Sacramenta sunt duo, aut tria*. Durandus non negat, matrimonium esse vere Sacramentum; ait enim *in IV. dist.* 26. *q.* 3. *Absolute tenendum esse, quod matrimonium est Sacramentum*; quamvis ab Ecclesiae doctrina aberret, docens, illud non producere gratiam eo modo, quo alia sacramenta. *Hugo Victorinus loc. cit.* Sacramenta vocat latiori sensu etiam ea, quae a Theologis dicuntur *Sacramentalia*, hoc est, quae ex pietate suscipientium aliquo modo ad eorum sanctificationem conferunt. Vocat vero sacra, et non sacramenta, quae ad Ecclesiae ornatum conducunt, non autem directe ad hominum sanctificationem, ut ornatus templorum, bona Ecclesiae temporalia etc.

De ordine suo loco ostendemus, unum esse Sacramentum, etiam in eorum sententia, qui singulos ordines sacramenta esse contendunt.

Sed haec hactenus de Saaramentorum existentia.

CAP. III.

De differentia Sacramentorum veteris, et novae legis.

Adv. I. Constat apud omnes, Sacramenta novae legis a Sacramentis veteris legis differre, verum qua in re differant, quaestio est.

II. Novatores totam differentiam in solo externo ritu constituunt, qui in nova lege augustior est, et aptior ad excitandam fidem, cum ex eorum sententia sola fides justificet. Docuit id Lutherus *Lib. de Capt. Bab. Cap. de Baptism.* et Calvinus *Lib. IV. Inst.*

*Inst. Cap.*14.§.23. quod tamen damnavit Tridentinum *Sess. VII. can. 2. Si quis dixerit, ea ipsa novae Legis Sacramenta a Sacramentis veteris legis non differre, nisi quia ceremoniae sunt aliae, et alii ritus externi, anatema sit.*

III. Consentiunt itaque Catholici omnes, Sacramenta novae legis a Mosaicis, plus quam solo externo ritu differre, sed quid sit id, in quo differunt, disputant. Magister sententiarum *Lib. IV. dist.* 2. docet, Mosaica sacramenta (excepta tamen circumcisione) nullam tribuisse sanctitatem etiam pie, et fideliter suscipientibus, sed instituta dumtaxat ad onus, et servitutem populi durae cervicis, cum Evangelica sacramenta per seipsa suscipientes sanctificent. E contrario Hugo Victorinus *Lib. I. de Sacram. Part.* 8. *cap.* 12. et S. Bonaventura *in IV. dist.I. art.*1. *Q.* 5. docent, tam nova, quam vetera Sacramenta conferre gratiam *ex opere operato*, quod mox explicabimus; in eo tamen stare discrimen, quod nova Sacramenta primo, et per se ipsa gratiam tribuunt, vetera autem secundario, et *per accidens*, quippe cum primario instituta essent ad significationem futurorum, et ad conferendam justitiam externam, atque legalem. Communis tamen inter Theologos est sententia S. Thomae 3. *P. Q. LXII. art.* 6. illud interesse inter Mosaica, et Evangelica Sacramenta, quod illa gratiam *ex opere operantis* tribuebat, ista vero *ex opere operato*, idemque docet Catechismus Romanus *Part. II. num.*27. et Eugenius *IV. in Decreto* pro instructione Armenorum edito post Concilium Florentinum anno MCCCCXXXIX. *Vetera*, inquit. *Sacramenta non causabant gratiam, sed eam per passionem Christi dandam figurabant. Haec vero nostra et continent gratiam, et ipsam pie suscipientibus conferunt* (a).

IV. Gratiam *conferri ex opere operantis* est non tribui virtute Sacramenti, sed ex fide, et pietate susci-

 pien-

(a) Has omnes sententias putat *Berti*, conciliari secum posse, ita ut omnes idem, diversis licet verbis, affirment. Quod verum esse, nos etiam optamus.

picentis, vel ministrantis. At *ex opere operato* dari gratiam est, eam tribui virtute, et efficacia ipsius operis Sacramenti, dummodo qui suscipit, quem Scholastici *subjectum* appellant, sit rite dispositus. Eam tamen virtutem non esse Sacramentis naturalem, sed illis per merita Christi divinitus inditam, tamquam instrumentis. Ut igitur rem explicemus, primum de veterum, deinde de novorum virtute Sacramentorum disputandum est.

§. I.

De virtute, et efficacia Sacramentorum legis Mosaicae.

PROPOSITIO.

Sacramenta legis Mosaicae non tribuebant gratiam per se, et ex opere operato, sed ex opere operantis.

Prob. 1a. *pars.* I. Apostolus scribens ad Galatas, et ad Hebraeos, docet, Sacramenta, et sacrificia Mosaica fuisse infirma, egena, et vacua elementa, quae auferre peccata non possent, ideoque fuisse reprobata, tanquam inutilia, tantumque ad emundationem carnis, scilicet ad legalem, et externam munditiem valuisse. *Quomodo*, inquit *ad Galat. IV.* 9. *convertimini iterum ad infirma, et egena elementa, quibus denuo servire vultis?* et *Cap. II.* 16. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et *Heb. VII.* 18. *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus, et inutilitatem.* Et *Cap. IX. v.* 9. *Juxta quam* (legem) *munera, et hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, usque ad tempus correctionis impositis.* Quae verba aperte evincunt, Apostolum de Sacramentis loqui Mosaicis etiam ante eorum abrogationem. Quod autem illa legalem tribuerent justitiam, eodem capite declarat: *Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi?* De ipsa

cir-

circumcisione testatur Scriptura, eam non esse datam nisi in signum foederis, quo filii Abrahae a Gentibus discernerentur. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum ... ut sit in signum foederis inter me, et vos* *Genes. XVII.* 10. *et* 11. Et Apostolus *Rom. III.* 1. primam, et praecipuam circumcisionis utilitatem ait esse non gratiam, quippe ex professo probat *cap. seq.* Abraham non fuisse ex circumcisione justificatum, sed fide; verum, *quod per circumcisionem credita sunt illis eloquia Dei.* Et alibi *I. Cor. VII.* 19. *circumcisio nihil est.* Ergo etc.

Prob. II. ex PP. 1.° Basilius *Lib. de Sp. S. cap.* 14. *n.* 32. *Quid confers*, inquit, *baptismata* (*Mosaica*) *quorum sola communis est adpellatio, rerum autem tanta differentia, quanta somnii a veritate, et umbrae, et imaginum ab iis, quae revera subsistunt?* 2.° Chrysostomus *Homil. de Baptism. Christi*: *Judaica expiatio nequaquam a peccatis liberabat.* 3.° Augustinus *In Psal. LXXIII. n.* 2. *Sacramenta novae legis dant salutem; Sacramenta veteris legis promiserunt Salvatorem.* Quam sententiam ad ipsam extendunt circumcisionem. Hinc Justinus: *Abraham*, inquit *Dial. cum Tryph*, *circumcisionem accepit in signum, non ad justitiam, quemadmodum et Scriptura, et res ipsae nos fateri cogunt... Et* quod *genus muliebre circumcisionis capax non est, satis id ostendit, in signum datam circumcisionem istam, non ut justitiae opus.* Idem alii docent (a). Vide haec fusius apud Bellarminum *Lib. II. Cap.* 14. *et seq.*

Prob. 2a. pars. 1.° Sacrificia vetera, quae Scriptura saepe inutilia appellat, tamen ex fide oblata, eos, qui

 ob-

(a) Irenaeus *Lib. IV. cap.* 30. Epiphanius *Haeres. VIII.* Tertullianus *Lib. cont. Judaeos cap* 2. Cyprianus *Lib I. cont. Jud. c.* 8. Ambrosius *Epist. LXXII.* Chrysostomus *Hom. XXVII. in Genes.* Ipse Augustinus, cujus auctoritate nituntur adversarii, *Epist LXXXII. ad Hieron.* circumcisionem a reliquis Sacramentis Mosaicis non secernens ait; *Dico ergo, circumcisionem praeputii, ac cetera hujusmodi priori populo, per testamentum, quod vetus dicitur, divinitus datum ad significationem futurorum.*

obtulissent, sanctificabant. *Genes. IV.* 4. *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus*; quae verba Apostolus perpendens *Hebr. XI.* 4. ait: *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est, esse justus.* Ergo idem de Sacramentis dicendum. 2.° Sacramenta erant actus religionis, ab ipso Deo in lege praecepti. Sed religiosi actus, cum fide, et charitate exerceantur, Deo grati sunt, et gratiam merentur. Ergo.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Scriptura Sacramentis Mosaicis, et sacrificiis pro peccato tantam videtur tribuere virtutem, ut justitiam per se, sive *ex opere operato* conferant. Ita *Levit. IV. Rogabit pro eo Sacerdos, et dimittetur ei, propitius erit ei Dominus* etc. Ergo.

℟. 1.° *Dist. ant.* Aliquando, *conc.* Semper, *neg.* Collatis inter se Scripturae locis, quae vetera Sacramenta vocant inutilia; egena, vacua, cum iis, in quibus habemus, ea sanctitatem, et justitiam operari, evincimus, ea non praebuisse gratiam per se *ex opere operato*, sed *ex opere operantis.*

℟. 2.° *Dist. ant.* Videtur tribuere virtutem efficiendi *ex opere operato* justitiam legalem, atque externam, per quam ab hominibus non habeatur quis per legem immundus, et peccator, *conc.* Interiorem, qua justus sit apud Deum, *neg.*

Objic. II. Si vetera Sacramenta gratiam per se non praebuissent, sequeretur 1.° Sacramenta illa non majorem habuisse vim ad homines sanctificandos, quam ritus quoscumque a privatis pro arbitrio adhibitos ad fidem suam testandam. 2.° plus valuisse fidem in veteri, quam in nova lege, cum in illa sanctificasset homines sine Sacramentis, in hac vero nonnisi raro, at cum voto saltem Sacramenti id efficiat. Sed haec absurda sunt. Ergo.

℟. *Neg. seq. maj.* quoad utrumque caput. 1.° Longe majorem habuerunt virtutem ritus a Deo instituti, quam qui a privatis adhiberi potuissent, idque tum ex merito humilitatis, et obedientiae; tum quia an-

gu-

gnstiores erant, et ad fidem excitandam aptiores, tum denique, quia si quis, illis repudiatis, alios marte suo excogitatos usurpasset, non solum non fuisset justificatus, verum majoris criminis reus, propter legis contemptum, evasisset. 2.° Neque verum est, majorem fuisse virtutem fidei in veteri, quam in nova lege. Eadem enim semper fuit, atque erit apud Deum virtus fidei; sed in nova lege majoribus excitatur, et nutritur adjumentis; et praeterea communior est, cum e contrario in veteri lege paucissimorum hominum fuerit. Denique justificati ex fide, et charitate perfecta, non minus in nova lege tenentur suscipere Sacramenta facillima, per quae gratiae augmentum accipiunt, quam in veteri tenebantur totam legem servare, ejusque Sacramenta suscipere, quae quidem erant grave jugum, et nihil utilitatis per se ipsa adferebant.

Objic. III. Saltem negari non potest, circumcisionem institutam fuisse ad peccatum originale abluendum *ex opere operato*, ac proinde praebuisse gratiam. Nam 1.° *Genes. XVII.* 14. habemus: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Hoc est peribit, vel quia in eo observatum non est pactum circumcisionis, vel quia ipse, ut nonnulli explicant, parvulus in Adam violavit pactum, seu praeceptum Domini. 3.° Perpetua est *Augustini* doctrina, circumcisionem institutam in remedium peccati originalis, idemque valuisse, quod Baptismus. Inquit enim *Lib. IV. cont. Donat. cap.* 24. *Ipsum per seipsum Sacramentum* (circumcisionis) *multum valebat.* Quid autem valebat, explicat *Lib. II. de Nup. et conc. cap.* 11. dicens: *Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum fidei, ita ad significationem purgationis valebat et in parvulis originalis, veterisque peccati; sicut et baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est.* Idem passim alibi insinuat (*a*). Ergo saltem hac in parte nutat propositionis veritas.

℟. Neg-

(a) *Lib. IV. de Civ Dei cap.* 27. *Epist. CLXXXVII. al.* 57. ad Dardanum *Trac. XXX. in Joan. Lib. de pec. orig.*

℟. *Neg. ant.* Verba Geneseos, *peribit anima illa de populo suo*, intelligi possunt vel de morte temporali statuta in adultos, qui voluntarie circumcisionis pactum violassent, quo sensu dicitur *Exod. XXXI.* 14. *Custodite sabatum meum ...: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi*: vel de exclusione a populo Dei, cui nemo, nisi circumcisus accenseri poterat, quo sensu etiam legitur *Num. XIX.* 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiae*: vel etiam cum *Augustino* de morte aeterna, et exclusione a societate Sanctorum, non quia circumcisio per se, et ex *opere operato* peccatum originale deleret, sed quia licet primo statuta fuerit in signum populi Israelitici; erat tamen unicum remedium, quo masculis ab octavo nativitatis die auferri peccatum originale deberet ex *opere operantis*, seu ex fide saltem informi circumcidentis.

Difficilius est, quod objicitur ex *Augustino*, quem secuti sunt *Gregorius*, *Bernardus*, *Innocentius III.* Eo enim potissimum argumento post *P. Lombardum Scotus*, *Durandus*, *S. Bonaventura*, *Estius*, *Jueninus*, aliique recentiores; circumcisionem (quam a Sacramentis Mosaicis distinguunt, quippe *non est ex Moyse, sed ex patribus*) institutam docent ad originale peccatum *ex opere operato* delendum. Alii vero audacter respondent, *Augustinum* contra doctrinam Apostoli, et PP. antiquiorum errasse ex mendosa lectione *Genes. XVII.* 14. ubi S. Doctor ex versione LXX. ita legebat: *Masculus cujus praeputii caro circumcisa non fuerit octavo die, peribit* etc. quos quidem P. Berti *Lib. XXX. cap.* 3. erudite, et copiose refellit. Quapropter his omissis.

℟. *Dist. ant.* Docet *Augustinus*, circumcisionem operatam esse, quod baptismus, diverso modo, scilicet ... ex

Cap. 10. Lib. II. cont. Julian. cap. 6. et alibi. Augustinum secuti sunt Gregorius *Lib. V. Mor. cap* 3. Bernardus *Serm. II.* de circumcisione Domini. Innocentius III. *cap. majores X. de bapt.* S. Thomas *in II. Dist.* 4. *q.* 9.

ex opere operantis, *conc.* Eodem modo, *neg.* Disputans enim contra Pelagianos ostendit existentiam peccati originalis ex praescriptione remedii, scil. circumcisionis, quocumque tandem modo haec operaretur, sicut etiam probat, esse peccata ignorantiae ex eo, quod in lege pro illis abluendis sacrificia statuta sint, licet haec sacrificia peccata illa *ex opere operato* non expiaverint. Hanc autem fuisse *Augustini* mentem, evincunt non modo ejus verba ex *Epist. ad Hieronymum*, quae supra in margine laudavimus, sed etiam ipse locus in objectione recitatus ex *Lib. II. De nupt. et conc. cap.* 11. ubi non ait, valuisse circumcisionem ad *purgationem*, sicut baptismus ad *innovationem*, sed circumcisionem tantum ad *significationem purgationis* valuisse; baptismum contra ad ipsa *hominis innovationem*. Hinc acutissimus *S. Thomas* licet scribens in II. *Sent. Dist. IV.* *q.* 9. affirmaverit, circumcisionem abluisse peccatum originale *ex opere operato*; re tamen melius perspecta, 3. *P. Q. CLXX. art.* 4. hanc opinionem rejicieus: ait: *In circumcisione conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis: sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio.* Idem esto responsum ad auctoritatem *Gregorii*, *Bernardi* etc.

Inst. 1.° Augustinus loco laudato *Lib. IV. cont. Donat. cap.* 24. inquit: *ipsum per seipsum sacramentum multum valebat.*

℟ Multum valebat ad significationem purgationis, ut ipse se se explicat, *conc.* Multum valebat ad ipsam purgationem, et innovationem hominis, *neg.*

Inst. 2.° In *Lib. I. cont. Crescon. cap.* 31. docet idem *Augustinus*, circumcisionem datam infanti a Samaritano non fuisse iteratam. Atqui illa circumcisio non operabatur ex fide infantis, ut patet; nec ex fide ministrantis, utpote idololatrae. Ergo *ex opere operato*.

℟. *Dist. min.* Non operabatur gratiam, *conc.* Non operabatur signum ipsum exterius corpori impressum, *neg.* Eadem ratione *Dist. cons.* *Augustinus* igitur contra *Cresconium* evincit, nequaquam iterandum esse baptismum exemplo circumcisionis, quae baptismi figura erat. Quemadmodum enim circumcisus a Samaritano iterum circumcidi non debebat, quia manebat

bat in eo visibilis, atque indelebilis character circumcisionis; ita baptizatus ab impio, aut haeretico, baptizari iterum non debet, quia manet in anima invisibilis, et indelebilis character baptismi Utrum autem circumcisio a Samaritanis data gratiam etiam interiorem contulerit, non quaerit.

§. II.

De virtute, et efficacitate Sacramentorum novae legis, et primum de gratia.

Cum Sacramentorum novae legis virtus sit duplex, gratia, et in nonnullis etiam character, primum de gratia, deinde de charactere dicemus.

PROPOSITIO I.

Sacramenta novae legis suscipientibus gratiam prebaent ex opere operato. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* I. Ex Scriptura constat, Sacramenta novae legis remittere peccata, dare Spiritum S. salvos facere suscipientes. Atqui haec haberi non possunt sine gratia. Ergo novae legis Sacramenta gratiam conferunt *Prob. maj.* de singulis Sacramentis. De Baptismo enim dicitur *Act. II.* 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, Et *Ephes. V.* 26. *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*: Et *ad Tit. III.* 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti.* De Confirmatione legitur *Act. VIII.* 17. *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* De Eucharistia *Jo. VI.* 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam ... in me manet, et ego in illo.* De Poenitentia *Joan. XX.* 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Extrema Unctione *Jac. V.* 15. *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* De Ordine 1. *Timot. IV.* 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione* ma-

manuum presbyterii. De Matrimonio expresse quidem in Scripturis non habemus, ipsum tribuere gratiam, sed colligitur ex Apostolo *Ephes.* . ubi *vocatur magnum sacramentum*, et ostendetur ex traditione suo loco.

Prob. II. *ex PP.* Docent enim 1.° Sacramenta nostra tantum antecellere vaeteribus, *quantum rei veritas somniis, et umbris*; ista *dare salutem*, *illa promisisse Salvatorem*, ut superius ostendimus, productis *Basilii* et *Augustini* testimoniis, quae et huic loco sufficiunt. 2.° Sacramentorum virtutem *inenarrabiliter plurimum valere*, ut ait Augustinus *Lib. XIX. contra Faustum cap.* 11. 3.° Sacrilegos esse, qui ad illa vel ministranda, vel suscipienda sine necessariis dispositionibus accedunt. 4.° Denique continere gratiam, quam significant. Unde Leo M. *Serm. IV. De Nat. Dom. Omni*, inquit, *homini renascenti aqua Baptismatis instar est uteri virginalis*, *eodem Spiritu replente fontem*, *qui replevit et Virginem*, *ut peccatum*, *quod ibi vacuavit sacra conceptio*, *hic mystica tollat ablutio*. Et *Serm. V. de Nat. Originem*, *quam sumsit in utero Virginis*, *posuit in fonte Baptismatis*; *dedit aquae*, *quod dedit matri.* Loca alia Patrum fuse apud *Bellarminum Lib. II. Buocat*, *Witasse*, aliosque legi possunt.

Prob. 2a. *pars. I.* Scripturae in locis supra laudatis non dantis, aut accipientis merito, sed ipsis Sacramentis virtutem tribuunt gratiam producendi: *Salvos nos fecit per lavacrum. Nisi quis renatus fuerit ex aqua*: *Data est tibi* (gratia) *per prophetiam cum impositione manuum* etc. Ergo.

Prob. II. Patres id ipsum constanter docent(a) quorum longam seriem apud Bellarminum *Lib. II. cap.* 6. et 7. Coccium *in Thesauro Tom. II. Lib. V. art.* 4. et alios passim invenies. Asserunt enim 1.° Baptismum

(ea-

(a) Justinus *Apolog. I* Clemens Alex *Lib I. Paedag. Cap.* 6. Cyrillus *Hieros. Praefat. in Catech.* Basilius *Lib. de Sp. S cap.* 15. Cyrillus Alex. *Lib. II. in Joan.* Theodoretus *in Cap* 10 *ad Heb* Cyprianus *Epist. II. ad Donat.* Hieronymus *Epist LXXXIII. ad Ocean.* Leo M. *Serm. IV. de Nat. Dom.* Bernardus *Serm. de Coena Dom. etc.*

(eadem ratio est de omnibus sacramentis) a Spiritu S. sanctificandi virtutem habere. Hinc Tertullian. *Lib. de Bapt. cap.4 Aquae*, inquit, *sanctificatae vim sanctificandi combibunt.* Et Gregorius Nysseuus *Orat. in Baptismum Christi* sic habet: *Baptisma peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis, et regenerationis causa.* 2.° Stupendum esse miraculum, quo pacto res sensibiles animam sanctificant; unde Ambrosius *Lib. II. De poenit. Cap. 2. Impossibile*, inquit, *videbatur, ut peccata ablueret aqua ... Sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse, qui tantam nobis donavit gratiam.* 3.° Comparant Sacramenta causis naturalibus, quae virtute sua effectum producunt; unde inquit Chrysostomus *Hom. XXV. in Joan. Quod est mater embryoni, hoc est fideli aqua, siquidem in aqua fingitur, et reformatur.* 4.° Dissertis verbis docent, non merito ministrantium, aut accipientium, sed propria virtute constare sacramenta. Ita Augustinus *Lib. IV. cont. Crescon. cap. 10. Non eorum*, inquit, *meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat Baptismus, sed propria sanctitate, atque veritate, propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.* Non poterat Catholica veritas explicari luculentius. Ergo Sacramenta gratiam tribuunt *ex opere operato.*

Prob. III. ratione theologica. Infantes, fatentibus ipsis Protestantibus, ab impiis, aut haereticis ministris *valide* baptizantur: atqui Baptismus eorum infantium non ex virtute ministri valet, qui ponitur impius, nec infantis, qui nullius actus est capax. Valet igitur *ex opere operato.* Hoc argumentum Protestantes adeo torquet, ut *Lutherus* ad desperatae causae patrocinium finxerit, infantes dum baptizantur fidem concipere, quo nihil est absurdius. Merito ergo Tridentinum definivit *Sess. VII. can. 6. Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus objicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae, vel justitiae* (quod est dogma Novatorum) *et notae quaedam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus* (ut sentiunt Sociniani) ana-

anatema sit. Et can. 6. *Si quis dixerit, per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis sufficere, anathema sit.*

Corollaria.

I. Cum solus Deus gratiam largiatur, et quidem ex meritis Christi; hinc sequitur, Sacramenta non alio sensu producere gratiam *ex opere operato*, nisi ut instrumenta, sive *caussas instrumentales*, quibus utitur Deus, ut ex merito Christi nobis gratiam praebeat. Unde Augustinus *Tract. CXX. in Joan.* et alii passim Patres docent, ex latere Christi in Cruce aperto manasse Sacramenta.

II. Cum causae *instrumentales*, etiam naturales, certas in *subjecto* dispositiones postulent, ut effectum producant, sicut *ex. gr.* ignis ligni siccitatem postulat, ut illud comburat, sequitur, impudenter heterodoxos Catholicam Ecclesiam calumniari, quasi docuerit, sacramenta eo sensu producere gratiam *ex opere operato*, quod nullam requirant bonam suscipientium dispositionem.

Refutantur Objecta.

Objic. I. Scriptura fidei justificationem, et justitiae augmentum tribuit; scribit enim Apostolus *Rom. III.* 28. *Arbitramur, justificari hominem per fidem*: et *Rom. I.* 17. *Justitia Dei in eo revelatur ex fide in fidem.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Scriptura tribuit justificationem fidei, ut causae efficienti, *neg.* ut dispositioni ad suscipienda sacramenta requisitae, *subdis.* In infantibus, *neg.* In adultis, et iterum *subdist.* fidei per charitatem operanti, *conc.* fidei soli, *neg.* Igitur sicut *Augustinus* praedestinationem non ex merito hominum, sed ex divina voluntate pendere, evidenter ostendit exemplo parvulorum; ita nos Sacramenta non ex fide suscipientium, sed propria virtute operari, exemplo parvulorum concludimus, quibus sine ulla ipsorum fide gratia Baptismi

mi tribuitur. In adultis quidem requiritur fides, ut dispositio, nemo enim sine fide Deo placere potest; sed justificatio ipsi Sacramento in scripturis tribuitur. Fides autem haec, ut sit sufficiens dispositio, per charitatem operari debet, ut in *Lib. VII. Cap.* 18. fusius diximus, ubi etiam objecta Apostoli loca explicavimus. Charitas porro etiam propositum suscipiendi sacramentum complectitur, ac proinde si perfecta est, ex voto, seu voluntate Sacramenti suscipiendi justificatur homo, etiam antequam Sacramentum suscipiat; gratiam tamen *Sacramentalem*, quae proprius cujusque Sacramenti effectus est, non accipit, nisi in ipso sacramenti usu.

Inst. 1.° Quod gratiam praebet *ex opere operato*, dispositiones a *subjecto* excludit; unde Theologi tantummodo requirunt, ut homo non opponat gratiae objicem; ut ex concessis, saltem in adultis requiritur fidei dispositio. Ergo. Ita Buddeus *Inst. IV. cap.* 4. §. 16.

℟. *Neg. ant.* Mera enim calumnia haereticorum est, Ecclesiam Catholicam hoc sensu definivisse in Conc. Tridentino, Sacramenta dare gratiam *ex opere operato*, quasi nullas in homine dispositiones requirant. Unde ipsum Tridentinum *Sess. VI. cap.* 6. dispositiones enumerat ad justificationem, etiam in Sacramento consequendam. Tunc autem Theologi docent, hominem non opponere gratiae objicem, cum rite est dispositus.

Inst. 2.° Si ita est, Novatores a Catholicis non dissentiunt; tantumque inter eos de nomine controversia est. Ait enim Kemnitius *Exam. Conc. Trid. Part. II. Cap. de opere operato. Si hoc vellent* (catholici), *sacramentorum veritatem non esse ex ministri operantis dignitate, et merito aestimandam, sed ex Dei auctoris institutione, et operatione; falsumque esse per sacramenta gratiam sine praevia suscipientis fide conferri, quia sententia vera est, nulla esset controversia.* Imo Fratres de Walemburg *Tom. II. Controv. Partic. cap.* 21. docent, Protestantes idem docere, ac catholici; licet de modo loquendi litigent. Ergo.

℟. 1.° Multa sunt, in quibus haeretici Catholicam Ecclesiam accusant ob id solum, quod ejus doctrinam non intellexerunt. Si ergo etiam in hoc dogmate sic ex-

explicato catholicis consentiunt, desinant de verbo contendere.

℟. 2.° *Neg. seq. ant.* Latum enim est discrimen inter sententiam Catholicorum, et haereticorum. Isti enim docent 1.° sacramenta justificare *mediate*, h. e. non quia requirunt fidei dispositionem, sed quia excitant fidem, quae sola justificat. 2.° Asserunt, fidem, quam catholici requirunt, non esse eam, qua veritates omnes a Deo revelatas credimus, sed qua unusquisque firmissime credit, sibi remissa esse peccata, quod utrumque falsum est. Hinc Franciscus Buddeus Lutheranus *Inst. Theol. dogm. Lib. IV. cap.* 4. §. 16: exposita catholica explicatione verborum *operis operati*, docet, etiam sic explicatam hanc doctrinam a Protestantibus rejici. Ideoque *Wallemburgensium* judicium non satis videtur libratum, et grave, nisi forte de nonnullis Protestantium loquantur doctoribus, apud quos tot fere sententiae sunt, quot capita.

Inst. 3.° Qui sacramentum habet sine fide, non justificatur; qui vero fidem habet vivam, sine sacramento justificatur. Ergo non Sacramentum, sed fides viva justificat.

℟. *Dist. ant.* In infantibus, *neg.* Illi enim sine fide per solum justificantur Sacramentum, quod ad argumentum refutandum sufficit. In adultis, *conc.* Fides enim viva comprehendit sacramenti votum; qui vero fidem habens, Sacramentum non vult accipere, non utique justificatur.

Inst. 4.° Quando causa agit *ex opere operato*, non potest ejus effectus ex voto, seu desiderio ipsius caussae produci, ut patet in igne, sine quo non potest esse combustio, quantumcumque sit ejus desiderium. Sed ex concessis fides viva justificat. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* In caussis naturalibus, ut in igne, *conc.* In caussis moralibus, et *supernaturalibus*, *neg.* Porro Deus est, qui gratiam infundit per Sacramentum, ejusque votum.

Objic. II. Inquit Apostolus *I. Cor. X.* 3. *Patres nostri ...., omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem*

tem erat Christus. Paria igitur fuerunt vetera, ac nova Sacramenta, signis tantum diversa; ideoque si vetera Sacramenta gratiam non conferebant *ex opere operato* ut paulo ante diximus, nec nova conferunt. Hinc Augustinus *Tract. XXVI. in Joan. Aliud*, inquit, *illi*, *aliud nos*, *sed specie visibili quidem*, *tamen hoc idem significante virtute spirituali.*

℟. *Neg. cons.* Non enim ait Apostolus Israelitas eandem escam manducasse, aut eundem potum bibisse nobiscum, sed inter se. Neque esca illa, aut potus fuere Sacramenta, cum non fuerint perpetui ritus, sed spiritalis figura rerum futurarum. Augustinus verò ait, vetera Sacramenta eandem habuisse vivificandi virtutem, idemque significasse quod nostra, sed non idem effecisse.

*Objic.*III. Apostolus Petrus *Epist.I. Cap. III.* 21. *Salvos*, inquit, *nos facit Baptisma*, *non carnis depositio sordium*, *sed conscientiae bonae interrogatio*; seu (ut Lutherus vertit verbum επερωτημα) *stipulatio in Deum.* Ergo non ab externo Baptismi ritu, sed ab interiori bonae conscientiae fide oritur justificatio.

℟. *Neg. cons.* 1.° quia ex laudato Petri loco, qui aliquanto est obscurior, et varie a PP. et Theologis exponitur, non possunt adversarii firmum deducere argumentum contra apertissima Scripturae, et PP. testimonia. 2.° Quia pronum est ita objectum Petri locum intelligere: Salvat nos Baptismus (ecce ipsi Sacramento nostram tribuit salutem); non quia carnales sordes abluit, ut erant baptismata Judaeorum, sed quia conscientiam mundat, ita ut interrogata, seu examinata coram Deo, bona inveniatur. Vide Estium *in Comment.*

*Objic.*IV. Augustinus *Tract.LXXX. in Joan. n.* 3. scribens in ea Christi verba *Joan. XV.* 3. *Jam vos mundi estis propter verbum*, *quod locutus sum vobis*, inquit: *quare non ait: mundi estis propter verbum*, *quod loti estis*, *sed ait*, *propter verbum*, *quod locutus sum vobis?* Et paucis interjectis concludit: *Unde ista tanta virtus aquae*, *ut corpus tangat*, *et cor abluat nisi faciente verbo*, *non quia dicitur*, *sed quia creditur?* Ergo ex *Augustino* non Baptismus, sed verbi divini praedicatio, et fides justificat.

℟. *Neg. cons.* Ipse scilicet S. Doctor laudato in loco seipsum interpetratur. Ait enim, nihil valere baptismum, seu ablutionem corporis sine verbo, quo consecratur; *mundans eam lavacro aquae in verbo vitae.* Hinc concludit: *detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Hoc et nos fatemur. Addit vero, hoc verbum efficere, ut aqua corpus tangens, cor abluat, non quia dicitur, sed quia creditur, hoc est, non quia est sonus transiens, et perfringens aures, sed quia est verbum fidei, quod ab Ecclesia praedicatur, et creditur. *Nam in ipso verbo,* inquit, *aliud est sonus transiens, aliud virtus manens ... Hoc autem verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem.* Nihil clarius.

Objic. V. Patres passim sacramenta vocant *signa, sigilla, symbola, antitypa.* Ergo non sunt caussae *instrumentales* gratiae.

℟. *Dist. ant.* Sunt signa *practica*, seu quae continent quod significant, *conc.* sunt signa mere *speculativa*, *neg.*

Objic. VI. Verba ista *opus operatum* barbara sunt, et contra Grammaticae regulas ab Scholasticis usurpata. Ergo male iis Ecclesia utitur ad exponendum fidei dogma.

℟ 1.° Ex *Augustino*, dum de veritate constat, nequaquam timere debemus Grammaticorum ferulas. 2.° Si Latini Scriptores verba *deponentia* aliquando *passivo* sensu usurpant, quidni Ecclesia eadem significatione adhibere potuit verbum *operor*? 3.° Ecclesia ad dogma clarius exponendum novis vocabulis uti potest.

PRO-

PROPOSITIO II.

Verisimilius est, Sacramenta novae legis esse causas gratiae instrumentales non physicas, ut putant Thomistae, sed morales.

Prob. I. Causa physica ea est, quae ipsa per se effectum, quem producit, et *subjectum*, in quo illum producit, *immediate* attingit: causa vero *moralis* est, quae caussam physicam ad effectum producendum movet. Atqui sacramenta non ipsa per se *immediate* attingunt effectum, idest gratiam, neque *subjectum*, scilicet hominis animum. Non enim sensibilia elementa attingere animum valent, nec effectum supernaturalem, scilicet gratiam, sed movent Deum, qui solus gratiam largiri potest, ad illam certissime ex sua permissione largiendam. Non ergo sunt caussae physicae, sed morales ipsius gratiae.

II. Ut causa *physice* effectum edat, debet eo tempore existere, quo producitur effectus. Atqui sacramenta non existunt eo tempore, quo gratia tribuitur; gratia enim in ultimo illo momento datur, quo actio sacramentalis absoluta est, quo momento non amplius existit sacramentum, cum transierit sacramentalis actio. Ergo non producunt gratiam *physice*.

III. Qui *ficte*, idest sine necessariis dispositionibus baptizatur, nullam tunc accipit gratiam: sed *recedente fictione*, etiam post longissimum temporis intervallum, virtute Baptismi tanto ante suscepti justificatur, ut ostendemus suo loco. Atqui tunc Baptismus nullo pacto existit *physice*. Ergo non justificat ut caussa physica.

Objectiones Thomistarum, quas fuse congerunt *Druen*, *Sylvius*, *Gonetus*, omittimus, ne intemperanter in re non magni momenti, et otio abutamur, et litteris. Vide Juenin *Comment. Hist. Dissert.* 1. *Q. VII. art.* 2.

PRO-

PROPOSITIO III.

Gratia, quam Sacramenta praebent, non est actualis, sed habitualis.

Prob. Gratia enim *actualis* motus est transiens, sive *actualis* illustratio mentis, et pia affectio voluntatis. Atqui experientia constat, per sacramenta nullum hujusmodi motum animi excitari non solum in parvulis, sed nec in adultis. Ergo sacramenta hujusmodi *actualem* gratiam non producunt, ac proinde *habitualem*.

PROPOSITIO IV.

Ex Sacramentis nonnulla primam gratiam, alia secundam gratiam producunt.

Prob. Ex sacramentis duo instituta sunt in remissionem peccatorum, scilicet Baptismus, et Poenitentia; Baptismus quidem ex illo *Actor. II.* 38. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatornm*; Poenitentia vero ex illo *Joannis XX.* 22. *Quorum remiseritis pecccata, remittuntur eis.* Reliqua vero ad justitiae incrementum. Atqui remissio peccatorum vocatur *prima gratia*, justitiae vero augmentum est *secunda gratia*. Ergo.

Corollaria

Hinc Baptismus, et Poenitentia dicuntur *sacramenta mortuorum*, quia ministrantur homini *spitualiter* mortuo. Reliqua sacramenta dicuntur *vivorum*, quia animam viventem spiritu Christi supponunt, ac postulant.

Scholion.

Sacramenta mortuorum *per accidens* aliquando *secundam gratiam* praebent, cum contritione perfecta, et voto sacramenti justificatur homo, antequam Sacramentum ipsum

ipsum suscipiat, ut suo loco ostendemus. E contrario sacramenta vivorum aliquando *per accidens* primam gratiam tribuunt, puta cum aliquis bona fide, seu sine culpa ignorans, se in statu peccati mortalis esse, a cujus affectu liber est, ad sacramentum accedit. Ita docet S. Thomas *P.* 3. *Q. LXXIX. art.* 3. *Qui est in peccato mortali, cujus conscientiam, et affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus, devote, et reverenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quae contritionem perficiet, et remissionem peccati.* Haec autem sententia dogma fidei non est, eamque impugnat *Vasquez.* Ceterum inter Theologos, qui sacramenta vivorum *per accidens* primam gratiam producere affirmant, non constat utrum effectum illum producant *ex opere operato*, ut tenent *S. Antoninus*, *Durandus*, *Paludanus*, *Sylvius*, an *ex opere operantis*, ut affirmant *S. Bonaventura*, aliique probabilius.

PROPOSITIO V.

Quodlibet novae legis Sacramentum, praeter gratiam sanctificantem omnibus communem, peculiarem etiam gratiam producit, quae dicitur gratia sacramentalis.

Probatur; quia alias inutiliter plura sacramenta instituta essent, si unumquodque eorum non fuisset ad peculiarem finem institutum, ac proinde gratiam huic fini congruentem non praeberet. *Divisiones gratiarum*, inquit Bernardus *Serm. de Coena Dom. diversis sunt traditae sacramentis.* Ergo etc.

Corollaria.

I. Ergo gratia *Sacramentalis* est, quae ad obtinendum sacramenti finem tribuitur. Cum autem sacramenta gratiam *actualem* non producant, sequitur, *sacramentalem* gratiam esse jus quoddam in gratia habituali, et Dei fidelitate fundatum, accipiendi scilicet opportuno tempore auxilia *actualia*, quibus homo con-

consequi eum possit finem, ad quem institutum Sacramentum est.

II. Ergo amissa per peccatum gratia sanctificante, in qua gratia *sacramentalis* fundamentum habet, ipsa gratia *sacramentalis* amittitur; tantumque abest, ut peccator jus aliquod retineat ad Dei auxilia, quin potius gravissima cum poena maneat ob id ipsum, quia sanguinem testamenti pollutum duxit, in quo sanctificatus est *Heb. X.* 29.

III. Sequitur etiam ex hac propositione, non omnia sacramenta esse dignitate paria; idque definitum est a Concilio Tridentino *Sess. VII. can.* 8. *Si quis dixerit, haec septem sacramenta ita inter se esse paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Nimirum cum varia sacramenta varios effectus habeant, pro varia effectuum dignitate, varia dignitas sacramentorum erit, quae dignitas in Eucharistia maxima est, non solum propter effectum, verum etiam quia ipsum omnis gratiae fontem Christum Dominum continet.

Sed jam alter etiam Sacramentorum novae legis explicandus est effectus, qui est Caracter.

§. III.

De Charactere.

Adv. I. Character est signum quoddam spirituale, indelebile, animae impressum, quo homo non solum ab aliis distinguitur, verum etiam ad nonnulla, quae ad divinum cultum pertinent, idoneus redditur.

II. Quid autem de eo Catholica Ecclesia doceat contra Protestantes, qui characterem tamquam *Innocentii III.* figmentum praefracte negant, exponit Tridentinum *Sess. VII. can.* 9. *Si quis dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possint, anathema sit.*

III. At quaenam sit Characteris natura, non constat inter catholicos, ut accidere solet in rebus ab huma-

mano sensu remotis, de quibus nulla est divina revelatio. Itaque Durandus *In IV. Dist.* 4. *q.* 1. quem sequitur *Van-Espen*, putat, characterem esse *extrinsecam denominationem*, sive *relationem rationis*, qua homo denominatur *ex gr.* baptizatus, atque ex divina institutione ad nonnulla exequenda, quae cultus divini sunt, destinatur, non secus ac civis magistraturae characterem habere dicitur, quo ex humana institutione ad politica munia destinatur. Hanc sententiam non multum abesse ab haereticorum doctrina, censet *Bellarminus*. Eam tamen *Vasquez* ab hac censura vindicat. *Scotus In IV. Dist.* 5. characterem putat esse *relationem realem*, quia natura sua signum illud habet, ut referatur ad quaedam munia religionis obeunda. Alii volunt, esse qualitatem quandam, sed cum qualitas ab Scholasticis distinguatur quadruplex; inter eos non convenit, ad quam speciem qualitatis character referatur. Nonnulli enim illum revocant ad *figuram*, alii ad *patibilem qualitatem*, alii ad *habitum*, alii ad *potentiam*. Hanc postremam sententiam S. Thomas amplectitur 3. *P. Q. LXIII. art.* 2. eamque sequitur Cathechismus Romanus. Item quaerunt Scolastici, utrum qualitas haec ab anima distincta sit, an non, quodnam sit ejus *subjectum*, intellectus ne, an voluntas? Has controversias Concilium Tridentinum non attingit, ut contra *Kemnitium* Pallavicinus ostendit *Hist. Conc. Trid. Lib. IX. Cap.* 5. Nos primo catholicam stabiliemus doctrinam, mox Scholasticam quaestionem sobrie enodare conabimur.

PROPOSITIO I.

Per aliqua novae legis sacramenta imprimitur Character: ea autem tria sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* I. ex Apostolo *II. Cor. II.* 22. *Unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et *Ephes. I.* 13. *In quo et credentes signati estis spiritu promissionis sancto.* Hanc rationem, quam Bellarminus *Lib. II. de Sacram.* in

in gen. Cap. 2.° vehementer urget, nonnulli, etiam ex Catholicis, cum *Tournely*, *Habert* etc. rejiciunt, eo quod *Chrysostomus* Apostoli verba de gratia sanctificante explicaverit. At quamvis *mystice* de gratia possint intelligi, non tamen dubium videtur, quin de ipso charactere secundum litterae sensum intelligi debeant. Quo enim alio aptiori vocabulo Apostolus characterem explicare potuisset, nisi verbo σφραγίζειν quo usus est?

Prob. II. *utraque pars.* Traditione. Unus pro omnibus sufficeret testis *Augustinus*, qui contra Donatistas Ecclesiae partes agebat, quae semper ejus doctrinam venerata est, ut incorruptam. Sic autem loquitur *Lib. II. cont. Purmen. Cap.* 13. *Nulla ostenditur caussa, cur ille, qui Baptismum amittere non potest, jus dandi possit amittere: utrumque enim Sacramentum est, et quamdam consecrationem utrumque homini dat, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoque in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare.* Similia de Confirmatione scribit *Lib. V. de Baptismo Cap.* 20. ut probet, illam ab haereticis datam iterari non posse, quippe *Sacramentum chrismatis*, inquit *Lib. II. cont. liter. Petilian. Cap.* 104. *in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et Baptismus.* Habes igitur ex *Augustino* 1.° Baptismum, Confirmationem, et Ordinem quandam in homine efficere *consecrationem*: 2.° eam esse indelebilem; 3.° non posse iterari. Hanc autem consecrationem diserte vocat characterem (ut videas nomen non esse recens ab Scolasticis inventum): ait enim *Epist. XCVIII. al. XXIII. ad Bonif. Episc.* ***Si Christiani Baptismi sacramentum, quando unum, atque idipsum est, etiam apud haereticos valet, et sufficit ad consecrationem, quamvis ad vitae aeternae participationem non sufficiat; quae consecratio reum quidem facit haereticum, extra Domini gregem habentem Dominicum characterem, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum consecrandum*** etc. Idem nomen usurpat Epistola *CV. al. L. et Lib. VI. de Bapti. Cap. I.* Loca Basilii *Hom. XIII. in sanct. Bapt.* Cyrilli Hierosolymitani *Catech. IV. et praefat. in Catech.* Chrysostomi *Hom. II. in Epist. ad Eph.* Epiphanii *Haeres. VII.* vide apud

Bel-

Bellarminum, *Tournely*, *Drouen*, *Juenin*, etc. apud quos rem uberius pertractatam invenies.

Prob. III. ex praescriptione. Concilio enim Florentino absoluto, universa Ecclesia tam Graeca, quam Latina per tria sacramenta spirituale quoddam, atque indelebile signum animae imprimi credebat, cujus ratione ea iterari non possent. Hinc *Eugenius* IV. in *Decreto* proponit hoc dogma, tamquam in Ecclesia Catholica exploratum. *Inter Sacramenta*, inquit, *tria sunt, Baptismus, Confirmatio, et Ordo, quae characterem, id est spirituale quoddam signum a ceteris distintivum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem persona non reiterantur.* Dicant igitur Protestantes, quis primus hujus dogmatis extiterit auctor, et quomodo universam Ecclesiam, nemine contradicente, pervaserit. Falsum enim est, primum id docuisse *Innocentium* III. Is enim existentiam characteris Baptismi habens ut certam, quaerit tantum *in Cap. Majores. De Baptismo*, utrum baptismus dormientibus, vel amentibus characterem imprimat. Cum igitur designari possit nemo, qui primus hanc doctrinam invexerit (quamvis vocabulum esset recentius) eam ab Apostolis traditam rectissime creditur.

Diluuntur Objectiones.

Objic. I. Non potest admitti a Theologis, quod nec solide ex Scriptura ostenditur, nec quid sit, inter ipsos Theologos constat. Atqui etc. Ergo etc.

℟. *Neg. maj. quoad utramque partem.* Primam quidem, quia non omnia in Scripturis habentur, quae revelavit Deus, sed quaedam tradita accepimus, ut in *Lib. II.* ostendimus. Alteram vero, quia multa sunt in natura, et multo etiam plura supra naturam, quae vel ratione, vel revelatione certo scimus existere, licet eorum naturam ignoremus.

Inst. 1.° Ipsi Theologi fatentur, ne in traditione quidem characterem habere fundamentum. Ita Albertus Magnus *In IV. Dist.* 6. *art.* 4. et Gabriel Biel *Ibid. q.* 2. docent, in scriptis S. Patrum nihil esse, quod nos cogat ad Characterem admittendum, Scotus etiam

In

In IV. Dist. 6. *q.* 9. ait, nec Scripturam, nec Sanctos *explicite* admisisse characterem; illum tamen agnoscendum ex sola *Inocentii* III. auctoritate, quibus verbis Paulus Sarpius *Hist. Conc. Trid. Lib. II.* affirmat, *Scotum* negare voluisse characterem cum *quadam urbanitate.* Denique Cajetanus *In.* 3. *P. Q. LXIV. art.* 1. ait, *ex sola auctoritate Ecclesiae non multum antique* agnoscendum esse characterem; merito autem hanc doctrinam ait, non esse multum antiquam, quia ante *Petrum Pictaviensem*, Lombardi discipulum nullus fecerat characteris mentionem. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Docent laudati Theologi, characterem non habere fundamentum in traditione Patrum, si intelligatur in sensu Scolasticorum, *conc.* Si intelligatur eo sensu, quo definivit Tridentinum, *neg.* Ita conceptis verbis ait *Scotus*, quem non intellexit, aut noluit intelligere *Sarpius.* Quaerit enim loco citato, *an character sit forma realis inpressa in anima*; respondet autem: *Nec Scriptura Sancta istud exprimit, nec sancti explicite.* Iisdem fere verbis loquuntur *Albertus M. et Biel. Cajetanus* vero, qui aliquando durius locutus est, aut eadem ratione est intelligendus, aut deserendus; cum post ipsum Ecclesia rem aperte definiverit, nec aliter definire potuerit, nisi aut ex Scriptura, aut ex traditione clarissima. Itaque existere characterem, eumque esse indelebilem, definivit Ecclesia ex traditione, ex qua ipsum characteris nomen accepit, ut ex *Augustino* perspicuum est; utrum autem sit qualitas, an relatio, id nec Scriptura docet, nec Patres explicant. Falsum est tamen, *Petrum Lombardum* non fecisse characteris mentionem; ait enim *Lib. IV. Dist.* 1. loquens de Baptismo, Confirmatione; et Ordine: *iterari autem illa non possunt, quia S. Augustinus ait, ea per consecrationem dari; quod autem semel est consecratum, suam consecrationem numquam amittit.*

Inst. 2.° Patres nomine characteris vel gratiam sanctificantem, vel etiam Sacramentum ipsum intelligunt, quo sensu *Augustinus* ait, Characterem Baptismi esse visibilem, imo si Baptismus conferretur in nomine *Donati*, impressurum characterem *Donati*, item fi-

fidem Trinitatis esse characterem (*Serm. coram Emerito Donatista*). At haec intelligi non possunt de signo spiritali. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Patres enim docent, characterem manere, et deleri non posse, cum tamen sacramentum sit actus transiens, gratia vero, et fides Trinitatis per peccatum, atque haeresim amitti possint. Cum igitur *Augustinus* docet, characterem esse visibilem, intelligendus est per *metonymiam*, quia visibilis est causa characteris, puta baptismum cum fide, seu invocatione Ss. Trinitatis administratus. Quod autem ait, Baptismum in nomine *Donati* ministratum imprimere *Donati* characterem, non absolute, sed *hypothetice* affirmat; ait enim, Baptismum datum in Christi nomine non esse repetendum, quia characterem imprimit Imperatoris; at si daretur in nomine *Donati*, repetendus esset, quia etsi imprimeret characterem *Donati*, character ille desertoris esset.

Objic. II. Cyprianus, aliique Africae, atque Asiae Episcopi III. Saeculo docuerunt, baptizatos ab haereticis esse iterum baptizandos. Idem docet *Joannes Morinus* de confirmatis, et ordinatis ab haereticis. Ergo ut certum habuerunt, per haec tria Sacramenta nullum imprimi characterem.

℟. *Dist. ant.* Id docuerunt, quia putabant, haec Sacramenta *invalide* dari ab haereticis, *conc.* Quia putabant, ea etiam *valide* ministrata non imprimere characterem; *neg.*

Objic. III. Theologi probare solent, characterem in tribus his sacramentis imprimi ex eo, quod iterari non possunt, et rursus probant, ea iterari non posse, eo quod characterem imprimunt. Ergo *vitiosum* admittunt in argumentando *circulum*.

℟. *Dist. ant.* Probant adversus quoslibet, *neg.* Adversus eos, qui alterutrum agnoscunt, argumentando *ex concessis*, *conc.* Itaque adversus eos, qui existentiam characteris agnoscunt in tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, atque Ordine, concludimus ex charactere, quem imprimunt, ea iterari non posse. Adversus eos, qui concedunt, ea iterari non posse, ex eo quod non iterantur, imprimere characterem ostendimus. Tandem adversus eos, qui utrumque negant, probamus utrumque seorsim ex traditione, nullo vitioso circulo.

PRO-

PROPOSITIO II.

Verisimilius est, characterem non esse relationem rationis, aut relationem realem, sed qualitatem quandam, ab animae tamen substantia non distinctam.

Prob. 1a. *pars.* Character ab *Eugenio IV.* et Conc. Tridentino dicitur *imprimi, haerere, esse signum spirituale, et indelebile.* Atqui ea dici non possunt de relatione rationis, et de mera *extrinseca denominatione.* Ergo etc. Non tamen ob id asserimus, *Durandi* sententiam ab Ecclesia damnatam.

Prob. 2a. *pars.* Relatio realis non imprimitur, *sed resultat ex fundamento, et termino*, ut Scolae loquuntur; Character autem *imprimitur*, ergo non est *relatio realis.* Praeterea omnis *relatio realis* fundamentum habet in re. Ergo potius fundamentum hujus relationis erit character, non ipsa relatio.

Prob. 2a. *pars*, quae ex duabus praecedentibus consequitur; si enim character non est aliquid *relativum*, erit profecto aliquid *absolutum*, quod cum non sit substantia, erit utique qualitas. Hanc autem qualitatem ab anima distinctam contra sanioris Philosophiae principia admittere non cogimur. Vide Dominicum Soto *In IV. Dist.* 1. *q.* 4. *art.* 2. Berti, et alios recentiores. Non enim in his immorari multum juvat.

Objic. Si Concilium Tridentinum non definivisset, characterem esse rem aliquam absolutam ab anima distinctam, inutilis fuisset ejus definitio, nemo enim ex Protestantibus negaverit, per Baptismum fieri quandam hominis consecrationem, et baptizatum habere ex baptismo aliquam *extrinsecam denominationem*, et *relationem rationis* ad quaedam, quae cultus divini sunt, quae est sententia *Durandi*. At hoc absurdum est. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Protestantes enim negant, hanc consecrationem fieri per Confirmationem, et Ordinem; item docent, characterem esse humanum figmentum ab *Innocentio. III.* excogitatum; quod utrumque dam-

na-

navit Concilium. Utinam ergo amplecterentur illi *Durandi* sententiam! jam nulla esset hac in re controversia, nisi levissimi momenti; quae facili negotio transigi posset.

Scholion.

I. Characterem esse indelebilem, Concilium Tridentinum ex traditione PP. definivit; sed utrum etiam in altera vita permaneat, definiendum non putavit, nec oportebat. Verisimilius tamen est, manere, ut beatis honori cedat, damnatis opprobrio, ut recte *S. Thomas* advertit 3. P. *Q. LXIII. art.* 5.

II. Cum Character signum spiritale sit, quo fidelis distinguitur, et ad quaedam divini cultus munia idoneus redditur, patet hinc, characterem esse quandam Sacerdotii Christi participationem, ac proinde in Christo non fuisse characterem ullum; non ad distinctionem, quia Deus erat, *Splendor gloriae, et figura substantiae Patris Heb. I.* nec ad Sacerdotii participationem, quia in ipso aeterni Sacerdotii plenitudo est, ex quo alii participant, ut idem S. Thomas observat, *ibid. art.* 3.

III. Vetera sacramenta characterem nullum impressisse, verisimilius est, cum nec divina auctoritate, nec ratione satis valida id ostendi possit.

Corollaria.

I. Ex his, quae toto hoc capite dicta sunt, sequitur, in eo constare discrimen inter vetera, novaque sacramenta, quod illa sanctitatem tantum legalem operabantur, significabant vero Christum, et per *accidens*, vel *ex opere operantis* gratiam tribuebant; haec vero significant, et producunt gratiam per se, et *ex opere operato.*

II. Cum ergo vetera Sacramenta Christum significarent; sequitur, ea in morte Christi, in qua omnia consummata sunt, ablata esse, et ideo ablata, quia impleta, ut loquitur *Augustinus.* Gravis tamen extitit controversia inter *Augustinum*, et *Hieronymum*, utrum

utrum sacramenta illa sicut in morte Christi mortua sunt, ita etiam mortifera, seu illicita evaserint, an vero iis uti licuerit usque ad excidium Hierosolymorum, quo tempore satis promulgatum erat Evangelium, dummodo in iis spes salutis non poneretur, sed servarentur tantum, ut *synagoga honorificentius tumularetur*. Priorem sententiam amplexus est *Hieronymus*, posteriorem longe probabilius defendit *Augustinus* exemplo Apostolorum, qui iis ritibus post Christi mortem aliquando usi sunt *Actor. XVI. et XXVIII.* Vide mutuas hac de re *Augustini*, et *Hieronymi* Epistolas. Ergo ante mortem Christi sacramenta Mosaica fuerunt viventia, post mortem Christi mortua: post sufficientem Evangelii promulgationem omnibus mortifera, exceptis iis, ad quos Evangelii praedicatio aliquandiu pervenire non potuit, ut advertit Bernardus *Epist. LXXVII. ad Hugon.* Verum hac de re iterum *Lib. IX.* disputandum est.

III. Hinc facile solvi possunt quaestiones, quas in *Scholio Cap. I.* innuimus. Sacramentum enim, ut diximus *Cap. I.* est signum sensibile rei sacrae ad hominis sanctificationem divinitus institutum. Si ergo per sanctificationem intelligatur cujuscumque sanctitatis, sive legalis, et externae, sive internae operatio, patet, sacramenti nomen generatim usurpatum, esse *signum practicum*; quia tam vetera, quam nova sacramenta ad aliquam sanctitatem operandam instituta sunt, illa ad sanctitatem externam, ista ad internam; sed ex hoc sequitur etiam, utriusque status sacramenta non *univoce*, sed *analogice* tantum convenire, quia ad diversam sanctitatem producendam sunt instituta. Si vero per sanctificationem intelligatur solius interioris sanctitatis operatio, utraque sacramenta *univoce* conveniunt, quia hanc interiorem sactitatem illa significabant, haec operantur; sed hinc sequitur, sacramentum generatim esse *signum speculativum*, ut advertit *Juenin*, ejus vero *species* esse sacramenta vetera, quae signa tantum erant *speculativa*, et nova, quae *speculativa* sunt, et *practica*.

IV. Hinc optima definitio sacramenti novae legis haec est: *Signum sensibile practicum rei sacrae, divinitus in-*

institutum ad interiorem hominum sanctificationem. Sed cum hoc sensibile signum id sit, quod theologi materiam, ac formam vocant, jam de hac est a nobis disputandum.

CAP. IV.

De materia, et forma sacramentorum novae legis.

I. QUod Augustinus *Tract. LXXX. in Joan. Adv. I.* vocat *elementum*, et *verbum* dicens: *accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*; id Theologi post *Guillelmum Antissiodorensem* appellant *materiam*, et *formam* exemplo Peripateticorum. Est igitur materia sacramentorum res illa, vel actus sensibilis, qui suapte natura est indifferens ad hoc, vel illud, vel sacrum, vel profanum significandum; *forma* vero sunt verba, quae rem illam ad sacramentum coarctant, quae quidem loquendi ratio, etsi a Peripateticis inventa, tamen quia ad Sacramentorum doctrinam explicandam apta erat, Ecclesiae usu consecrata est, modo tamen absit abusus (a).

II. Dividitur autem materia 1.° in *remotam*, et *proximam* illa est res sensibilis quae in sacramento adhibetur, ut aqua, oleum; haec vero est applicatio materiae remotae, ut ablutio, unctio. 2.° Dividitur materia, et forma in certam et dubiam; prior est, quam certo constat, in sacramento adhibendam, utpote ab auctore sacramentorum certe institutam; posterior contra ea est, de qua dubitatio incidit vel *juris*, vel *facti*, utrum sit illa, quam sacramentorum auctor certo adhibendam praecepit. Habet etiam forma divisionem suam in absolutam, et conditionalem. Prior est, quae profertur nulla conditione adjecta, ut *ego te baptizo*: posterior est, cui conditio adjicitur, ut *si non es baptizatus, ego te baptizo.*

III.

(a) Apud Morinum *Lib. VIII. de Poenit. Cap.* 17. et 18. de harum vocum origine, atque usu nonnulla invenies non vulgaria, ac notatu digna.

III. Multa sunt, quae de materia et forma generatim Scholastici disputant. Nos unum hic quaerimus; utrum in singulis novae legis sacramentis materia, et forma sint; *Durandus* enim id negavit de Poenitentia, et Matrimonio.

PROPOSITIO.

In singulis novae legis sacramentis sunt materia, et forma.

Prob. 1.° Ex auctoritate *Eugenii IV.* in *Decreto*, ubi ait: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* 2.° Cum de singulis dicemus Sacramentis, uniuscujusque materiam, et formam explicabimus. 3.° Sacramentum est signum sensibile *speculativum*, et *practicum* gratiae divinitus institutum ut supra ostendimus. Atqui signum quodlibet sensibile non est suapte natura fixum ad gratiam producendam; ergo alia re indiget, ut ad id definiatur, et coarctetur, ac proinde in quocumque Sacramento novae legis est res aliqua indifferens, quae est materia, et alia, quae rem illam ad significandam gratiae productionem coarctet, quae forma est.

Objectiones *Durandi* alioquin levioris momenti praetermittimus, cum praesertim quae de Poenitentia, et Matrimonio objicit, rectius explicentur cum de horum Sacramentorum materia, et forma pertractatur.

Corollaria.

I. Ergo materia, et forma sunt partes sacramentorum novae legis *substantiales*, atque intimae.

II. Ergo verba, quae adhibentur, ut forma Sacramentorum, non sunt *concionalia*, hoc est ad solam fidem excitandam comparata (ut Contendunt Novatores) sed *consecratoria*. Sacramenta enim, ut supra ostendimus, gratiam producunt *ex opere operato*. Atqui Sacramenta ex materia et forma, seu rebus, et verbis tam-

tamquam *substantialibus* partibus constat. Ergo verba sacramentorum non ad solam fidem excitandam comparata sunt, sed ad gratiam in sacramento tribuendam, ac proinde non *concionalia*, sed *consecratoria* sunt. Hinc Augustinus *Lib. III. de Bapt. cont. Donatistas cap.* 10. *Baptismus*, inquit, *Christi, verbis Evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est.*

CAP. V.

De auctore sacramentorum novae legis, eorumque materiae, et formae.

Adv. I. *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* inquit Ambrosius *Lib. IV. de Sacr. Cap.* 4. cum quo PP. omnes, nemine prorsus excepto, consentiunt. Hoc et Protestantes fatentur. Sed quia negant, Sacramenta esse septem, negant etiam, omnia haec septem Sacramenta a Christo instituta.

II. Catholici contra, Sacramenta omnia esse a Christo instituta docent; sed utrum ipse per se *immediate* omnia instituerit, an *mediate*; h. e. an fecerit Ecclesiae potestatem nonnulla instituendi, inter se disputant. *Nonnulla*, inquam, nam ex Evangelio Christum *immediate* instituisse Baptismum, et Eucharistiam, perspicuum est. Magister Sententiarum *Lib. IV. Dist.* 23. Hugo Victorinus *Lib. II. de Sacr. cap.* 2. Confirmationem, et extremam unctionem institutam esse contendunt ab Apostolis. Imo Alexander Halensis *Part. IV. Sum. q.* 24. *memb.* 2. et S. Bovaventura in *IV. Dist.* 7. *art.* 1. *q.* 1. putant, Confirmationem institutam esse in Concilio quodam Meldensi longe post Apostolos. E contrario nonnulli cum Bellarmino *Lib. I. de Sacr. cap.* 23. sentiunt, definitum esse ut dogma fidei a Concilio Tridentino, Christum omnia sacramenta *immediate* instituisse. Alii denique cum Soto *in IV. Dist.* 1. *q.* 5; *art.* 2. *q.* 3. Estio *in IV. Dist.* 1. §. 16. et aliis, mediam ineuntes viam docent, id quidem esse certum, non tamen dogma fidei.

III. Non aeque tamen est exploratum, utrum Christus *in specie*, an *in genere* materiam, et formam omnium

omnium sacramentorum definiverit, sive determinaverit. Determinatur autem *in genere* materia, et forma, cum rem ex materia, et forma constare debere, statuitur, sed nulla certa aut materiae, aut formae species designatur, ut cum simpliciter artificem jubes, *Exsculpere statuam*; Determinatur vero *in specie*, cum certa materiae, et formae species eligitur, ut si quis artifici diceret: *elabora mihi statuam Caesaris ex auro*.

III. Dogma fidei est, Christum in specie materiam et formam Baptismi, et Eucharistiae definivisse. De reliquis ergo Sacramentis controversia est. Magister Sententiarum *Lib. IV. Dist. XXIII.* Petrus Cantor *Sum. de Sacr.* Alexander Halensis *Summae Part. IV.* S. Bonaventura *in IV. Dist. VII. art. 1. q. 1. et 2. et Dist. XXIII. art. 1. q. 2.* imo e recentioribus Bellarminus *Lib. de Ord. cap. 9.* Joannes Morinus *Lib. VIII. de Administ. Sacr. Poenit.* aliique viri doctisimi opinantur, Christum eorum sacramentorum materiam, et formam *in genere* tantum definuisse: *Estius*, *Juvenin*, aliique tenent, Christum utrumque definivisse *in specie*. Docet *Habert*, materiam quidem a Christo in *specie* definitam, formam vero *in genere*

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, Christum Dominum esse auctorem omnium sacramentorum novae legis; ac proinde saltem in genere determinavit omnium materiam, et formam.

Prob. 1a. *pars.* Patres uno ore adfirmant, Christum esse sacramentorum auctorem; unde merito Tridentinum *Sess. VII. can.* 1. definivit: *Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisssse omnia a Christo Jesu Domino nostro instituta, anathema sit.* Id etiam ratio aperte evincit. Sacramenta enim novae legis gratiam *ex opere operato* producunt *ex Cap. III. §. 2.* Atqui solus hanc virtutem sensibilibus signis tribuere Christus potuit. Ergo ipse ea instituit. Verum quia Protestantes non negant, Christum esse auctorem eorum, quae

vera

vera sacramenta sunt, sed contendunt tantummodo, non omnia, quae Ecclesia Catholica recipit, vere esse Sacramenta, ac proinde non omnia a Christo instituta; hinc patet, iisdem argumentis demostrandum esse contra Protestantes; Christum omnia septem instituisse sacramenta, quibus ostenditur, illa omnia vere, et proprie sacramenta esse.

Prob. 2*a.* *pars*, quae ex prima aperte sequitur, imo illius quaedam explicatio est. Materia enim et forma partes sunt *substantiales* Sacramentorum novae legis *ex Cap. IV. corol.* 1. Ergo qui instituit sacramenta, eorum etiam materiam, et formam instituit, si non *in specie*, saltem *in genere*.

Corol. Ergo Christus sacramentorum auctor est ut Deus, non ut homo; ad tribuendam enim signis sensibilibus virtutem gratiam producendi, virtus divina requirebatur.

Scholion.

Habuit tamen Christus, ut homo, potestatem, quam S. Thomas 3. *P. Q. LXIV. art.* 3. vocat *excellentiae*, quae tribus in rebus sita est. 1.° Ut Sacramenta ipsius meritis operentur. 2.° Ut ejus nomine, et auctoritate ministrentur. 3.° Ut ipse gratiam sine sacramentalibus signis praebere possit. Hanc autem potestatem licet non quoad omnes suas partes, tamen aliqua ex parte saltem Christus creaturis communicare potuisset, ut docet *Augustinus*. Vide Sylvium *in* 3. *P. Q LXIV.*

PROP.

PROPOSITIO II.

Quamvis dogma fidei non sit; certum est tamen, Christum Dominum immediate instituisse omnia novae legis sacramenta. Imo verisimilius est etiam, Christum Dominum omnium sacramentorum novae legis materiam, et formam in specie determinasse.

Prob. 1a. pars. Concilium Tridentinum de industria noluit *in Can.* 1. *Sess. VII.* uti voce illa *immediate*, ne ut haereticam notaret doctrinam *S. Bonaventurae*, et aliorum, qui ante Concilium contrarium senserant, ut testatur Pallavicinus *Hist. Conc. Lib. XII. Cap.* 12. Accedit, quod post Concilium Tridentinum plures Theologi catholici ad fidem non pertinere docent, Christum *immediate* omnia instituisse sacramenta. Hinc Estius *in IV. Dist.* 1. §. 16. *Cum non sit*, inquit, *a Synodo definitum, sacramenta novae legis omnia a Christo immediate instituta esse, disputatur adhuc inter catholicos, utrum omnia septem Christus immediate, et per seipsum instituerit.* Ergo dogma fidei non est.

Prob. 2a. et 3a. pars. I. Si Christus non instituisset *immediate* sacramenta omnia, aut eorum materiam, et formam in specie non definisset, dedisset utique Apostolis, et Ecclesiae potestatem aliqua sacramenta instituendi, aut eorum materiam, et formam *in specie* definiendi. Atqui neutrum fecit, 1°. quia nec Scriptura, nec Traditio id innuunt. 2.° quia Apostoli se tantum vocant ministros, et dispensatores mysteriorum Dei: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei I. Cor. IV.* 1. ac proinde ea non instituerunt, nec eorum materiam definiverunt, aut formam, sed instituta, ac definita ministrarunt; 3.° quia si Ecclesia potestatem habuisset aliqua instituendi sacramenta, aut eorum materiam, aut formam; posset aliquid etiam circa eorum substantiam immutare, materiam scilicet, et formam, quae partes sunt sacramentorum *substantiales*, ut diximus *Cap. IV. corol.* 1. at id Ecclesia non potest, ut pro certo ponit Concilium

Tridentinum *Sess. XXI. Cap.* 2. declarans, *hanc potestatem perpetuo in Ecclessa fuisse, ut in sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret.* Ergo ipse Christus *immediate* omnia Sacramenta instituit, eorumque materiam, et formam in specie designavit.

Prob. II. Nihil est in Ecclesia praestantius sacramentis, quibus membra Christi secum invicem copulantur, et Spiritum vitae à Christo capite recipiunt. Non est igitur verisimile, Christum Ecclesiae architectum ea per seipsum *immediate* non instituisse, eorumve materiam, aut formam *in specie* non determinasse. Si enim Deus *immediate* ritus Mosaicos instituit, quibus vetus Ecclesia fundabatur, multo magis id fecit Christus instituens sacramenta numero pauciora, virtute meliora.

Huc adferri possent iterum testimonia Patrum, et definitio Concilii Tridentini, ex quibus Christum instituisse sacramenta docuimus *Prop.* I. Ille enim vere, et proprie dicitur instituere sacramentum, qui illud *immediate* instituit, ejusque materiam, et formam in specie designat.

Scholion

Quamvis secunda, et tertia propositionis pars iisdem nitatur fundamentis; tamen secundam diximus certam, tertiam tantum verisimiliorem. Cum enim nemo post Concilium Tridentinum negaverit, Christum *immediate* omnia sacramenta novae legis instituisse, res evasit inter Theologos certissima, ut sine aliqua temeritate negari non possit. Sed non aeque certum est, Christum in specie determinasse materiam, et formam omnium sacramentorum, cum post Concilium Tridentinum Theologi doctissimi contrarium teneant.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *contra Prop.* II. Ecclesia materiam aliquorum sacramentorum mutavit. Nam. 1.° ante Concilium Tridentinum Matrimonia clandestina erant vera, et rata, at in Concilio Tridentino irrita declarata sunt. 2.° Ordinis Sacramentum in veteri Ecclesia per manus impositionem dabatur: at *Eugenius IV. in Decreto* definivit, materiam ordinis esse solam instrumentorum traditionem. 3.° Confirmationis materiam olim erat impositio manuum: at ex eodem *Eugenio, loco manuum impositionis datur in Ecclesia Confirmatio* per Chrismationem. Ergo Ecclesia habuit a Christo potestatem materiam aliquorum sacramentorum *in specie* definiendi.

℟. *Neg. ant. Ad.* 1*m. resp.* Concilium Tridentinum non mutasse matrimonii materiam, nam tum ante, tum post Concilium ejus materia est contractus licitus, et ratus; sed quod ante Concilium licitum erat, et ratum, ex Concilii canonibus illicitum, atque irritum evasit, ac proinde evasit materia inepta Sacramento. Quemadmodum ergo qui vinum corrumperet, et redderet sacramento Eucharistiae ineptum, non mutaret hujus sacramenti materiam, ita etiam Ecclesia, reddendo contractum clandestinum illicitum, et ineptum sacramento Matrimonii, ejus materiam non mutavit.

Ad 2*m. resp.* etiam post Eugenium materiam Ordinis esse manuum impositionem, ut suo loco ostendemus: Eugenium autem explicasse Armenis materiam *accidentalem*, ut etiam in *accidentalibus* his ritibus cum Ecclesia Romana convenirent.

Ad 3*m.* similiter respondebimus suo loco, impositionem manuum esse adhuc Confirmationis materiam necessariam, nec contrarium docuisse Eugenium.

Objic. II. Formae sacramentorum, quibus Ecclesia Graeca utitur, a Latinis differunt, ut manifestum est conferenti Graecorum *Euchologia* cum latinis *Ritualibus*. Ergo saltem forma sacramentorum non est a Christo in specie definita.

D 2 ℟. *Dist.*

℟. *Dist. ant.* Differunt sensu, *neg.* Verbis, *conc.* Licet enim diversa sint verba, idem tamen sensus ubique constat.

Inst. 1.° Si Christus *in specie* formam definivisset, ipsa verba religiosisime servasset Ecclesia universa, non secus ac Scripturas sacras, et verba eorum sacramentorum, quae certum est, Christum definivisse, ut Baptismi, et Eucharistiae. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Si Christus definivisset formam quoad ipsa verba, *conc.* Si definivisset tantum quoad sensum ut nos putamus, *neg.*

Inst. 2.° Forma, quae deprecando profertur, sensu differt a forma absoluta. Atqui Graeca Ecclesia ut plurimum deprecatione utitur in forma sacramentorum. Latina vero forma absoluta. Ergo.

℟, *Dist. maj.* In eo, qui non est legitimus minister, *conc.* In legitimo ministro, *neg.* Qui enim legitimus minister Sacramenti est, idem significat, sive dicat *Ego te absolvo*, sive dicat *absolvat te Dominus*, aut quid simile. Nam cum personam ministri gerens, ait: *absolvat te Dominus*, intelligitur *per me*, ideoque sensus eodem recidit, ac si dixerit: *ego te absolvo.*

CAP. VI.

Corollaria Capitis praecedentis de mutatione, quae in materia, aut forma sacramentorum contingere solet.

I. Cum non alius sit, nec esse potuerit, nisi Christus ut Deus, auctor sacramentorum, quorum materiam, et formam, vel ipse, vel Ecclesia ejus auctoritate *in specie* definivit, sequitur, per omnem mutationem *substantialem* materiae, aut formae, non fieri sacramentum a Christo institutum, ac proinde non praeberi gratiam, sed aliud quoddam fieri, quod non sacramentum, sed humanum est inventum, ritusque superstitiosus. Quod brevius ita exprimunt Theologi: *mutatio substantialis materiae, aut formae reddit irritum sacramentum.* Erit autem mutatio *substantialis* materiae, cum ipsa materiae substantia mu-

tatur, ut si pro aqua in baptismo adhiberetur vinum formae vero substantialis mutatio fit, cum mutatur formae sensus; ut si qui pro illis verbis: *Ego te baptizo* etc. diceret: *sic te Deus adjuvet*, aut quid simile. Quoniam igitur mutatio *accidentalis* materiae, aut formae non mutat substantiam materiae, nec destruit formae sensum; patet, mutationem tantum *accidentalem* non reddere irritum sacramentum. Haec communis omnium Theologorum doctrina est.

II. Cum autem sensus cujuscumque sermonis sex modis mutari possit, scilicet 1.° per verborum detractionem, 2.° additionem, 3.° mutationem, 4.° transpositionem, 5.° corruptionem, 6°. interruptionem; patet totidem modis mutationem substantialem formae fieri posse, ideoque irritum reddi sacramentum. Hinc qui a Baptismi forma detraheret verbum *baptizo*, aut pronomen *te*, aut verba *in nomine*, aut aliquam ex personis SS. Trinitatis taceret, irritum redderet Baptismum. 2.° qui eidem formae adderet cum Arianis dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, et Filii minoris. etc.* 3.° qui cum Valentinianis, teste Eusebio *Hist. Lib. II.* diceret: *Ego te baptizo in nomine ignoti omnium Patris, in veritate omnium matre, et in eo, qui descendit in Jesum.* 4.° qui ita trasponeret verba: *Ego Patris te baptizo in nomine Filii, et Spiritus S.* 5.° qui diceret: *Ego te baptizo in nomine matris etc.* corruptio enim vel unius syllabae, aut litterae, si fiat in principio verborum, solet plerumque eorum sensum mutare. 6°. denique qui post ea verba: *Ego te baptizo* aut psalmum recitaret, aut aliquid aliud ageret, et postea sequentia verba formae proferret, quae cum praecedentibus non censerentur *moraliter* connecti (*a*).

III. Sed quia non omnis verborum detractio, additio, mutatio etc. sensum sermonis destruit non destruet quoque formae substantiam, eritque aliquando mu-

---

(a) *Lucius Ferraris* mutationes omnes exquisite collegit, quae irritam reddere possunt Baptismi formam. *De Bapt, art.* 3.

mutatio *accidentalis*, quae sacramentum non reddit irritum. Hinc non redderet irritum sacramentum, 1.° qui in baptizando diceret *in nomine Patris omnipotentis* etc. 2.° qui omitteret pronomen *ego*, aut in consecratione Eucharistiae vocem *enim*. 3.° qui pro verbo *baptizo* diceret *abluo*, aut *tingo*. 4°. Qui prius diceret *in nomine Patris etc.* et postea *ego te baptizo*. 5.° qui vitio linguae, non ut errorem aliquem introduceret, ita formam proferret: *in nomine Patria, et Filia, et Spiritu Saneta*: Zacharias enim Papa *cap. Retulerant Dist.* 4. baptismum sic collatum probavit, 6.° Si adeo brevem faciat moram, ut sermo censeatur moraliter unus, ut si tussiat, sternutet, silentium imperet etc.

IV. Error ministri aut mente retentus, aut expressus verbis, sed nihil formam afficiens, sacramentum irritum non reddit. Hinc 1.° ratus erat Baptismus Arianorum, licet circa naturam trium Personarum SS. Trinitatis errarent 2.° Ratus esset Baptismus a Calvinista datus his verbis; *auctoritate mihi per Calvinum facta, ego te baptizo etc.* Sed si error expressus formam adficiat, atque corrumpat, sacramentum nullum erit, ut si quis post ea verba; *hic est sanguis meus*, adderet: *qui pro vobis non effundetur*, haec enim verba indicant, ministrum non loqui de Christi sanguine, qui revera pro omnibus fusus est.

V. Cum ita exprimitur error, ut formae sensus reddatur ambiguus, ex intentione ministri judicandum est de valore sacramenti: si enim ita locutus est minister ex inscitia, non ut errorem aliquem exprimeret, aut novum ritum introduceret ratum erit sacramentum, secus si ita se gerat, ut errorem proferat, aut ritum inducat novum. Cum enim sermonis sensus ambiguus est, nonnisi ex intentione loquentis ad verum aut ad falsum determinari potest. Hinc 1.° *Zacharias* supra laudatus probavit Baptismum datum a rustico, qui verba formae ex inscitia foede corruperat, sed addit, irritum futurum fuisse sacramentum, si ille aut errorem aliquem, aut novum ritum voluisset inducere. 2.° S. Thomas proposita quaestione, utrum valeat Baptismus datus *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus*

ritus Sancti, *et B. Mariae Virginis*: respondet, valere; si minister nolit errorem exprimere, aut ritum novum introducere, sed adprecari tantum baptizato B. Virginis opem; secus vero, si haeresim aliquam, aut novum ritum illis verbis conetur adstruere: qua in re immerito S. Doctoris sententiam rejicit *Tournely* vir certe doctus, sed principe illo Theologorum, multis partibus inferior.

VI. Quoniam mutatio *substantialis* materiae, aut formae reddit sacramentum irritum, imo superstitiosum (*ex. cor.* 1.) sequitur graviter peccaturum ministrum, qui talem mutationem efficeret.

VII. Quamvis autem *accidentalis* mutatio irritum sacramentum non reddat, quia tamen materiae, et formae saeramentorum a Christo institutae sunt, erit etiam talis mutatio peccatum, vel levius, vel gravius pro levitate, vel gravitate materiae, contemptu, aut scandalo.

VIII. Et quia in rebus dubiis non licet seipsum objicere periculo graviter peccandi, atque irritum faciendi sacramentum; manifestum est, non licere uti materia, et forma dubia in sacramentorum administratione, ac proinde *Innocentium XI.* merito damnasse propositionem illam: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.* Hinc non licet Eucharistiam consecrare in materia, de qua dubitatur an sit panis triticeus. etsi deferendum sit infirmo viaticum, nec absolvere poenitentem, de quo prudenter dubitatur, an sit vere contritus, nisi in extremae necessitatis caussa, ut mox dicemus.

IX. Cum Baptismus, et Poenitentia sint sacramenta necessaria *necessitate medii* ad salutem, et in caussa extremae necessitatis satius sit dubia tentare remedia, quam nulla, hinc licet in ea causa uti materia dubia in administratione Baptismi, et Poenitentiae. Putandum enim est, Christum pro infinita sua erga homines benevolentia maluisse, ut in ea caussa sacramenta adeo necessaria periculo exponerentur, quam ut hominum saluti non consuleretur, et tunc valet vulgatum illud; *sacramenta propter homines, non homines propter sa-*

sacramenta. Quapropter potest infans jam moriturus, deficiente aqua, baptizari liquore, de quo an sit aqua dubitatur, et ex eodem principio docuit Augustinus, *Lib. II. de adulterinis conjugiis*, posse absolvi moribundum sensu destitutum, qui jam sacerdotem vocaverat, licet an sit contritus merito dubitetur.

X. Etsi nihil addere liceat formae sacramentorum a Christo institutae; cum tamen ambigitur, an sacramentum revera collatum sit, aut an rite sit collatum, potuit Ecclesia adhibere conditionalem formam *ex. gr. si non es baptizatus*, cum conditio haec extra formam sit, ejusque sensum minime tangat. Haec autem formula licet per octo saecula veteribus ignota fuerit, qui quando dubitabant de valore sacramenti, illud absolute; et sine conditione repetebant, ut ostendit Juenin *in Comment. Hist. De Sacram. Dissert. I. Q.* 3. *Cap.* 5. *art.* 1. (a) usurpari tamen coepit in Galliis IX. saeculo in Sacramento baptismi, ut patet ex *Capitularibus Caroli M. Lib. VI. cap.* 181. Deinde probata fuit ab Alexandro III., *in Cap. De quibus: De Baptismo*, et ita recepta in Ecclesia, cum haec *Alexandri* III. Decretalis a *Gregorio IX.* in Corpus juris Canonici relata est, et usurpata in tribus sacramentis, quae characterem imprimunt; tandem paulatim producta ad sacramenta reliqua, cum non ex scrupulo, sed prudenter dubitatur, an vere, aut valide peracta sint, nec ulla ratio suppetit dubitationem tollendi. Hinc qui prudenter dubitat, an verba consecrationis protulerit, an poenitentem absolverit, potest formam sub conditione repetere. Numquam tamen licet formam proferre sub conditione futura *ex. gra. si pater tuus consentiet*; *ego te baptizo*; *si ablata restitues*, *ego te absolvo*; effectus enim sacramentorum in futurum suspendi non potest.

XI. De pueris expositis, etsi schedula iis e collo pendeat, qua significetur, eos esse baptizatos, pruden-

---

(b) Vide etiam Morinum *Exercit.* 1. *de Sacris. Ordinat. et Lib. X. De poenit. Cap.* 17.

denter dubitatur, an babtizati sint, ideoque cum conditione sunt baptizandi. Idem nonnulli docent de infantibus domi ab obstetrice baptizatis. Sed de his non videtur generatim pronunciari posse, praesertim cum plures testes affirmant, omnia rite peracta esse.

Porro explicatis iis, quae ad Sacramentorum pertinent naturam, atque auctorem, de eorum disserendum est Ministris.

CAP. VII.

De ministro Sacramentorum.

Duo sunt, quae de ministris sacramentorum quaeremus: 1.° quinam sint; 2.° quasnam habere debeant dispositiones, ut sacramenta tum *valide*, ut Theologi ajunt, tum *licite* conficiant, aut ministrent.

§. I.

Quinam sint sacramentorum ministri.

PROPOSITIO.

Ordinarii Sacramentorum ministri sunt soli homines viatores, sed non omnes, licet sint Christiani. Est dogma fidei.

Prob. 1a. pars. 1.° Christus solos homines viatores ad sacramenta conficienda, et dispensanda misit. 2.° Sacramentum est signum sensibile. Ergo nonnisi per visibiles homines administrari potest. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Si omnes homines Christiani essent ordinarii sacramentorum ministri, in Ecclesiae corpore omnia membra eumdem actum haberent, nec ulla esset divisio graduum, et officiorum; quod est contra doctrinam Apostoli I. *Cor. XII. Rom. XII. Ephes. IV.* Ergo.

Diximus in propositione, ministros *ordinarios* sacramentorum esse solos homines viatores. Deus enim sicut non ita alligavit sacramentis virtutem, ut non pos-

possit extra ordinem sine sacramentali si, ne gratiam largiri, ita non usque adeo hominibus viatoribus alligavit sacramentorum ministerium, ut non possit extra ordinem S. Angelis, aut animabus beatis assumentibus visibile aliquod corpus, sacramentorum administrationem mandare. Impia tamen est assertio Lutheri (*Lib. De Missa privata*) *Si diabolus in specie hominis irreperet in officium Pastoris, verum conficeret sacramentum.*

§. II.

De dispositionibus in ministro requisitis, ut sacramenta tum valide, tum licite ministret, et primum de fide, et sanctitate.

Adv. I. Tres sunt dispositiones in ministro requisitae, ut sacramenta tum *valide*, ut Scholae ajunt, tum *licite* ministret, fides, sanctitatas, intentio. De prioribus hic dicemus, de intentione in sequenti §.

II. Saeculo III. *Agrippinus* Episcopus Carthaginiensis, teste Vincentio Lirinensi *Commonit. cap.* 9. primus omnium docuit, irritum esse baptismum ab haereticis ministratum. Eum secutus est eodem saec. III. Cyprianus cum tribus Africae Synodis, et *Firmilianus* cum nonnullis Asiae Episcopis quorum omnium sententiam primo *Sthephanus* Papa damnavit, deinde sequentibus saeculis Ecclesia universa.

III. Donatistae IV. saeculo Ecclesiam diro schismate vexarunt, docentes, sacramenta data a peccatoribus irrita esse, quod quidem primo intelligebant de peccatoribus omnibus, etiam occultis, postea ad publicos coarctarunt, teste Augustino *Lib. II. cont. Crescon. cap.* 28. Eorum sententiam saeculo V. extinctam suscitarunt saeculo XII. Waldenses, Albigenses, et exeunte saeculo XIV. Hussitae, Wicleffistae, et tandem posterioribus saeculi Anabaptistae.

PRO-

PROPOSITIO I.

Fides, aut sanctitas ministri non requiritur, ut sacramentum valeat. Est dogma fidei quoad sanctitatem, sed quoad fidem, tantum respectu Baptismi.

Haec propositio probari non potest ex Scripturis, sed perpetua Ecclesiae traditione, ut docet Augustinus *Lib. de unitate Eccles. cap.* 22. *Forte dicis*, inquit *lege mihi quemadmodum Christus suscipi jusserit eos, qui ab haereticis transire ad Ecclesiam volunt: hoc aperte, atque evidenter neque ego lego, neque tu...... Cum hoc nusquam legatur, credendum est testimonio Ecclesiae, quam verum esse, Christus testatus est.*

Prob. itaque ex traditione. I. Quoad fidem ministri, celebris est sententia *Stephani*, qua Cypriani doctrinam rejecit his verbis, quae refert ipse Cyprianus *Epist. LXXIV. ad Pompejum: Si quis a quacumque haeresi venerit ad vos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponantur in poenitentiam.* Hinc *Vincentius Lirinensis* de *Agrippino* scribit *loc. cit. Primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem, et institutum majorum rebaptizandum esse docuit.* Eandem traditionem habemus ex Conciliis Arelatensi *I. con.* 8. Nicaeno *can.* 8. (a) Laodiceno, Constantinopolitano I. et tandem Tridentino *Sess. VII. de Bapt. can.* 4 ubi definit: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab hereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum inten-*

(a) Quodnam fuerit *plenarium Concilium*, in quo Augustinus *Lib. II. De Bapt.* 7. controversiam de Baptismo haereticorum ait esse definitam, magna inter eruditos quaestio est. *Natalis Alex. Christianus Lupus Norisius. Bossuetus*, aliique voluit esse Nicaenum. *Albaspineus. P. de Marca*; *Launoyus*. *Syrmondus etc.* Arelatense I. Alii dubitant. Prior sententia versimilior est.

tentione faciendi; *quod facit Ecclesia*, *non esse verum Baptisma*, *anathema sit.*

Prob. II. quoad Sanctitatem ministri ex eadem traditione, quam tot libris *Augustinus*, et *Optatus Milevitanus* contra Donatistas vindicarunt. Ecclesia damnavit primo Donatistas IV. et V. saeculo deinde Wiclefistas, et Hussitas in Concilio Constantiensi, ubi inter alias ista propositio damnata est: *Si Episcopus*, *aut Sacerdos existat in peccato mortali*, *non ordinat*, *non consecrat*, *non baptizat.* Tandem omnes supra dictos haereticos in Concilio Tridentino *Sess. VII can.* 12. *Si quis dixerit*, *ministrum in peccato mortali existentem*, *modo omnia necessaria*, *quae ad sacramentum conficiendum*, *aut conferendum pertinent servaverit*, *non conficere*, *aut conferre sacramentum*, *anathema sit.*

Prob. III. *Quoad utramque partem.* Ministri sacramentorum non agunt nomine suo; sed Christi, cujus sunt instrumentum, neque ipsi dant gratiam; sed Deus, qui operatur interius, quando visibilia signa, quibus gratiam alligavit, ministrantur exterius. Atqui quaecumque sit virtus, aut vitium ministrorum, non poterit impedire interiorem Dei operationem. Hinc merito Augustinus *Tract. V. in Joan. Baptisma*, inquit, *tale est*, *qualis est ille*, *in cujus potestate datur*, *non qualis est ille*, *per cujus ministerium datur* . . . . *non exhorreat columba ministerium malorum*, *respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister*, *ubi bonus est Dominus?* Ergo.

Prob. IV. Defectus fidei, aut probitatis in ministro non ei aufert potestatem ordinis, cum character indelebilis sit, ut supra probavimus *Cap. III.* §. 3. Ergo rata sunt sacramenta, quae solam in ministro potestatem ordinis requirunt. Unum Poenitentiae Sacramentum, quod praeter potestatem ordinis, etiam potestatem postulat jurisdictionis, non valet si ministretur a Sacerdote, qui aliquando propter haeresim, aut aliud crimen jurisdictione spoliatur. id tamen accidit, non quia Sacramentum, hoc in ministro fidem, aut probitatem requirat, sed quia sacerdos sine jurisdictione minister non est. Unde in casu extremae necessitatis quia Sacerdos quilibet est Poenitentiae minister, valet ab-

absolutio data a quolibet sacerdote: ut declarat Tridentinum *Sess. XIV. cap.* 7. Ergo.

Prob. V. Sacramenta comparantur a Patribus annulo, qui insculptam habet Regis imaginem, radiis solaribus, agro, canalibus, per quos Dei in nos gratia derivatur. Atqui annulus sive argenteus, sive ferreus, radii solis sive per pura, sive per coenosa loca transeant, ager sive a mundo, sive a sordido colatur agricola; canales sive plumbei, sive argentei, effectum producunt suum. Ergo et sacramenta a quocumque ministro pertractentur.

Scholion.

Probitatem ministri non requiri ad cujuscumque sacramenti valorem, definitum est ut dogma fidei a Tridentino. Fidem etiam ministri non requiri ad valorem Baptismi, definivit idem Concilium. De reliquis sacramentis tacuit, unde censura notari non potest doctrina *Joannis Morini*, qui Confirmationem, et Ordinem data ab haereticis irrita esse, docet. Ceterum haec sententia, licet non haeretica, falsa tamen revincitur, non solum argumento *a simili*, quia eadem est baptismi, et aliorum sacramentorum ratio, sed etiam quia Patres non solum Baptisma, verum etiam Confirmationem, atque Ordinem (de quibus praecipue est quaestio) data ab haereticis rata habuerunt. Ita Optatus Milevitanus *Lib. VII. contra Parmenian.* Augustinus *Lib. V. de Bapt. cap.* 19 *et Lib. II. contra Crescon. cap.* 10. *et Epist. XCIII. al XLVIII.* Hieronymus *Dial. cont. Luciferianos*, aliique.

Objectiones.

Objic. I. Nemo dat, quod non habet. Atqui haeretici, et peccatores gratiam non habent. Eam igitur dare non possunt.

℟. *Dist. maj*, Nemo dat quod non habet, si agat nomine, et virtute propria, *conc.* Si agat nomine, et virtute alterius, *neg.* Ministri igitur sacramentorum, quicumque sint, agunt nomine, et virtute Christi,

cu-

cujus meritis, et virtute Sacramenta operantur.

Inst. Qui non est Christo conjunctus, non potest agere nomine Christi, ejusque virtute. Atqui haeretici, et peccatores non sunt Christo conjuncti. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Qui non est Christo ullatenus conjunctus, *conc.* Qui non est Christo aliqua ex parte conjunctus, *neg.* Haeretici itaque, et peccatores, licet Christo per fidem, et charitatem conjuncti non sint, ei tamen junguntur per intentionem, qua volunt facere, quod Christus instituit.

Objic. II. Ab immundo quis mundabitur? Eccl. XXXIV. 4. *Scimus quia peccatores Deus non audit* Joan. IX. 31. *Non potest arbor mala bonos fructus facere* Matth. VII. 18. Ergo ab haereticis, et peccatoribus nemo gratiam potest accipere.

℟. *Dist. cons.* Nemo potest gratiam ab haereticis, et peccatoribus accipere, si nomine, et virtute sua agant, *conc.* Si nomine, et virtute Christi, qui est agnus immaculatus, fideles mundans sanguine suo, cujus preces Deus audit, qui est arbor vitae in medio Ecclesiae, cujus fructus est sanctificatio nostra in vitam aeternam, *neg.* Adverte autem, verba illa *Joan. IX. Deus peccatores non audit*, non esse Christi, sed caeci; eorum autem sensus est: Deus non audit peccatores, cum agitur de patrandis miraculis in confirmationem falsae doctrinae.

Objic. III. Saltem fidem in ministro sacramentorum requiri docuerunt 1.° Canones Apostolici; sic enim habet *Canon XLV. Episcopum, vel presbyterum, qui haereticorum baptismum . . . admiserit, deponi jubemus.* 2.° *Cyprianus* in Africa, *Firmilianus* in Oriente cum pluribus Africae, et Asiae Synodis. 3.° Quod maxime animadvertendum est, post *Stephanum Dionysius Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Basilius M. Athanasius* baptismum haereticorum rejecerunt. Ergo saltem fides in ministro ad valorem sacramenti necessaria est.

℟. *Neg. cons. Ad* 1m. Canones, qui *Apostolici* vocantur, non sunt ab Apostolis editi, ut demonstrant eruditi, sed in variis Orientis provincialibus Synodis: quod vel inde ostendi potest, quod Cyprianus, qui ad

ad suam sententiam firmandam undique argumenta corradebat, nusquam tamen his canonibus usus est. *Ad 2m. Cyprianus*, *Firmilianus*, aliique contra universalis Ecclesiae consuetudinem, atque doctrinam sentiebant, ut supra ex *Lirinensi* notavimus, nec negabant, veterem consuetudinem *Stephano* favere; sed eam appellabant *veterem errorem*. Quod *Cypriano*, aliisque indulgendum fuit, cum haec veritas *nondum eliquata per Concilium plenarium solidata esset*, ut loquitur Augustinus *Lib. II. de Bapt. c.* 4. et si quid peccavit, acrius *Stephano* resistens, id per martyrium abluit. *Ad 3m. Cyrillus*, et *Basilius* (nam utrum *Dionysius*, et *Athanasius* rebaptizantibus faverint, incertum est) arbitrati sunt, rem hanc ad disciplinam pertinere, in qua variae esse possunt Ecclesiarum consuetudines. Loquens enim Basilius de *Catharis* haereticis *Epist. canon. ad Amphiloc. cap.* 3. ait: *Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est propter multorum oeconomiam, et dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur*: quod non diceret de re ad fidem pertinente. Ceterum quaecumque eorum fuerit sententia, non potest Ecclesiae universae auctoritatem vincere.

Objic. IV. *cum Morino*. Confirmatio, et Ordo data ab haereticis in Ecclesia olim iterabantur. De Confirmatione enim inde constat, quod Patres et Concilia haereticos ad Ecclesiam redeuntes recipiebant cum manuum impositione, et unctione Chrismatis: ait enim Augustinus *Lib. III. de Bapt. cap.* 16. *Manus impositio non sicut Baptismus repeti non potest*, et Concilium Constantinopolitanum I. *can.. VII.* statuit, ut *Ariani*, *Macedoniani*, *Sabatiani*, *Novatiani*, *Tessaradecatitae*, et *Apollinaristae* cum ad Ecclesiam veniunt, inungantur in fronte etc. dicendo: *signaculum doni Spiritus Sancti*: quibus verbis Confirmatio apud Graecos ministratur. De ordine vero constat ex Conciliis, et Patribus, qui docent, ordinatos ab hereticis, et schismaticis *nihil accepisse. nihil habuisse*, eorum ordinationem *irritam fuisse*; et si indulgentius cum iis ageretur, cum ad Ecclesiam venerint, accepisse manuum impositionem, et sic ministrasse. Ergo non de omnibus sacramentis constat veritas propositionis.

R. Neg.

R. *Neg. ant.* Manus enim impositio apud Occidentales, et unctio Chrismatis apud Orientales, quibus revertentes ab haeresi recipiebantur, non confirmationis, aut ordinis Sacramentum erat, sed ceremonia, qua ii Ecclesiae reconciliabantur, ideo adhibita; ut significaretur, eos licet characterem in haeresi recepissent; tamen gratiam, et Spiritum Sanctum nonnisi in Ecclesia catholica accipi posse. Si autem Constantinopolitanum canonem contendas omnino de confirmatione esse intelligendum; respondemus cum Juenin *Comment. Hist. de Sacrament. Dissert. III. Q. VII. Cap. I. art.* 2 §. 1. Concilium loqui de iis, qui in haeresi confirmationem non acceperint, quales erant sine ulla dubitatione *Novatiani*, qui ex *Theodoreto* hoc sacramento non utebantur. Dicuntur autem ordinati ab haereticis *nihil accepisse* etc. non quia characterem Sacramenti non acceperant, sed quia non habuerunt facultatem ordinis exercendi, quam haeretici ipsis dare non poterant, cum nec ipsi eam haberent.

PROPOSITIO II.

Graviter peccat, qui mortalis peccati sibi conscius Sacramenta ex officio conficit, aut ministrat.

Prob. I. Qui legali immunditia pollutus ad sacramenta Mosaica pertractanda audebat accedere, gravis reus erat sceleris, ut patet ex poena, quam Deus comminatur his verbis *Levit. XXII.* 3. *Omnis qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quae consecrata sunt . . . . in quo est immunditia; peribit coram Domino. Ego Dominus.* Et *Exodi XIX.* 22. *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.* Ergo *a fortiori* qui ad Sacramenta longe sanctiora tractanda accedit corde immundo. Hinc Apostolus *Heb. X.* 29. recte infert: *Quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit . . . et spiritui gratiae contumeliam fecerit?*

Prob. II. *ex PP.* Augustinus *Tract. V. in Joan. Ego* inquit, *dico, et omnes dicimus quia justos oportet esse*

tanti

tanti judicis ministros, et *Lib. II. cont. Parmenianum*, *Cap.* 10. *Quia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne suscipientibus*. Idem docent ceteri: Ex quibus merito Rituale Romanum: *Sacerdos*, inquit, *si sit sibi mortalis conscius, quod absit, ad sacramentorum administrationem non audeat accedere, quia scilicet impure, et indigne ea ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt.*

Prob III. *ratione*. Qui sacramenta ministrat, is in actione sanctissima Christi personam gerit, cujus nomine agit. Atqui gravis est injuria, et valde indecorum, ut filius Diaboli, et Christi inimicus id audeat: unde S. Thomas 3. *P. Q. LXIV. art.* 6. *Quia*, inquit, *hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte ipsius peccatoris, consequens est, quod tale peccatum ex genere suo sit mortale.*

Scholion.

I. Cum haeretici sint etiam peccatores; quod dictum est de ministro mortalis peccati conscio, etiam de eo intelligendum est, in quo est defectus fidei.

II. Diximus, peccare eos, qui gravis peccati conscii *ex officio* ministrant; res enim aliter se habet de laico, qui ex charitate in caussa necessitatis baptismum infanti jam morituro ministraret, ut docent post S. Thomam *cit. q. LXIV. art.* 6. *ad.* 3. plures Theologi. Sed utrum Sacerdos, aut Diaconus in necessitatis caussa baptizantes, si sint gravis peccati conscii, novum admittant peccatum, an non, controversia est. Et quidem si privatim, et sine sollemnitate baptizent, non videntur differre a ceteris. Peccat item, qui in peccato mortali Eucharistiam tangit, defert, elevat etc.

III. Peccant etiam graviter Diaconi, et Subdiaconi missae sollemni ex officio ministrantes, cum proxime concurrant ad actionem omnium sanctissimam, idque ex suo munere, ad quod consecrati sunt. Vide Natalem Alexandr. *Lib. II. art.* 2. *reg.* 10. De clericis minoribus aliter sentiunt hodie plures Theologi; quia

eorum functiones jam magis distantes ab actione sacrificii, hodie a laicis perinde atque a clericis exercentur; quam sententiam sequitur etiam Merbesius *Summ.* 3. *P. Q. XV. Res.* 3. et Berti *Vide Colet Tom. IV.* Excipe tamen Exorcistam, si munere suo exorcizandi fungeretur.

Corollaria.

I. Cum non possit ab alio peti res etiam bona, si illum praevideas in ea danda peccaturum, ne ei occasionem peccandi praebeas, nisi adsit petendi jus, atque necessitas, nec alius adsit; consequens est, non licere a ministro, quem constat esse in peccato mortali, nec est Parochus, sine necessitate petere sacramenta. Unde inquit S. Thomas *in IV. Dist. XXIV. Q.* 1. *art.* 3. *Praeter necessitatis articulum, non esset tutum quod eum induceret ad aliquod sui ordinis officium exequendum.* Justa autem censetur esse necessitas, si quis in lethale peccatum inciderit, sive alias urgeat Poenitentiae, aut Eucharistiae, praeceptum, si denique magna aliqua spiritali utilitate carere debeat, nisi sacramenta suscipiat. Vide Colet *De sacramentis in gen. Tom. IV.*

II. Licet tamen sacramenta omnia petere a Parocho, quamvis impio, si alius non sit, qui ea ministret; Tunc enim jus, et necessitas petendi adest. Quod quidem concedit etiam Jueninus *Dissert. I. Q.* 6. *cap.* 4.

III. In extremae necessitatis caussa licet Baptismum, et Poenitentiam petere a quocumque ministro, quamvis haeretico, excommunicato, suspenso, etc. Tunc enim jus habes, ut a quocumque tibi subveniatur, et in ea es necessitate, qua major esse non potest. Idque docent etiam Petrus Colet *Tom. IV.* Autoine *De Sacr. Cap.* 2. *Q.* 13. aliique sanioris Ethicae patroni.

§. III.

§. III.

De intentione Ministri.

Adv. I. Jam, ut erat propositum, de intentione ministri dicendum est. *Intentio* est deliberata voluntas aliquid faciendi. Est autem intentio quadruplex: *actualis*, *virtualis*, *habitualis*, *interpretativa*. Actualis est praesens deliberata voluntas cum attentione conjuncta, eaque vel directa, si ad rem tantum, quam volumus, attendamus; vel reflexa, si ad ipsam attendamus intentionem. *Virtualis* est intentio, non quidem praesens, sed quae paulo ante praecessit, et adhuc in effectibus suis durat. *Habitualis* est, quae vel longo tempore praecessit, nec retractata fuit, nec in effectu durat, vel quae oritur ex quadam agendi facilitate repetitis ex actibus consuetudine roborata. *Interpretativa* denique est, quae nec est modo, nec antea fuit, sed adesset, si agens ad id, quod agit, attenderet.

II. Intentionis autem *objectum* quadruplex etiam esse potest in Sacramentorum administratione. Potest enim quis velle ritum externum; 1.° ut profanum; 2.° ut in Ecclesia sacrum, licet ipse non credat esse Sacramentum; 3.° ut Sacramentum, licet ipse erret circa ejus sacramenti effectus; 4.° ut caussam effectuum, quos per sacramentum producere proponit, et intendit animum.

III. *Lutherus* eo audaciae pervenit, ut diceret, nullam in ministro requiri intentionem, adeo ut si ille non solum nullam sacramenti peragendi voluntatem habeat, sed etiam illud exterius irridere velit, more histrionum materiam et formam adhibens, tamen verum conficiat sacramentum. Hinc inter Lutheri propositiones *Leo X.* eam damnavit *num. XII. Si Sacerdos non serio, sed joco absolveret, si tamen poenitens credat se absolutum, verissime est absolutus.*

IV. Inter Catholicos tamen, etiam post Tridentinam definitionem, ambigitur, quodnam debeat esse intentionis *objectum* in ministro. *Ambrosius Catharinus*, et post eum *Alphonsus Salmeron*, qui ambo Tridentino

Concilio adfuerunt, *Hiacynthus Serry*, *Contensonus*, *Jueninus*, aliique contendunt, sufficere ad Sacramenti valorem, ut minister velit exterius se gerere tamquam Ecclesiae ministrum, adeoque omnem ritum externum serio peragere, etsi interius absolute dicat: *nolo facere quod facit Ecclesia.* Haec sententia adeo *Sorbonicam Scholam* pervaserat, ut nonnulli eam impugnare vererentur, ne positivae Theologiae haberentur ignari. Contraria tamen sententia communior est, quae docet requiri ad Sacramenti valorem, ut minister velit serio externum ritum facere, saltem ut in Ecclesia sacrum, quamvis non credat, ritum illum esse sacramentum, aut effectum ullum producere.

PROPOSITIO I.

In ministro sacramentorum aliqua intentio requiritur. Est dogma fidei.

Prob. Christus Sacramentorum administrationem hominibus commisit, et quidem ita ut ipsi humano modo agerent, eorumque actio esset actio humana. Voluit enim ut viderent, cui ministrarent, ne sancta darent indignis, ut ex Evangelio perspicuum est. Unde Apostolus 1. *Cor. IV.* 2. *Hic jam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Quod quidem fieri non potest, nisi actio saltem humana, ac deliberata sit. Atqui actio humana non est, quae sine ulla agendi intentione exit. Ergo aliqua intentio in ministro requiritur, idque contra Lutheranos Tridentinum definivit, ut infra dicemus.

PROPOSITIO II.

In ministro non sufficit intentio habitualis, vel interpretativa.

Prob. Actio quae ex *habituali*, vel *interpretativa* intentione proficiscitur, non est actio deliberata, neque humana, ut patet in dormientibus, amentibus, etc. Atqui

Atqui actio sacramentalis debet esse actio humana *ex prop. praec.* Ergo in ministro non sufficit intentio *habitualis*, vel *interpretativa.*

PROPOSITIO III.

Non est in ministro necessaria intentio actualis, sed sufficit virtualis.

Prob. Ut actio censeatur, et sit humana, opus non est, ut cum *actuali* intentione conjuncta sit, cum non semper sit in hominis potestate, sed sufficit *virtualis*, ut videre est in eo, qui deliberata voluntate ambulare coepit; is enim licet inter ambulandum mente evagetur, ejus tamen actio deliberata est, et humana, cum oriatur ex praecedenti intentione *actuali*, quae in ipsa deambulatione adhuc perseverare censetur, Ergo si intentio in Sacramentorum ministro requiritur, ut actio ejus humana sit, sufficit intentio *virtualis.* Hanc doctrinam post S. Thomam 3. *P. Q. LXIV. art.* 3. omnes sequuntur Theologi, quamvis ibi intentionem *virtualem* more veterum Scholasticorum vocet *habitualem.*

Scholion.

Curandum tamen est ministro, ut quoad ejus fieri potest, *actualem* intentionem in conficiendis ministrandisque sacramentis habeat. Si enim Sacerdotibus daemoniorum sacra facientibus assistens praeco inclamabat: *hoc age*: quanto magis decet, ut ministri Christi in actione omnium sanctissima sedulo curent, ne alio mente evagentur?

PRO-

PROPOSITIO IV.

Necesse non est ad sacramenti valorem, ut ministri intentio respiciat sacramentum, aut sacramenti effectum.

Prob. 1.° Si id necesse esset, irritum fieret sacramentum a ministro haeretico, qui interius non credit, ritum, quem peragit, esse sacramentum, aut effectum sacramenti producere. Atqui hoc falsum esse supra ostendimus §. 2. *h. c.* Ergo. 2.° Sacramentum, et sacramenti effectus non ex voluntate ministri, sed ex Christi institutione oritur. Ergo velit, nolit minister, ex ritu a Christo instituto sacramentum, et sacramenti effectus consequitur.

PROPOSITIO V.

Ut Sacramentum valeat, necesse est, ut minister intendat facere, quod facit Ecclesia. Est dogma fidei.

Prob. I. Ita definitum est contra Lutheranos a Concilio Tridentino *Sess. VII. De Sacr. in gen. can.* 11. *Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Idem ante Concilium definiverat *Leo X.* et ante *Leonem Eugenius IV. in Decreto*, et ante *Eugenium Martinus V. Constitutione* edita post Concilium Constantiense apud *Labbè:* ex quibus satis constat universalis Ecclesiae sensus, atque traditio. Ergo.

Prob. II. Ut sacramentum valeat, necesse est ut minister agat nomine Christi. Atqui non agit nomine Christi, qui non intendit facere quod Christus instituit, et facit Ecclesia. Ergo.

Sol-

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Ea ratione prodest Sacramentum, quatenus fidem excitat. Atqui quacumque intentione fiat, fidem excitare potest. Unde Apostolus *Phil. I.* 15. gaudet, praedicari e multis Evangelium, licet quidam propter invidiam, et contentionem praedicarent. Ergo etc.

℟. *Neg. maj.* Quod jam supra refutatum est *Cap.* 3. §. 2.

Objic. II. *S. Genesius* cum esset mimus per jocum baptizatus est in Theatro ad irridenda coram *Diocletiano* Religionis nostrae mysteria. Et tamen per baptismum cito mutatus, revera Christianam religionem professus, martyr occubuit, ut refert *Ado Trevirensis* in Martyrologio. Ergo etc.

℟. Etiam data illa historia, *neg. cons.* Vel enim ille mimus, antequam baptizaretur, animo mutatus revera baptismum accepit, vel postea rite in Ecclesia baptizatus est, vel per martyrium baptismum supplevit.

Objic. III. Constat ex Socrate *Lib. I. cap.* 15. Sozomeno *Lib. II. cap.* 17. et Nicephoro *Lib. VIII. cap.* 40. *Athanasium* adhuc puerum in litore maris coaevos pueros per ludum baptizasse, ejusque baptismum ab *Alexandro* Episcopo Alexandrino ratum fuisse habitum. Ergo.

℟. 1.° *Socratem*, ejusque ex scriptorem *Sozomenum*, quibus auctoribus usus est *Nicephorus*, falsis rumoribus deceptos, has de *Athanasio* nugas venditasse. Misso enim *Eusebii* chronico; quod multis scatere mendis norunt eruditi, ex supputationibus *Pagii* constat, *Alexandrum* creatum esse Episcopum anno CCCXIII. *Athanasium* vero ei suceessisse anno CCCXXVI. Si ergo ponamus, tricesimum annum vix attigisse *Athanasium* cum ad Episcopatum evectus est (ex canonibus enim antiquis ante hanc aetatem Episcopum fieri non licebat) atque id quod *Socrates* narrat contigisse primo anno Episcopatus *Alexandri*, jam tunc *Athanasius* decimum octavum agebat annum, ac proinde

proinde puer esse non poterat; nec adolescens id aetatis, tanto ingenio, ac pietate, res sacras per ludum attrectasset.

℟. 2.° Si vera narrat *Socrates*, ideo baptismum ab *Athanasio* datum fuisse ratum, quia re mature perpensa, constitit, Athanasium vere id facere voluisse, quod facit Ecclesia, ex ipso enim *Socrate Athanasius* non quoscumque pueros, sed solos catechumenos baptizavit, licet eam actionem animi oblectandi gratia peregerit.

Objic. IV. Augustinus *Lib. VII. de Baptis. cap.* 53. proposita quaestione, utrum ratum habendum sit Baptisma datum in mimo, respondet: *Ubi autem neque societas ulla esset credentium, neque ille, qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre, et mimice, joculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum concordi oratione, et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem.* Ergo.

℟. Hoc divinum judicium Ecclesia in Concilio Tridentino protulit, cui haud dubie *Augustinus* acquievisset, qui toties Donatistis, *Cypriani* auctoritate se tuentibus, opponit *Concilii pleuarii* definitionem. Interim confidentiam Protestantium mirari subit; quod enim *Augustinus* ante Ecclesiae definitionem cum modesta dubitatione proponit, id ipsi contra Ecclesiae judicium audacter asserunt.

Objic. V. Sacramenta ex Catholicorum sententia agunt *ex opere operato*. Ergo intentionem ministri non requirunt, ut rata sint.

℟s *Neg. cons.* Opus enim *operatum* est *actio sacramentalis* facta cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

PRO-

PROPOSITIO VI

Magis est consentaneum Ecclesiae sensui, irritum esse sacramentum a ministro datum, qui omnem ritum externum serio peragit, interius autem statuit, se nolle facere quod facit Ecclesia.

Prob. I. Ex definitione *Alexandri VIII.* qui anno *MDCXC. 7. Decembris* hanc inter alias propositionem damnavit *num. XXVIII. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus tamen in corde suo, apud se resolvit: non intendo facere, quod facit Ecclesia*, Nec est quod *Jueninus*, *Contensonus*, aliique reponant, in damnata propositione non explicari, utrum minister serio, an ludicre ritum externum servet, adeoque damnatam esse in sensu *Lutheri*. Primo enim *Lutheri* sententia jam damnata in Concilio Tridentino non indigebat, ut denuo damnaretur inter propositiones, quae a recentioribus quibusdam Doctoribus vulgabantur. Deinde patet, propositionem intelligendam de eo, qui ritum externum peragit *serio*; ait enim propositio *intus in corde suo, apud se resolvit etc.* quod dici non potest de eo, qui etiam exterius irrisionem sacramenti profitetur.

Prob. II. Ex *Missalis* Romani *Rubricis*, ubi haec habentur §. 7. *De defectibus* : *Si quis habeat coram se undecim hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit, non consecrat quia requiritur intentio.* Nec audiendus est *Druen*, cum regulas illas ait, non esse habendas, ut Ecclesiae definitiones; non enim eas, ut dogma fidei obtrudimus, sed negari non potest, argumentum inde promi gravissimae auctoritatis, et ponderis; cum Sum. Pontificum auctoritate post maturum examen prodierint, et ab universa Ecclesia Latina sint receptae.

Prob. III. Auctoritate S. Thomae 3. *P. Q. LXIV. art*, 10. Ait enim: *Dicendum, quod intentio ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisorie aliquid agere, et talis perversitas tollit veritatem*

tatem sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Quibus verbis postremis agnoscit, tolli veritatem sacramenti, etiam cum haec intentio non se prodit exterius.

Prob. IV. Concilium Tridentinum, et praecedentes S. Pontifices, praeter ritum externum, *intentionem* requirunt *faciendi quod facit Ecclesia*, ut sacramentum valeat. Atqui is, qui externum celebrat ritum, habet sine dubio intentionem illum celebrandi; quis enim sanus libere facit, quod facere non intendit? Ergo praeter intentionem illam, qua quis externum ritum peragere velit, requirunt in ministro intentionem celebrandi ritum illum, ut ab Ecclesia celebratur. Imo Tridentinum *Sess. XIV.* 6. distinguit intentionem ritum externum etiam serio peragendi, ab intentione faciendi quod facit Ecclesia, et utrumque ad valorem sacramenti satis ostendit esse necessarium; ait enim, Sacramentum Poenitentiae non perfici, *si sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit.* Ergo etc.

Objecta diluuntur.

Objic. I. Minister, qui libere, et serio peragit externum Sacramenti ritum, vult illum peragere; licet interius dicat, *nolo ritum hunc peragere*, sicut qui libere ambulat, ambulare vult, licet interius dicat: *nolo ambulare* At Ecclesia nihil aliud facit, nisi ritum externum. Ergo qui ritum externum libere, et serio peragit, vult facere quod facit Ecclesia, quamvis id se nolle interius animo proponat. Haec autem voluntas sufficit ad valorem sacramenti. Ergo.

℟ *Dist. maj.* Qui libere, et serio peragit ritum externum Sacramenti, vult illum peragere, vel ut sacrum, vel ut profanum, *conc.* Ut sacrum necessario, *neg.* *Dist. etiam min.* Ecclesia facit externum ritum, ut sacrum, et a Christo institutum, *conc.* Ut profanum, *neg.* Quare *nego cons.* Ritus enim sacramenti cum sit indifferens, ab intentione operantis ad sacrum ritum à Christo institutum, et ab Ecclesia servatum dirigi, sive determinari debet.

Objic. II. S. Thomas 3. *P. Q. LXIV. art.* 8. *ad* 2. du-

dubitanti de valore sacramenti, eo quod non constat de intentione ministri, sic respondet: *Est duplex opinio; quidam dicunt quod requiritur mentalis intentio in ministro; quae si desit non perficitur sacramentum... Alii melius dicunt, quod minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cujus est minister. In verbis autem quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis sacramentum.* Ergo ex *S. Thoma* interior mentis intentio faciendi quod facit Ecclesia, ut sacrum, non est ad Sacramenti valorem necessaria.

℟. *Nèg. cons.* Ipse enim S. Thomàs *art.* 10. ejusdem quaestionis contrarium docet, ut supra vidimus, quare ut concilietur cum loco sat difficili in objectione recitato, respondeo, ex S. Doctore sufficere ad valorem sacramenti, si minister libere et serio faciat, quod ab Ecclesia ut sacrum fieri novit, atque ab illa externa ministri actione recte argui interiorem ejus voluntatem, quemadmodum in eo, qui furatur, *praesumitur*, et intelligitur voluntas peccandi, licet *mentalem*, seu expressam peccandi intentionem non habeat. Et ex hoc infert, dubitationem, quae oriri posset de intentione ministri, abjiciendam, ut imprudentem, dum minister exterius non profitetur, habere se intentionem Ecclesiae contrariam.

Objic. III. Augustinus *Lib VII. de Bapt. cap.* 53. hanc proponit quaestionem: *Si tradens, et accipiens fallaciter agunt in ipsa unitate Ecclesiae, utrum hoc magis baptisma acceptandum sit, an illud quod in mimo datur, si quis exstat, qui fideliter subito commotus accipiat... Si enim*, inquit, *nihil interest ad integritatem sacramenti in ipsa catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utrique agant* (scilicet tradens, et accipiens) *cur extra intersit, non video; quando ille, qui accipit, non simulatione palliatus, sed religione mutatus est.* Paucis vero interjectis ait: *Sic ut jam praeteritis majorum statutis non dubito, etiam illos habere baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiunt, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur Ecclesia.* Ergo ex *Augustino* valet baptismus *fallaciter*, hoc

hoc est, animo simulato, et sine ulla intentione datus, modo id non fiat in animo; de hoc enim se dubitare ait.

Resp, 1.° *Berti*, intelligi *Augustinum* de sola simulatione accipientis, sed id non congruit verbis *Augustini*, qui ponit, dantem et accipientem in Ecclesia fallaciter agere.

Resp. 2.° *Bellarminus*, Augustinum non rem definita sententia pronuntiare, sed dubitationem modo proponere. Immerito autem *Bellarminum* carpit *Juenin*; revera enim *Augustinus* eo loco ait: *sed nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in Catholico regionali concilio coepta, nulla plenario terminata sunt.*

Communior responsio est, *Augustinum* nomine baptismi *fallaciter* dati, atque accepti in Ecclesia, non intelligere baptipsum simulata intentione datum, sed simulata fide, quam simulationem alibi ipse *Augustinus fictionem* appellat. Hanc autem esse *Augustini* mentem, ex eo manifestum est, quod hunc baptismum fallaciter acceptum ait, esse ratum ex *praeteritis, majorum statutis*. Quaenam autem sunt haec statuta, nisi ea, quibus definitum est, valere baptismum datum ab haereticis, et peccatoribus sive apertis, sive occultis? Non enim ullis majorum statutis, nec ante, nec post *Augustini* aetatem declaratum est, valere baptismum datum, aut acceptum sine intentione faciendi rem sacram, quam facit Ecclesia, imo ex intentione contraria.

Objic. IV. Valet baptismus datus a Judaeo, et Pagano, imo et atheo. Atqui isti haberi non possunt intentionem faciendi rem sacram, cum eam superstitiosam putent. Ergo.

℟. *Neg. min.* Licet enim atheus baptismum Christianorum esse rem sacram divinitus institutam non credat, potest tamen habere intentionem faciendi ritum illum, quem novit, ab Ecclesia ut sacrum haberi, licet ipse eum superstitiosum putet; quod si nec illud intendat, irritum erit baptisma.

Objic. V. *In Propositione IV.* demonstratum est, non esse necessarium, ut minister velit facere Sacramen-

tum

tum. Atqui haec ipsissima est *Catharini* sententia, ut docet *Tournely*. Ergo male nunc impugnatur.

℟. *Neg. min.* Aliud enim est, ministrum velle, ut ex actione sua fiat id, quod *formaliter* sacramentum dicitur, aliud velle actionem facere, quam scit ab Ecclesia haberi ut sacram, licet ipse minister non credat, nec velit eam esse Sacramentum. Hoc posterius in hac propositione necessarium esse probavimus; prius illud non esse necessarium ad Sacramenti valorem, diximus *prop. IV*. Male autem *Catharini* sententiam emollire studuit Tournely *Quaest. VII. de Sacr. in gen. art. 1.* Ipse enim *Catharinus* in *Opusculo de intentione*. valere ait baptismum, etiamsi minister *aliud servet in animo, ita ut intendat derisorie baptizare*, nec aliam requirit intentionem, nisi quae ab externo ritu inseparabilis est.

Objic. VI. Ecclesia visibilis est, ac proinde visibilibus constare debet membris; at visibilis non esset, si valor baptismi ab interna ministri intentione penderet. Ergo.

℟. *Neg. min.* In verbis enim, quae profert minister serio ritum sacramenti peragens, exprimitur ejus intentio, ut si contrarium exterius non probat, non possit prudenter dubitari, ipsum intentionem intus habuisse contrariam, et *moraliter* certum sit, eos qui ita baptizati sunt, revera esse baptizatos; haec autem moralis certitudo sufficit, ut Ecclesia sit visibilis; in omnibus enim rebus humanis non absoluta, sed moralis certitudo quaerenda est.

Scholion.

Quamvis minister intendat facere quod facit Ecclesia, sive secta Lutherana, Sociniana etc. valet Sacramentum. Illae enim sectae id utique facere intendunt quod facit vera Christi Ecclesia, quam esse Lutheranam, Socinianam etc. falso sibi persuadent.

Corollaria.

I. Ergo si constet, ministrum non habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sacramentum esset saltem sub conditione repetendum. II.

II. Quia non semper constare potest, ministrum hac intentione caruisse, saepe enim fieri potest, ut minister intentionem quidem habuerit sufficientem, sed noluerit sacramentum, aut sacramenti effectum operari, imo statuerit sacramento abuti ad magicas artes, aut ad alium finem impium, qui in caussa licet sacrilege, *valide* tamen conficit sacramentum; hinc cum agitur de iterandis sacramentis, quae characterem imprimunt, consulendus est Episcopus.

III. Sententia *Catharini* etiam si solidis staret fundamentis, cum tamen nostra communior, et tutior sit, nullam in praxi haberet usum, cum damnata sit ab *Inn. XI.* illa prop. *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore.*

PROPOSITIO VII.

Ut minister sacramentum licite conficiat, et ministret, intentionem habere debet non modo conficiendi sacramentum, sed et per illud sacramentales effectus operandi.

Prob. Ut sacramentorum minister munere suo rite fungatur, ac *licite*; debet ea velle, quae vult Ecclesia, et Christus, cujus ipse minister est. Atqui Christus, et Ecclesia id volunt in celebratione externi ritus, scilicet fieri Sacramentum, et gratiam praeberi. Ergo.

Scholion.

Licet laudabile sit, ut minister haec omnia *explicite*, et distincte sibi animo proponat; sufficit tamen ut *implicite*, et confuse statuat ea facere, quae facit Ecclesia, idque eo fine, quem Ecclesia propositum habet, et intendit. Vide *Colet Tom. IV.* Cum enim satis de ministro Sacramentorum dixerimus, ut de *subjecto* etiam dicamus, ordo postulat disciplinae.

CA-

CAP. VIII.

De Subjecto Sacramentorum.

Adv. S*Ubjectum* Sacramenti ille dicitur in scholis; cui sacramentum ministrari potest. Quaeritur ergo, quodnam illud sit, et quas habere debeat dispositiones, ut sacramenta, vel valide, vel licite, et cum fructu recipiat.

PROPOSITIO I.

Solus homo viator est sacramentorum subjectum.

Prob. Christus Apostolos misit, ut homines viatores, non autem creaturas alias initiarent; eis enim praeberi voluit meritum passionis suae per sacramenta, pro quibus passus est; passus est autem pro solis hominibus, et quidem adhuc viatoribus. Ergo solus homo viator sacramentorum subjectum est (*a*). Unde Christus Apostolos ad baptizandas omnes gentes, sive homines viventes misit *Matth. XXVIII.* ideoque haec etiam propositio ad fidem pertinet.

PROPOSITIO II.

Homines rationis impotes aliqua sacramenta valide recipiunt, non aute m omnia. Est dogma fidei.

Prob. 1*a. pars.* Infantes, et amentes, qui numquam rationis fuerunt compotes, valide accipiunt baptismum, ut contra Anabaptistas ostendemus suo loco, imo et Confirmationem, et Eucharistiam, ut patet ex Ecclesiae

(a) Disputatum est inter eruditos, quid sit *Baptismus pro mortuis*; de quo loquitur Apostolus *II. Cor. XV.* Vide E. stium *in Comment.* Cotelerium *in Notis ad Herman.* Albaspinaeum in *Observationibus.*

siae praxi, quae hacc tria sacramenta olim simul tradebat infantibus. Ergo.

Prob. 2a. pars. Infantes, et amentes ab infantia, qui numquam usum rationis habuerunt, *valide* non recipiunt sacramentum Poenitentiae, cum ejus materia sint poenitentis actu, nec Extremam Unctionem, cum haec in homine reliquias peccatorum *actualium* abstergat, nec matrimonium, cum requirat utriusque partis deliberatum consensum, nec denique ordinem (ut saniores censent Theologi, paucis repugnantibus); cum requirat voluntatem amplectendi clericalem statum. Ergo.

PROPOSITIO III.

Adulti, qui vel sunt, vel aliquando fuerunt rationis compotes, ut valide sacramenta suscipiant, habere debent aliquam intentionem, sed sufficit aliquando habitualis, et aliquando etiam interpretativa.

Prob. 1a. pars. Ecclesia numquam sacramenta ministravit adulto, qui suae rationis aliquando compos fuisset, nisi voluntatem suam ante significasset, ut statuit Concilium Carthaginiense *IV. Can.* 34. Arausicanum I. *Can.* 12. Aurelianense III. *Can.* 7. Innocentius III. *in Cap. Majores. De Bapt.* et Paulus V. in Rituali. Ergo necessariam putavit in adultis intentionem suscipiendi sacramenta; nec immerito; cum sacramenta sint quaedam religionis professio, quae sine motu voluntatis fieri non potest.

Prob. 2a. pars. Exceptis Sacramentis Matrimonii, et Poenitentiae, quae actus *subjecti* requirunt *moraliter praesentes*, cum ipsi actus sint ex multorum sententia eorum Sacramentorum materia; reliqua sacramenta *validè* ministrantur dormientibus, amentibus etc. qui voluntatem ea suscipiendi antea significaverint, ut patet ex Ecclesiae praxi. Atqui ea voluntas non est nisi *habitualis* intentio. Ergo.

Prob. 3a. pars. Sacramentum Extremae Unctionis moribundo ministratur sensibus destituto, licet illud antea non petierit. At ejus intentio non est nisi *interpretativa*; eo ipso enim quod Christianus est, censetur velle

velle iis uti adjumentis, quae Christus ad fidelium salutem instituit. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Legimus in Historia Ecclesiastica, Judaeos aliquando coactos fuisse baptismum suscipere, ut testatur *Gregorius M. Lib. III. Epist.* 45. et Gregorius Turonensis *Lib. VI. Hist. Franc. cap.* 17. Saxones etiam a *Carlo M.* inviti ad Baptismum coacti sunt. Ergo ad sacramenta suscipienda non requiritur *subjecti* intentio.

℟. *Dist. ant.* Coacti sunt coactione imperfecta, quae non aufert voluntarium, *conc.* Coactione absoluta, *neg.* Itaque infideles isti licet *secundum quid* baptizari noluissent, minis tamen perterrefacti maluerunt baptismum suscipere, quam perferre supplicia. Vetuit tamen Ecclesia, sic baptizari infideles, ideoque si qui secus fecerunt, ipsi viderint facti sui rationem.

Objic. II. Non pauci ad Sacerdotium inviti, et reluctantes promoti sunt, atque ordinati in veteri Ecclesia, ut *Paulinianus* frater *Hieronymi*, quem invitum, ac reluctantem *Epiphanius* jussit per Diaconos apprehendi, et ore ejus compresso, ne reclamaret, ordinavit, ut ipse scribit in *Epist. ad Joan. Hierosolymitanum apud Hieron.* Ergo.

℟. *Dist ant.* Ordinati sunt inviti *secundum quid*, *conc. Absolute*, *neg.* Viri enim illi pietate insignes, quos certum erat divinitus vocatos ad Sacerdotium, quia se tanto honore judicabant indignos, sacerdotium fugiebant; at non deerat illis generalis voluntas fideliter exequendi quidquid Deus ab illis fieri voluisset; ideoque et tunc quamvis moerentes eos consensisse putandum est.

Scholion.

Objectum intentionis in eo, qui Sacramentum suscipit, idem omnino esse debet, quod de *objecto* intentionis ministri supra diximus *Cap. praec.* Uno verbo; sufficit hominem velle ritum illum recipere, quem Ecclesia celebrat uti sacrum, licet illum esse Sacramentum, aut effectum ullum producere non credat. Ita Innocentius III. *Cap. Majores. De Bapt.* declarat, Judaeos valide in Hispania baptizatos, licet protestarentur, noluisse se sacramentum recipere. Aliter tamen de licita Sacramenti susceptione sentiendum est.

PROPOSITIO IV.

Ut Sacramenta vivorum licite recipiantur, requirunt in homine statum gratiae sanctificantis: ut vero licite recipiantur sacramenta mortuorum, necessaria sunt in adultis fides, spes, et charitas.

Prob. Sacramenta vivorum sunt, quae supponunt animam spiritu Christi viventem; hinc ex ipsa eorum natura constat, sacrilegium esse ad ea accedere in statu peccati mortalis, quod quidem de nonnullis sacramentis dogma fidei est, ut suo loco dicemus. Quod autem sacramenta mortuorum fidem, spem, et charitatem in homine requirant, inde manifestum est, quia sacramenta mortuorum ea sunt, quae hominem spiritualiter mortuum vivificant, hoc est, justificant impium. Atqui ad justificationem impii fidem, spem, et charitatem necessaria esse docuimus *Lib. VII. Cap.* 18. ex Tridentino *Sess. VI. Cap.* 6., et ostendemus etiam inferius. Ergo.

CAP.

CAP. IX

De ceremoniis sacramentorum, et de sacramentalibus.

Ad. I. CEremoniae dicuntur ritus ab Ecclesia instituti 1.° ut sacramentorum nostrorum commendetur, ac servetur dignitas: 2.° ut per eas fidelis populus sacramentorum invisibiles effectus intelligat: 3.° Nonnullas etiam instituit Ecclesia ad fidelium sanctificationem, quae ob quamdam similitudinem, quam cum sacramentis habent, dicuntur *sacramentalia*.

II. Novatores negant, esse in Ecclesia potestatem instituendi ceremonias, easque contemnunt uti vanas, imo superstitiosas.

PROPOSITIO I.

Ecclesia potestatem habet instituendi ceremonias, easque revera instituit. Est dogma fidei, quoad primam partem

Prob. Ecclesia quovis saeculo in Sacramentorum administratione ceremonias adhibuit. 1.° Enim Apostolus I. *Cor. XI.* 34 ait, se dispositurum quae ad Eucharistiae administrationem pertinent: *Cetera*, inquit, *cum venero*, *disponam*. 2.° Justinus saeculo II. *Apolog. II.* multorum meminit rituum, qui in Eucharistiae celebratione ab Ecclesia servabantur. Tertullianus saeculo III. *Lib. de Bapt.* refert varias baptismi ceremonias. Idem facit *Cyrillus Hierosolymitanus* IV. saeculo in suis *catachesibus*. Augustinus vero contra Pelagianos peccatum originale demonstrat ab exorcismis, et exsufflationibus, quibus Ecclesia ex Apostolica traditione praeparare catechumenos ad Baptismum consueverat. *Gregorii M. Sacramentarium*, et *Euchologia* Graecorum, et *Liturgiae* testantur, multas, quas adhuc servat Ecclesia, ceremonias, jam ante mille annos esse institutas. Ergo si Ecclesiae non fuisset potestas instituendi ceremonias, earumque usus vanus esset, ac superstitiosus, jam inde a primo saeculo defecisset, quod est absurdum.

 Hinc

Hinc ipsi aequiores Protestantes Ecclesiae potestatem instituendi ceremonias non negant, ut patet ex *Confessione Augustana reformata anno MDXL. art.* 15. *Confessione Saxonica* apud *Cassandrum Consult. XV.* Oecolampadio *in Epist. ad Erasmum Ritterum* apud Hoffmeisterum, in *Harmonia Confess. August.* Grotio in *Notis ad Cassandrum Tom IV.* Merito ergo Tridentinum *Sess. XXI. Cap.* 2. declarat, potestatem habere Ecclesiam ritus, et ceremonias Sacramentorum, salva eorum substantia, instituendi; et *Sess. XXII. can.* 7. anathemate percellit eos, *qui dixerint, ceremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis* (a).

PROPOSITIO II.

Ceremoniae ab Ecclesia statutae non possunt sine peccato omitti extra causam necessitatis, aut per quemcumque Ecclesiae ministrum mutari. Est dogma fidei.

Prob. ex Praecedenti. Si enim Ecclesiae potestas est statuendi ceremonias, eas servare debent Ecclesiae ministri, atque ideo peccant, si negligant. Hinc Concilium Tridentinum *Sess. XII. can.* 13. *Si quis dixerit, receptos, et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti aut novos alios per quemcumque Ecclesiae pastorem mutari posse, anathema sit.*

Erit quidem peccatum gravius, aut levius pro gravitate, aut levitate materiae, contemptu, aut scandalo. Sed omittere Ecclesiae ceremonias in sollemni admi-

(a) De ceremoniis generatim late disputat Bellarminus *Lib. II. De Sacr. Cap.* 29. *et seq.* Singulas vero ceremonias, ac ritus erudite illustrarunt *Josephus Vicecomes. Edmundus Martene, Joan. Morinus. Mabillonius, Gedrius, Grancolas*, aliique viri doctissimi.

ministratione sacramentorum peccatum est natura sua grave.

PROPOSITIO III.

Antiquus est in Ecclesia usus sacramentalium.

Prob. Quatuor *sacramentalia* numerantur, scilicet benedictio Episcopalis, aqua benedicta, panis benedictus, sive *Eulogiae*, et publica generalis confessio peccatorum; nam alia duo scilicet oratio Dominica, et largitio eleemosynae, quas vulgo inter *sacramentalia* recensent, potius actus virtutum sunt, quam *sacramentalia.* Atqui quatuor, quae *sacramentalia* diximus, antiqua sunt in Ecclesia. Nam 1.° benedictionis Sacerdotum frequens occurrit mentio tum in veteri lege *Genes. XIV.* 19. et *Num. VI.* 23. tum in nova. A tempore enim Apostolorum Presbyteri, et Episcopi benedicere consueverunt, unde in ipso ritu ordinationis Presbiterorum antiquissimo ostenditur, eorum munus esse *benedicere.*

2.° Aqua etiam benedicta tum quae sollemni baptismo destinatur, et consecratur pridie Paschae, et Pentecostes, tum quae destinatur communi fidelium pietati, antiquissimi est usus, cum prioris meminerint vetustissimi Patres, tamquam ex Apostolica traditione servatae, posterioris vero *Euchologia* Graecorum, et vetus *Ordo Romanus* a *Mobillonio* editus. Constat etiam ex *Capitularibus Francorum Lib. VII. tit.* 26. ex *Hincmaro* Rhemensi, aquam hanc benedictam fideles domum asportare consuevisse, ut ea benedicerent escas, agros, pecora, etc. et daemonum infestationes fugarent.

3.° Panis benedicti, seu *Eulogiarum*, tum in Graeca, tum in Latina Ecclesia frequentissimum, et antiquissimum esse usum, nemo ignorat. Ejus meminit Augustinus *Lib. II. de peccatorum meritis cap.* 26. Paulinus Nolanus *Epist. XXV. inter Augustinianas.* Concilium Laodicaenum *Can. LXXXII.* etc. Institutus autem est ad eorum solatium, qui Eucharistiam aliqua ex causa accipere non possent; ut ita vel per ipsam panis Eucharistici manducationem; vel per *Eulogias* fideles omnes uni

uni sacrificio communicantes, unitatem totius Corporis Christi, quod est Ecclesia, profiterentur.

4.° Confessio etiam publica, et generalis peccatorum, quae initio Missae, ante communionem, et aliis caussis fit vel ab Ecclesiae ministris nomine totius populi adstantis, vel ab ipso populo ante Episcopalem benedictionem, antiquissima est, ut ex veteribus *Liturgiis* Graecis, et Latinis constat. Vide Card. Bona *Lib. II. cap.* 3. *n.* 4. *et seq.* Grancolas *Lib. de antiqu. Liturgiis*, et alios, qui hac de re erudite scripserunt. Ergo antiquus est in Ecclesia Sacramentalium usus.

PROPOSITIO IV.

Sacramentalia non praebent gratiam ex opere operato.

Prob. Ut signum aliquod sensibile gratiam *ex opere operato* praebeat, requiritur institutio divina. Solus enim Deus tantam sensibilibus signis virtutem dare potest *ex Cap. V.* §. 6. Atqui sacramentalia non a Christo instituta sunt, sed ab Ecclesia. Ergo. Ita Sylvius *in* 3. *P. Q. LXXXVII. art.* 3. Estius, et alii contra *Scotum*, aliosque, qui aquae benedictae virtutem tribuunt remittendi peccata venialia *ex opere operato.*

Corollarium.

Ergo Sacramentalia nonnisi *ex opere operantis remote* sanctitatem producere valent. Nimirum ex precibus Ecclesiae vim habent impetrandi iis, qui pie his ritibus usi fuerint, *actuales* gratias, quibus facilius charitatis, et contritionis motum concipiant, quo vel doleant peccata, vel gratia augeantur. Hinc Estius *in IV. Dist*: 1. §. 15. *Sunt enim*, inquit, *haec omnia, vel pleraque eorum tamquam orationes quaedam visibiles, et perpetuae ad impetranda Dei beneficia, pro quibus consequendis sunt consecrata.* Vide etiam Contensonum *Lib. XI. part.* 3. *Dissert. unica cap.* 1. *corol.* 3. et alios

PARS.

PARS II.

DE BAPTISMO.

CAP. I.

De nomine, et definitione Baptismi.

I. HActenus de sacramentis generatim. Nunc de singulis est dicendum. Primum quidem Baptismus, *unde incipit omnis fidei origo, et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio*, ut loquitur Cyprianus *Epist.* ad *Jubajan.* tribus potissimum nominibus a sacris Scriptoribus designatur, prout ejus vel materia, vel forma, vel effectus spectantur. A materia enim Apostolus vocat *lavacrum aquae Ephes. V.* 25. et Tertullianus, *undam genitalem Lib. de Bapt.* A forma idem Tertullianus *Lib. de poenit. cap.*6. *obsignationem fidei*, et Concilium Tridentinum *Sess. VI. cap.*7. *Sacramentum fidei.* Denique ab effectis Apostolus *Tit. III.* 5. baptismum ait esse *lavacrum regenerationis, et renovationis*, Graeci vero passim *sacramentum illuminationis*; attendentes utique ad illud Apostoli *Heb.IX.*4. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati . . . et prolapsi sunt, rursus renovari.*

II. Quin Baptismum verum legis novae sacramentum sit, ne inter ipsos quidem Protestantes ulla dubitatio est. Adest enim ritus sensibilis, et gratiae promissio, unde *lavacrum regenerationis* dicitur. Nec deest divina institutio *Matth. XXVIII.* 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc. Joan. III.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

III. Definitur autem Baptismus : *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*, quam definitionem ex Apostolo *ad Tit. III. et Ephes V.* Catechismus Romanus mutuatus est. A S. Thoma dicitur : *Ablutio exterius facta sub praescripta forma verborum* ; a Theologis aliis : *Sacramentum novae legis ad spiritualem regenerationem a Christo institutum.*

IV.

IV. Quae autem de baptismo dicturi sumus, in octo capita partiemur; dicemus enim 1.° de ejus materia, 2.° de forma, 3.° de auctore, 4.° de ministro. 5.° de *subjecto*, 6.° de effectibus, 7.° de necessitate; 8.° tandem de ceremoniis.

C A P. II.

De materia Baptismi tum remota tum proxima.

§. I.

De remota Baptismi materia.

Missis Mabichaeorum nugis, qui ab aqua, *Adv.* quasi a malo orta principio, abhorrentes baptismum igne ministrabant, quorum magis miseranda caecitas, quam refutandus error; Lutherus *in colloquiis Symposiacis* dubitavit primum, utrum baptismus non aqua, sed alio liquore ministratus valeret, remque ait divino judicio committendam; deinde factus audacior eodem libro asseruit, lacte, vino, cervisia, denique quocumque liquore, quo ablutio fieri posset, ministrari recte posse baptismum. Id vero Protestantium doctrinae consentaneum est: si enim sola hominem justificat fides, quidquid eam fidem excitare potest, eumdem effectum habet. Hinc *Calvinus* et *Beza* ad metaphoram detorquent quod ait Christus *Joan. III. nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc.

P R O P O S I T I O.

Aquam veram, et naturalem esse materiam remotam necessariam Baptismi, dogma fidei est.

Prob. I. Solam aquam veram, et naturalem Christus instituit Baptismi materiam. Inquit enim *Joan. III.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod autem hic vera, et naturalis aqua intelligenda sit, patet, tum ex eo quod aquae nomen simpliciter usurpatum pro praecipua aquae specie, quae est aqua vera et naturalis, accipitur, tum ex eo quod Apostoli ipso Christi ore edocti, nonnisi veram, et naturalem aquam in baptizan-

zando adhibuerunt. Sic Petrus *Act. X.* 47. cum vidisset in totam *Cornelii* familiam effusa Spiritus Sancti dona, *numquid* inquit, *aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* et Act. VIII. 36. *dum irent per viam* (Philippus et Eunuchus) *venerunt ad quamdam aquam: et ait Eunuchus: ecce aqua, quid prohibet me baptizari? . . . et descenderunt uterque in aquam Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.*

Prob. II. Patres omnes affirmant, Christum a Joanne baptizatum, ut contactu suae sanctissimae carnis aquae tribueret sanctificandi virtutem. Atqui aqua vera, et naturali Christus a Joanne baptizatus est. Ergo etc.

Prob. III. Ecclesia pro certo semper habuit, naturalem aquam necessariam esse baptismi materiam; aquam enim naturalem semper in baptismo adhibuit, eosque, qui aquam in baptismo repudiabant, damnavit ut haereticos, quales fuerunt *Cajani*, *Manichaei*, *Seleuciani*, *Cathari* etc. Vide Tertullianum *Lib. de Bapt. cap.* 1. et Augustinum *Lib. de haeresibus cap.* 47. *et* 59. Idipsum definivit Innocentius III. *in cap. Majores. De Bapt.* et Eugenius IV. *in Decreto.* Jure igitur Tridentinum *Sess. VII. can.* 2. De Baptismo ita definivit. *Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque adeo verba illa D. N. J. C. nisi quis renatus fuerit ex aqua etc. ad metaphoram detorserit, anathema sit.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. *Stephanus* II. de quodam Presbytero, qui deficiente aqua, baptismum vino ministraverat, respondit: *Nulla ei adscribitur culpa, infantes sic permaneant in ipso Baptismo.* Narrat etiam Nicephorus *Hist. Lib. III. cap.* 37. Judaeum, deficiente aqua, baptizatum esse arena. Ergo non ita necessaria videtur aqua ad baptismum, ut ejus defectus alia materia suppleri non possit.

℟. *Neg. cons.* Data enim veritate decreti *Stephani* II. quod Critici rejiciunt ut apocryphum (tum quia in Collectionibus canonum Gallicanae, et Romanae Eccle-

siae non legitur, tum quia *in* tribus codicibus, qui illud habent, tribus diversis Pontificibus tribuitur) non fuerat Pontifex de valore Baptismi interrogatus, sed de poena irroganda Presbytero, qui sic illum ministraverat, ut patet ex ipso decreti contextu: ait enim, nullam Presbytero culpam adscribi, si ideo *in vino* baptizavit, quia aqua non aderat; *Nam si aqua*, inquit, *adfuit praesens, excommunicetur, et poenitentiae submittatur*. Verba autem illa: *infantes sic permaneant in ipso baptismo*, vel per amanuensium oscitantiam irrepserunt in textum, vel ita legenda sunt: *nulla ei adscribitur culpa, si infantes sic permaneant in baptismo*.

Ad 2m. Si vera narrat *Nicephorus*, baptismus ille irritus fuit.

Objic. II. cum *Seleucianis apud Augustinum Lib. de haeresib. cap.* 59. De Baptismo Christi dicitur Luc. III. 16. *Ille vos baptizabit Spiritu Sancto, et igni*. Ergo potest ignis esse materia baptismi.

℟. *Neg. cons.* Verba enim illa intelliguntur per metaphoram, vel de igne charitatis, qui spiritalis effectus est Baptismi, vel de missione Spiritus Sancti, qui super Apostolos in specie ignis descendit; quod congruit verbis Christi *Act. I.* 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies*.

Inst. Ergo merito *Calvinus* verba illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, per metaphoram intellexit; si enim ignis per metaphoram accipitur, quidni et aqua?

℟. *Neg. seq.* Tum quia aquam nec Apostoli, nec Ecclesia per metaphoram explicavit, ignem vero nonnisi per metaphoram Ecclesia semper accepit: tum quia, ut advertit Estius *in IV. Dist. III.* §. 7. ex ipsa utriusque loci comparatione quaedam differentia se prodit: in primo enim dicitur: *ille vos baptizabit Spiritu Sancto, et igne*, ubi ignis Spiritui Sancto postponitur, quasi quidam ejus effectus; contra vero in posteriore loco aqua postponitur Spiritui Sancto: *Nisi quis*, inquit, *renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto*.

6o-

Corollaria.

I. Aqua maris, fluminum, fontium, pluvia imo quocumque modo etiam cinere, aut *mineralibus* particulis imbuta, ad coquendas etiam carnes adhibita, modo tantam non contraxerit spissitudinem, ut speciem mutaverit, semper vera et naturalis censetur aqua, atque ideo ad baptismum ministrandum idonea.

II. Aqua vero ex herbis, floribus, fructibus, aliisque, corporibus expressa, non naturalis aqua, sed artificialis est, et baptismo inepta. Sed quia non desunt qui putent, maximam iis in liquoribus esse partem aquae naturalis, dubia materia est, ideoque in extremae necessitatis caussa adhiberi potest.

Scholion.

Cur Christus solam definivit aquam naturalem ut baptismi elementum? 1.° Quia sic voluit, 2.° quia haec significandis baptismi effectibus est aptissima, 3.° quia communior est, et inventu facilior; non enim possunt vivere homines, ubi aqua non est.

§. II.
De proxima Baptismi materia.

Adv. I. Pproxima Baptismi materia est ablutio, quae tribus modis fieri potest, mersione, effusione, aspersione.

II. Graeci Schismatici Latinam Ecclesiam erroris arguunt, quod hodie baptismum non ministret immersione, quam putant ad valorem baptismi necessariam.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, valere Baptismum sive immersione, sive effusione, sive adspersione datum, modo sufficiens sit ablutio.

Prob. 1a. *pars.* Ecclesia per XIII. saecula baptismum trina immersione ministravit ad mysterium Trinitatis significandum, ut constat ex Canonibus, qui dicuntur *Apostolici Can. L.* Tertulliano *Lib. de coron. mil. cap.* 3. Ambrosio *Lib. II. de Sacram. cap.* 7. Leone M. Hieronymo; denique, ut alios omittamus innumeros, ex. *S. Thoma*, qui saec. XIII. adhuc vigere baptismum per immersionem, testatur 3. *P.Q.LXVI. art.* 7. Idem etiam constat ex veteribus Libris *Ritualibus* tum Graecis, tum Latinis. Vide Martene *Lib. I.cap. I. art.* 14. Josephum Vicecomes *Lib. IV. Cap.* 6. Menardum *in notis ad Sacramentar. Gregorii.* Licet autem nonnulli Hispaniarum Episcopi sexto saeculo mersionem unam adhibuerint, ut os obstruerent Arianis, qui ex triplici baptismi mersione tres divinas esse substantias stulte concludebant, ut perspicuum est ex Epistola Gregorii M. *ad Leand. Hispal. Lib.I. Epist.* 43. qua baptismum probat sive una, sive terna mersione datum; tamen quod ad mersionem ipsam pertinet, numquam a communi more deflexerunt Hispani. Ergo ex traditione constat, valere Bptismum immersione datum.

Prob. 2a. *et* 3a. *pars.* Ecclasia non ita judicavit necessariam immersionem in Baptismo, ut non probaverit etiam aspersionem, vel infusionem. Ita 1.° quamvis *Clinici*, id est qui graviter decumbentes infusione, vel aspersione baptizabantur, si postea convaluissent, promoveri ad ordines prohiberentur ex Concilio Laodicaeno *Can. XII.* nisi insigni commendarentur pietate, eo quod potius metu mortis, quam charitate ad religionem compulsi videbantur, numquam tamen iterum baptizati sunt; unde a Cypriano *Epist. LXXVI. ad Magnum* rite dicuntur baptizati, *licet*, inquit, *non loti sint, sed perfusi; quemquam enim movere non debet, quod aspergi, vel perfundi videantur aegri.* 2.° Frequens erat

Ba-

Baptismus a S. Martyribus in ipso carcere datus, ut ex Actis Martyrum constat, 3.° In Concilio Florentino baptimus sive mersione apud Graecos, sive infusione, aut aspersione apud Latinos declaratus est ratus. 4.° Infusio, sive adspersio est vera ablutio. 5.° Ipsimet Graeci, ut observat *Goarius in notis ad Eucholog* aliquando infusione baptizant. Maronitae, et Syri modo infusione, modo immersione, ut videre est apud Morinum *Lib. VIII. cap.* 18. *n.* 29. Ergo etc. Consentientes in hoc dogmate habemus Protestantes, licet non ex Scripturis, sed ex traditione probetur.

Solvuntur Objectione.

Objic. I. Materia proxima baptismi est, quam Christus praescripsit, quam Ecclesia semper, et ubique servavit, et quae effectum baptismi significat. Atqui talis est sola immersio. Nam 1.° cum baptismus proprie significet immersionem, Christus baptismum praecipiens, immersionem censetur praecepisse, 2.° Pelagius II. in Epistola ad Gaudentium *apud Gratianum Can. multi* 82. *de Cons. dist.* 4. *Evangelicum*, inquit, *praeceptum, ipso Domino Jesu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere.* 3.° Ecclesia semper, et ubique immersionem adhibuit per XIII. saecula, idque exemplo Christi, qui per immersionem baptizatus videtur: nam *Matth. III* 16. *Baptizatus Jesus ascendit de aqua*: et Apostolorum; etenim *Act. VIII.* 37.: *Descenderunt uterque in aquam Philippus, et Eunuchus, et baptizavit eum.* 4.° Baptismus mortem, sepulturam, et resurrectionem Christi significat, ut docet Apostolus *Rom. VI.* 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum*: haec autem significatio nonnisi per immersionem fieri potest. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Illa est necessaria materia proxima baptismi, quam Christus instituit, et Ecclesia semper servavit, ut *essentialem*, et absolute necessariam ad significandos Baptismi effectus, *conc.* Ut *accidentalem*, nec ad significandos Baptismi effectus necessariam, *neg.* Ea-

Ecclesia probans baptismum *Clinicorum*, et aliorum, qui aliter, quam immersione abluti erant, declaravit, immersionem, licet a Christo, et Apostolis adhibitam; non esse tamen *essentialem* baptismo; sed *accidentalem*, et pro temporum, locorum, atque hominum varietate mutabilem. Quod ut luculentius pateat; respondemus directe ad singula.

Ad 1m. Baptismus non solam immersionem, sed quamcumque ablutionem etiam apud Hebraeos significabat. Etenim *Marci VII.* 4. mentio occurrit *baptismi calicum et urceorum*: et *Luc. XI.* 38. Pharisaeus miratus est quod Christus ad prandium accubuerit non *baptisatus*, idest illotis manibus, ut constat conferendo loca *Marci VII.* et *Matth. XV.* cum textu *Lucae XI.*

Ad. 2m. Pelagius II. modo ipse sit auctor ejus Epistolae, aliique veteres, scribunt adversus haereticos, qui divinarum personarum Trinitatem negantes, non solum trinam immersionem tunc ab Ecclesia receptam, sed etiam ipsam verborum formam mutabant, ut in ipso baptismi ritu haeresim profiterentur suam. Dicunt ergo, trinam invocationem Trinitatis esse ad baptismum necessariam, quae invocatio quia tunc simul cum trina mersione fiebat, ideo utrumque conjungunt, quamvis non parem utriusque necessitatem eos existimasse, patet; nam baptismum vel unica mersione, vel effusione ratum habebant, nec umquam repetendum putarunt, dummodo mysterium SS. Trinitatis saltem in forma esset expressum.

Ad 3m. Ecclesia exemplo Christi, et Apostolorum adhibuit in Baptismo immersionem, non tamen ut absolute necessariam; probavit enim Baptismum infusione, vel adspersione datum *Clinicis.*

Ad 4m. Mors, et resurrectio Christi aeque per quacumque ablutionem significatur. Ablutio enim quocumque modo fiat in Baptismo, significat peccatorum abstersionem, et destructionem, quae est mors veteris hominis, et gratiae infusionem, quae est spiritualis animae resurrectio. Licet autem immersio non esset necessaria; potuit etiam Apostolus ad illum abluendi modum alludere, ut vim, et potestatem baptismi magis explicaret.

Inst. Saltem negari non potest, tutius esse Baptisma per immersionem. Nam 1.° Cyprianus *in cit. Epist. ad Magnum* interrogatus de valore baptismi *Clinicorum*, respondit: *Si quis existimat, eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint. . . . non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur.* 2.° *Cornelius* Romanus Pontifex in *Epist. ad* Fab. Antioch. *apud Euseb. H. E. Lib. VI. cap.* 33. dubitavit, utrum *Novatianus* vere baptizatus esset, eo quod graviter decumbens baptizatus erat in lecto: *Si tamen*, inquit, *hujuscemodi baptismum suscepisse dicendus est.* 3.° S. Thomas 3. *P. Q. LXVI. art.* 7. ait: *Tutius est baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus.* Atqui in sacramentis conferendis non licet relinquere tutiorem sententiam ex *Innocentio XI.* supra laudato. Ergo.

℟. *Neg. maj. Ad 1m. Cyprianus* non dubitavit de valore baptismi per infusionem, ut patet ex ejus verbis supra recitatis, quibus firmiter suam exposuit sententiam; subjungit tamen, ut si qui sint hac in re infirmiores, ita ut dubitationem deponere non possint, non decipiantur, hoc est non agant contra conscientiam sed si convaluerint, baptizentur; qua in re *Cypriani* in judicando firmitatem, charitatem, et modestiam mirari debemus.

Ad 2m. Dubitabat *Cornelius*, utrum revera *Novatianus* in lecto etiam infusione baptizatus esset, idest effectum baptismi fuisset propter ejus nequitiam consecutus.

Ad. 3m. S. Thomas non dubitat, valere baptismum per adspersionem, aut infusionem, ait enim *cit. loco, dicendum quod immersio non est de necessitate baptismi.* Cum ergo dicit, tutius esse Baptismum per immersionem, quae tunc temporis adhuc ubique ferme in Ecclesia servabatur, non opponit *tutius* rei dubiae, sed *tutae*, sicut calidius opponitur calido.

Corollarium. Ergo aqua in glaciem, nivem, grandinem durata, inepta est ad baptismum, nisi prius calore solvatur, glacies enim ablutioni inepta est.

Scho-

Scholion.

Ritum, quo olim catechumeni trina mersione nudi baptizabantur, quaque ratione per Diaconissas mulierum pudori consuleretur erudite *Josephus Vicecomes*, *Edmundus Martene*, aliique describunt. Hic ritus nulla Ecclesiae Latinae lege prohibitus sensim desuescere coepit. Primum in Hispania unica mersio adhiberi coepit, ut constat ex laudata Epistola *Gregorii M.* quem morem Alcuinus *Epist. LXIX. ad Lugdunenses* reprehendit. Deinde saeculo XIII. ut constat *ex S. Thoma*, nonnulli trina infusione baptizabant. qui mos paulatim invaluit, evasitque communior. Ceterum in Rituli Romano jussu *Pii V.* edito tum immersio, tum infusio pro varia locorum consuetudine servanda praecipitur.

II. Gravissimis autem Ecclesia Latina rationibus trinam infusionem probavit, 1.° ob commodum baptizandorum, praesertim infantium, qui ob tenerioris aetatis infirmitatem non sine aliquo vitae periculo nudi mergi possunt, cum praesertim timeri possit, ne quod aliquando contigit, infans, e ministri manibus in imum delapsus Baptisterium, suffocetur; 2.° ob mulierum pudorem, cum praesertim cessaverint Diaconissae; 3.° Ob ministrorum infirmitatem, qui adultis mergendis, atque attollendis, ut sunt hodie hominum fractae vires, vix pares esse possent.

III. Diximus, ablutionem debere esse *sufficientem*. Sufficiens autem tunc est ablutio, cum ipsum baptizandi corpus tanta aquae copia perfunditur, ut communi hominum aestimatione homo ablutus dici possit. Hinc non est satis ablutus, 1.° qui vel una aquae guttula adspersus est, 2.° qui ita vestibus, aut capillis est obvolutus, ut aqua cutem minime pertingat; ideoque monet *Rituale*, ut si crinitus puer baptizandus sit, minister capillos hinc inde dimoveat, ut aqua cutem attingat; 3.° Dubium est baptisma si puer in necessitatis causa baptizetur in *secundinis*, quibus obvolvitur, vel in manu, aut in pede; quapropter si vivus e secundinis evolvitur, vel integer ex utero matris egrediatur, baptizandus est ea conditione: *si non es*

baptizatus; 4.° illa ablutio sufficiens censetur, qua abluitur una ex praecipuis corporis partibus, maxime vero caput, in quo omnes hominis sensus vigent, ut monet S. Thomas 3. *P. Q. LXVIII. art.* 11. *ad* 4: et *Rituale Romanum*; haec autem ablutio, qua ipsum catechumeni caput aquis obruitur, immersioni aequivalet.

IV. Disputant hic Theologi, utrum rite baptizatus esset puer, quem morti proximum aliquis in puteum, aut in flumen conjiciat certissime suffocandum, eo quod non possit illum alia ratione abluere. Quidquid de ea quaestione sit, id certum est, numquam licere innocentem occidere, quacumque de causa, aut praetextu.

C A P. III.

De forma Baptismi.

Adv. I. Nihil hic moramur formulas, quibus olim haeretici baptismum depravabant. Duae sunt autem apud catholicos receptae Baptismi formae; altera scilicet apud Latinos, altera apud Graecos, ut ex eorum Ritualibus libris perspicuum est. Latinorum forma est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Graecorum vero: *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Utramque formam ratam, ac legitimam esse; patet tum ex *Decreto Eugenii IV.* qui utramque probavit (licet ex errore pro *baptizatur* habeat *baptizetur*) tum ex constanti Ecclesiae praxi; neque enim umquam aut Latini Graecos, aut Graeci Latinos de corrupta baptismi forma accusarunt, si paucos excipias recentiores schismaticos, qui contra majorum suorum doctrinam etiam hac de re contendere cum Ecclesia Catholica voluerunt.

II. Controversia autem inter Theologos est, 1.° utrum verba illa: *Ego te baptizo*, aut his similia. *baptizatur servus Christi*, sint semper adhibita; 2.° utrum sint *essentialia*, ita ut iis praetermissis, irritum sit baptisma; 3.° utrum valeat baptismus, si una tantum Persona SS. Trinitatis nominetur (*Magister* enim *Sententiarum* putat valere); 4.° utrum valeat, si dicatur tantum *in nomine Christi*, ut docuit *Cajetanus*, vel saltem value-

rit tempore Apostolorum, ut videtur asserere S. Thomas 3. *P. Q. LXVI. art.* 6. 5.° utrum ratum baptisma censeatur, si dicatur: *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis.* Protestantes licet formam Baptismi retineant legitimam, eam tamen non putant necessariam, quia, eorum judicio, quaecumque verba, modo fidem excitent, sufficiunt. Nos ea breviter expediemus.

PROPOSITIO I.

Verba illa : Ego te baptizo, aut his similia, semper in forma Baptismi adhibita sunt.

Prob. Antiquissimi Rituales Libri tum Graeci, tum Latini ea verba praescribunt in forma Baptismi, ut patet ex Graecorum *Euchologiis*, et *Sacramentarii s* Latinorum, in quibus ea verba non ut recens inventa, sed ut antiquitus in Ecclesia custodita leguntur, nec in quonam Concilio instituta sint, quisque eorum auctor fuerit, definiri potest. Atqui ex Augustino *Lib. IV. de Bapt. cap.* 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Ergo.

PROPOSITIO II.

Irritus est Baptismus sine his verbis collatus ; Ego te baptizo, aut his similibus.

Prob. 1.° Ex auctoritate Alexandri III. *Cap. Si quis De Baptismo : Si quis puerum ter in aqua merserit in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen, et non dixerit ; Ego te baptizo, puer non est baptizatus.* 2.° Ex decreto Alexandri VIII. qui hanc inter alias propositionem damnavit : *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus : in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, praetermissis illis : ego te baptizo.* Quibus verbis proscripta videtur etiam eorum sententia, qui post *Joannem Morinum* docent, ea verba olim non fuisse necessaria, sed post *Alexandri* III. decretum ad *essentiam* formae pertinere incepisse, eo quod Ecclesia, inquiunt,
po-

potest in sacramentorum administratione quandam praecipere, quae si non servantur, irritum est sacramentum, quam opinionem refutavimus Part. I. cap. 5.

Objic. Christus Dominus eodem modo dixit: *docete omnes gentes, baptizantes eos*, ac in institutione Eucharistiae dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*. Atqui ex his verbis non efficitur, Sacerdoti Eucharistiam consecranti dicendum esse, *hoc facio in Christi commemorationem*. Ergo nec ex illis concludi potest, ministro baptizanti dicendum: *Ego te baptizo*; in utroque enim Sacramento per ipsum materiae, et formae usum ministri actio satis exprimitur.

℟. *Neg. maj. et parit.* In his enim, quae a libera Dei voluntate pendent, non possumus argumentari a re simili, nisi Scriptura, et Traditione duce. Porro ex traditione constat, actionem ministri in baptismo esse etiam verbis exprimendam; secus vero in Eucharistia.

Inst. Non videtur hac in re adeo constans traditio. Nam 1.° numquam legimus, Patres irritum judicasse Baptismum ex omissione verborum; *Ego te baptizo*; sed de sola invocatione SS. Trinitatis fuisse sollicitos; 2.° Insignes Theologi saeculi XII, opinati sunt, ea verba sine jactura Sacramenti omitti posse. Ita docuerunt Hugo Victorinus *Lib. II. de Sacramen. p.3. cap. 13.* Petrus Cantor *in Summa de Sacram.* Stephanus Tornacensis *Epist. V. ad Petrum Claromont* et Praepositus *in Sum. P. IV.* qui asserit, hanc esse *omnium Magistrorum sententiam*. 3.° Non desunt codices vetustissimi, in quibus haec verba non leguntur, sed id tantum praescribitur, ut catechumenus interrogetur; utrum credat in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, et respondens, *credo*, ad singulas responsiones ter in aquam mergatur. Ergo.

℟. *Neg. ant. Ad 1m.* Patres de iis verbis fuerunt solliciti, quae haeretici corrumpere consueverunt, qualia sunt, quibus SS. Trinitas invocatur, quia in hoc praecipue mysterio errabant. *Ad 2m.* laudati Theologi, licet insignes, non tanti sunt, ut praeferantur auctoritati omnium *Ritualium*, et summorum Pontificum *Alexandri III.* et *Alexandri VIII.* qui eorum sententiam damnarunt, cum praesertim non asserendo, sed opinan-

do scribant; *opiniones profundo, non assertiones*, inquit *Stephanus Tornacensis. Ad 3m.* si ex silentio unius, aut alterius codicis inferri posset, non esse necessaria verba illa: *Ego te baptizo*, sequeretur, non esse necessaria etiam verba, quibus SS. Trinitas invocatur, cum quidam de his mentionem non faciant. Praescribunt ergo tantummodo modum immergendi catechumenum, cum pro certo habeant, formam cuique ministro esse notissimam, quae forma in aliis codicibus conceptis verbis habetur.

PROPOSITIO III.

Irritus est Baptismus sine his verbis collatus: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

Prob. I. Irritum est sacramentum, nisi ministretur forma a Christo instituta, atque praescripta *ex Part. I. Cap. IV.* Atqui forma Baptismi a Christo praescripta laudata verba postulat, ut patet ex *Matth. XXVIII. 19. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo.

Prob. II. Ex constanti Ecclesiae traditione, cujus innumera proferri possent monumenta. Patres omnes, qui de Baptismo disserunt, irritum eum esse affirmant, si non in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti ministretur, si vero ea verba adhibeantur, ratum esse, etsi detur ab haereticis. *Quis nesciat*, inquit Augustinus *Lib. VI. de Bapt. cap. 25. non esse Baptismum Christi, si verba Evangelica, quibus symbolum constat, ... defuerint?* Et *Lib. III. de Bapt. cap. 15. Si per Evangelica verba in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat sacramentum. Innocentius* etiam *I. Epist. ad Episc. Macedon. cap. 5.* rationem reddens, cur Concilium Nicaenum ratum judicaverit Baptismum Novatianorum, irritum vero *Paulianistarum*, ait: *Ratio manifesta declarat, quia Paulianistae in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti minime baptizabant, et Novatiani iisdem tremendis nominibus baptizabant.* Praetermittimus longiorem Pa-

Patrum et Conciliorum seriem, cum res sit in traditione apertissima (*a*).

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Apostoli baptizarunt *in nomine Christi*, ut legimus *Act.II.*, 3.8. *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, quibus similia leguntur *Act.VIII. et XX.* Ergo valet etiam modo baptismus *in nomine Christi*, ut docet *Cajetanus*, vel saltem dicendum est, Apostolos rite baptizasse *in nomine Christi* ex dispensatione, ut scilicet divinum Christi nomen initio Ecclesiae magis celebraretur, ut docet Catechismus Romanus *Part. II. de Bapt. n.* 15. post S. Thomam 3. *P. Q. LXVI. art.* 6.

℟. *Dist. ant.* Baptizarunt in nomine Christi, idest in auctoritate Christi, et baptismo instituto a Christo, *conc.* Invocato solo Christi nomine, *neg.* Non enim fieri potuit, ut Apostoli ad majorem Christi gloriam ejus praeceptum violarent. Unde Cyprianus *Epist. ad Jubajanum*, Augustinus *Lib. II. contra Maximin. cap.* 27. Facundus Hermianensis *Lib.I. cap.* 3. docent, verba illa *Actorum* non ita esse intelligenda, quasi Apostoli non baptizaverint *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Verba autem *in nomine* in ipso *Actorum* libro saepissime significant *in auctoritate, et virtute*, ut in eo loco *Act.III* 6. *In nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula*, et alibi; *in qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Act.IV.*7.

Ut autem omnis tollatur dubitatio, quin Apostoli non solius Christi nomine invocato baptizaverint; satis est legere *Caput XIX. Actorum*, ubi habemus, Paulum Ephesi discipulos invenisse quosdam, qui *neque si Spiritus*

(a) Vide Justinum *in Apol.* Tertullianum *Lib. contra Prax.* Origenem *in Cap. VI. Epist. ad Rom.* Fulgentium *Lib. de Incarn. et Gratia Christi cap. II.* Concilium Arelatense *I Can. VIII. Ritualia* omnia tum Orientalia, tum Occidentalia apud auctorem operis Gallici, quod inscribitur: *Perpetuité de la Foi. Tom. V. Lib. II. cap.* 5.

ritus Sanctus esset, audierant; quare miratum Paulum respondisse: *in quo ergo baptizati estis?* cumque invenisset, eos baptizatos baptismo Joannis, baptizari jussisse *in nomine Domini Jesu*; unde aperte constat, in baptismo ministrato *in nomine Christi* Spiritum Sanctum, ac proinde etiam Patrem fuisse nominatos.

Ad auctoritatem *S. Thomae*, quem *Catechismus Romanus* secutus est, quamque *Card. Orsi* longa Dissertatione vindicare conatur, respondemus, hanc esse S. Doctoris consuetudinem, ut cum agitur de rebus ad historiam pertinentibus, non tam de eorum veritate contendat, quod eum longius traheret a proposito; sed posita etiam eorum veritate, ostendat, nihil inde sequi adversus thesim, quam in *articulo* demonstrat; atque ideo tot historias admittit ut veras, quas saniores Critici rejiciunt. Cum ergo in laudato articulo demonstraturus, irritum esse baptismum non ministratum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, locum sibi *Actorum* objecisset, in quo Apostoli baptizasse dicuntur *in nomine Christi*, respondet, etiamsi hoc verum sit, Apostolos id fecisse ex dispensatione. Ita respondet Nat. Alexander *Hist. Eccl. Saec. III. Dissert. XIII.* Ceterum, quidquid hac de re senserit *S. Thomas*, posita perpetua Ecclesiae traditione, quam et ipse venerabatur, possumus, salva reverentia tanto Doctori debita, ab ejus sententia discedere.

Objic. II. Ambrosius *lib. I. de Spiritu Sancto cap.* 3. inquit: *Consideremus, utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus Baptismatis Sacramentum; ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur, quia qui unum dixit, Trinitatem significavit.* Ambrosium secutum est *Nicolaus I.* in responsione *ad Consulta Bulgarorum Can. A quodam. De Consec. dist.* 4. *Hi profecto*, inquit, *si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legitur, baptizati sunt* (*unum quippe, idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius*), *rebaptizari non debent.* Ergo.

℟. *Dist. ant. Ambrosius* ait: *Qui unum dixit, Trinitatem significavit*, in forma Baptismi, *neg.* In professione fidei, vel in explicanda trium personarum communi,

virtute, *conc.* Nam de forma baptismi idem Ambrosius *Lib. de myster. cap.* 4. sic scribit: *Credit Catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris. et Filii, et Spiritus Sancti, non potest accipere remissionem peccatorum.* De professione vero fidei ait, Eunuchum *Act. VIII.* 36. *et seq.* consecutum esse integram mysterii plenitudinem, licet solum filium nominaverit, dicens: *credo Filium Dei esse Jesum Christum.* Denique de virtute, atque operatione tribus personis divinis communi, sic ait eodem *Lib. I. De Sp. S.* unde objectio sumpta est. *Ubi operatio aliqua divina, aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti designatur, non solum ad Spiritum Sanctum, sed etiam ad Patrem refertur, et Filium, nec solum ad Patrem, sed etiam ad Filium refertur, et Spiritum.*

Nicolaus I. autem deceptus hoc perdifficili loco *Ambrosii*, ut doctor privatus erravit, non enim de forma Baptismi, sed de ministro consultus fuerat. *A quodam*, inquit, *Judaeo, nescitis, an Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum, consulitis.* Hanc responsionem suppeditant Melchior Canus *Lib. VI. cap.* 8. *ad* 7. Estius *in IV. Dist.* 3. §.5. Bellarminus *Lib. IV. de Rom. Pont. cap.* 12. Natalis Alexander, Sylvius, aliique,

Objic. III. Bernardus (*Epist. XXIII. al. CCCXX.* probat baptismum collatum *in nomine Dei, et sanctae, et verae crucis.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Id proponit *Bernardus* ut Ecclesiae doctrinam, *neg.* Ut privatam opinionem, quam profert *sine praejudicio sanius sentientis*, ut ipse loquitur, *conc.*

Corollaria.

I. Cum mutatio, quae sensum formae non immutat, non destruat Sacramentum (*ex cap. VI. Par. I.*) hinc ratum erit baptisma, si quis praetermittat pronomen *Ego*, quod in ipso verbo *baptizo* includitur, aut pro verbo *baptizo* dicat *abluo*, *mergo*, *tingo*.

II. Neque irritum baptisma erit, si quis repetat verba *in nomine*, aut verbum *baptizo*, dicens *ex. gr. Ego te baptizo in nomine Patris*: *Ego te baptizo in nomine*

Filii : *Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti*. Hinc *Stephanus II*. Baptismum simili forma ministratum ratum habuit.

III. Cum e contrario mutatio sensus formae Sacramentum destruat, irritum erit Baptisma, si quis praetermittat pronomen *Te*, aut pro verbis *in nomine* dicat *nominibus*, aut *nomine*, rejecta praepositione. Item si dicat in nomine *Genitoris*, *Geniti*, *et ex utroque Procedentis*. Vide S. Thomam 3. *P. Q. LXVI. art.* 5. *ad* 7. aut si diceret tantum *in nomine Trinitatis*, ut contra *Cajetanum*, *Franciscum Victoriam*, aliosque Scholasticos, ostendit *Gonetus*.

C A P. IV.

De auctore, et ministro Baptismi.

Adv. I. CHristum Jesum esse auctorem Baptismi, certo scimus. Quando autem Baptismum instituerit, Theologi disputant. Nonnulli enim volunt, id fecisse post resurrectionem, cum Apostolos ad baptizandum misit *Matth. XXVIII*. 19. *Euntes docete omnes gentes*, *baptizantes eos*; alii cum in Jordane a Joanne baptizatus est; alii cum baptismi necessitatem *Nicodemo* exposuit *Joann. III* 3. *Nisi quis renatus fuerit etc.* Sed verisimilius est, Christum tunc baptismum instituisse, cum ante mortem Apostolos ad praedicandum per civitates Judaeae misit *Matth. X. Marci III. Luc. IX*. Scimus enim ex Joannis Evangelio, Apostolos ante Christi mortem baptizasse *Joan. IV*. 2. et quidem baptismo Christi, non baptismo Joannis; inquit enim Augustinus *Tract. V. in Joann. Quos baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati, et quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt* (*Act. XIX.*) *quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit, quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit*. Si ergo Apostoli ante Christi mortem baptizarunt, utique ad baptizandum missi sunt; quando autem commodius mitti poterant, quam cum missi sunt ad praedicandum? Tunc ergo institutus videtur Baptismus Christi.

II.

II. Ministri Baptismi alii sunt ordinarii, illi scilicet qui baptismum ministrant ex officio, quod in ordinatione suscipiunt, alii extraordinarii, qui illum non ex ordinis sui munere administrant; hi autem rursus dividuntur in ministros extraordinarios baptismi sollemnis, et extreordinarios baptismi non sollemnis, qualis est, qui in causa necessitatis sine ceremoniis ab Ecclesia praescriptis ministratur.

III. De Baptismi Ministro duae sunt contrariae haereticorum opiniones, Marcionitae enim, et Collyridiani ex Epiphanio *Haeres. XLII. et LXXIX.* ipsis mulierculis sollemniter baptizandi potestatem faciebant. E contrario Calvinus *Lib. IX. Inst. cap.* 15. §. 20. docet, etiam in necessitatis caussa, nulli umquam licere, nisi ad id ministerium fuerit ab Ecclesia, sive a Plebe destinatus, baptismum ministrare. Sed utrum irritus, an tantum illicitus sit baptismus datus a laico in causa necessitatis, *Calvinus* non definit, quare ejus discipuli in diversa abierunt. *Witacherus* putat, esse ratum, eamque sententiam tenent Angli, teste Casaubono *in Respons. ad Epist. Baronii.* Beza irritum esse contendit *Quaest. CXLIV. de Sacram.* idemque docent Graeci schismatici per totam ferme Graeciam, Russiam, et Moscoviam, ut refert Arcudius *Lib. I. de Bapt. cap.* 11. Vossius *Disp. X. de Bapt. thes.* 12. saltem a Pagano datum Baptisma irritum putat.

IV. Controversiae autem, quae saeculo III. et IV. exarserunt de valore Baptismi, et aliorum sacramentorum, quae ab haereticis ministrantur, retulimus supra *Part.* I. Nunc sequentibus propositionibus has quaestiones breviter enodabimus.

PROPOSITIO I.

Ministri ordinarii Baptismi sollemnis sunt Episcopi, et Presbyteri; extraordinarii vero Diaconi.

Prob. 1a. *pars I.* Ii sunt ordinarii baptismi sollemnis ministri, quos ipse Christus ad baptizandum misit. Atqui misit Apostolos, ac proinde eorum in Sacerdotio successores, scilicet Episcopos, et Presbyteros *Matth. XXVIII.*

XXVIII. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes* eos.* Ergo etc. Hinc saltem quoad Episcopos pertinet propositio, sine dubio est dogma fidei.

Prob. II. Cum baptismus sit janua, per quam baptizatus in Ecclesiam ingreditur, ejusque fit membrum, eorum est sollemniter baptizare, quorum est Ecclesiae praeesse. Atqui Episcopi, et Presbyteri Ecclesiae praesunt. Ergo eorum est sollemniter baptizare. Sed quia videri potest, has rationes pro solis Episcopis, non pro presbyteris valere.

Prob. III. Ex praxi, et decretis Ecclesiae, quae non minus praesbyteros, quam Episcopos pro ordinariis Baptismi ministris habent. Sic Gelasius *Epist. ad Episc. Lusitan*, de Diaconis loquens, ait: *Absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant.* Et *Eugenius IV, in Decreto. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Hinc in ipsa Presbyteri ordinatione dicitur: *Presbyterum oportet praeesse... boptizare etc.*

Advertendum tamen est, praesbyteros non praeesse Ecclesiae nisi sub Episcopi auctoritate; hinc olim antequam *Parochiae* dividerentur, Presbyteri non baptizabant, nisi jussu Episcopi, cujus sub oculis Ecclesiam regebant; ut ait Tertullianus *Lib. de Bapt. cap.* 17. *Dandi* (Baptismum) *habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, dehinc Presbyteri, et Diaconi; non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est.* At institutis Parochiis, propter crescentem fidelium numerum, jam sufficit, ut quis ab Episcopo Parochus instituatur, ut sine novo Episcopi jussu sollemnem faciat Baptismum. Ceterum sicut peccabat Presbyter, qui sine Episcopi auctoritate olim sollemniter baptizabat, ita nunc peccaret, qui inconsulto Episcopo, aut Parocho, alterius dioecesis, aut parochiae homines sollemniter baptizare vellet.

Prob. 2a. pars. Diaconi in sua ordinatione accipiunt baptizandi potestatem, ut patet ex verbis, quae ab Episcopo ordinante audiunt. *Oportet, Diaconum praedicare, baptizare etc.* unde Philippus Diaconus *Act. VIII.* baptizabat, et Hieronymus *Dial. contra Luciferian. Non abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad*

ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus manum impositurus, excurrat; et in veteribus canonibus habemus, Diaconos rexisse Parochias, et baptizasse. Atqui non possunt sollemniter baptizare jure ordinario, non enim praesunt Ecclesiae, sed ministrant; unde inquiebat Gelasius *loc. cit. Diaconos proprium constituimus servare mensuram ... nihil eorum ministerio penitus applicare, quae primis ordinibus proprie decrevit antiquitas. Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi praedictis fortasse ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat.* Ergo possunt extraordinarie, urgente scilicet necessitate, ab Episcopo, vel Parocho ad baptizandum sollemniter designari (*a*).

Corollaria.

I. Ergo peccaret Diaconus graviter, qui sine hac extraordinaria Episcopi, vel Parochi delegatione sollemniter baptizaret. Imo nonnulli, ut *Navarrus*, *Ligorius*, aliique censent, ob hoc eum fieri *irregularem* ex *Cap. I. De Clerico non ordinato ministrante.*

II. Ergo Diaconi medii quodammodo sunt in baptismi sollemnis administratione inter Presbyteros, et inferiores clericos, Presbyteri enim etiam sine causa a Parocho delegari possunt, exceptis Regularibus, quos canones ab h c officio prohibent. Diaconi, urgente necessitate; Clerici vero minores, ne urgente quidem necessitate, alioquin irregulares fiunt.

PRO-

(a) De Parrocho Diacono, utrum bodie sine delegatione sollemniter ex officio baptizare possit, dubitatum est. Vid. Card. Petra *in consti t. I. Greg. XI. n.* 26.

PROPOSITIO II.

Ratus est baptismus a quolibet homine ministratus, etiam non baptizato; laico, muliere, ethnico, imò in causa necessitatis sine sollemnitate licitus. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Augustino *Lib. VII de Bapt. cap.* 53. *Non dubitarem, eos etiam habere Baptismum, qui ubicumque et a quibuscumque ... verbis Evangelicis consecratum... accepissent.* Licet autem *Augustinus* non sine aliqua haesitatione id dicat, tamen constans Ecclesiae praxis baptismum a quocumque ministratum ratum habuit. Hinc *Nicolaus I.* hac constanti innixus traditione *Cap. A quodam. De consecr. Dist. IV.* respondet Bulgaris: *A quodam Judaeo, nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum, inquiritis. Hi profecto si in nomine Trinitatis ... baptizati sunt, non sunt iterum baptizandi.* Et *Eugenius IV.* in *Decreto*: *Minister*, inquit, *hujus Sacramenti est Sacerdos, cui competit ex officio baptizare. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus; et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia.* Et advertendum, nec *Photium* Nicolao, nec Graecos in Conciliis Lateranensi III. Lugdunensi II. et Florentino hanc sententiam ut errorem Ecclesiae Latinae objecisse, unde a majorum suorum doctrina Graeci Schismatici postea recesserunt.

Prob. II. ratione S. Thomae 3. *P. Q. LXVII. art.* 3. Cum baptismus prae omnibus sacramentis maximae necessitatis sit; hinc congruebat, ut sicut Christus commune elementum pro ejus materia elegit, ut facilius dari posset, ita etiam quemcumque hominem ad eum ministrandum in necessitatis caussa destinaret.

Rationes peculiares pro valore baptismi ab haereticis ministrati attulimus *Part. I. cap.* 7. Ceterum etsi in reliquis partibus propositio ad fidem pertineat; valere tamen baptismum a non baptizatis ministratum, utrum dog-

dogma fidei est, *Theologis*, inquit *Habert*, *disputandum relinquimus.* Verum licet ea de re *Augustinus* dubitaverit, post Pontificum tamen definitiones ab universa jam Ecclesia receptas, Theologi communiter docent hoc ad dogma fidei pertinere.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Ii soli baptizare possunt, quibus eam potestatem dedit Christus. Atqui dedit solis Apostolis *Matt. XXVIII.* 19. Hinc Augustinus *Epist. CCXXVIII. al. CLXXV.* docens, non licere Pastoribus in persecutione Vandalica fugere, id probat ex eo, quod Sacerdote absente, non habeat populus ministros, qui eos baptizent, aut per Sacramentum poenitentiae reconcilient. Ergo nullo pacto laici baptizare possunt.

℟. *Dist. min.* Solis Apostolis fecit potestatem Christus baptizandi sollemniter, et ex officio, *conc.* In causa necessitatis, et sine sollemnitate, *neg.* Quemadmodum etiam solis Apostolis dixit: *docete omnes gentes*, et tamen quilibet in necessitate proximum necessaria ad salutem edocere et potest, et debet. Quod autem potestas illa baptizandi Apostolis data, etiam ad alios in causa necessitatis pertineat, praeter Apostolos, patet ex *Act. Cap. VIII.* ubi legimus, *Philippum* Diaconum baptizasse; quantum vero, et ad quos se extendat, discimus ex traditione, ex qua constat, etiam laicos in necessitate baptizare posse. *Augustinus* vero, ut ostendat calamitatem gregis a Pastore in persecutione derelicti, ait, absente Pastore, non esse qui populum consoletur, hortetur, baptizet, reconciliet, non quia putet, baptismum non posse a laicis ministrari, cum ipse contrarium doceat *Lib. II. cont. Parmenian.* sed quia non ita facile etiam sine sollemnitate id ab imperita, et dispersa multitudine sperari potest.

Objic. II. Concilium Eliberinum *can. XXXVIII.* statuit, ut si catechumenus in necessitate infirmitatis sit positus, *possit baptizari per fidelem, qui lavacrum suum integrum habeat*, idest publicam non subierit poenitentiam, *nec sit bigamus.* Ergo non omnes admittit laicos.

℟.

℟. *Dist. aut.* Si plures adsint, qui baptizent, *conc.* Si non adsint, *neg.* Ita hunc canonem explicant *Mendoza*, et *Albaspineus*.

Objic. III. Saltem ex traditione non constat, valere baptismum datum a paganis, seu ab iis, qui baptizati non sunt. Nam 1.° Tertullianus *Lib. de bapt. cap.* 17. et Hieronymus *Dialogo cont. Lucif.* ut probent, baptizatos laicos in necessitate baptizare posse, id ex eo concludunt, quod potest quis dare, quod accepit; quae ratio paganos excludit. 2.° Augustinus *Lib. VII. de Bapt. cap.* 53. fatetur, se nihil usque ad suam aetatem de Baptismo Paganorum vidisse, aut legisse traditum. 3.° Gregorius II. *in Epistol. ad Bonifac. apud Gratianum can.* 52. *De consec. Dist. IV. Eosdem*, inquit, *quos a paganis baptizatos asseruisti, ut iterum baptizes in nomine Trinitatis, mandamus.* 4.° *Poenitentiale Theodori Cantuariensis*, et Concilium Compendiense statuunt, *ut si quis presbyter deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et ordinetur iterum, et omnes, quos prius baptizavit.* Refertur a *Gratiano* Can. 60. De Consec. Dist. IV. *Burcardo*, *Yvone Carnotensi*, et legitur etiam in *Capitularibus Francorum*. Ergo *Nicolaus I.* et *Eugenius IV.* sine traditionis auctoritate definiunt, valere Baptismum a Paganis datum.

℟. *Neg. ant.* Ad 1m. *Tertullianus*, et *Hieronymus* rationem reddunt de re suis saeculis frequentissima, nempe Baptismo a laicis baptizatis dato, non disputant autem, utrum Baptismus a paganis datus, qui rarissime accidit, et fortasse ipsi nesciebant, adhuc aetate sua accidisse, sit ratus, non quidem ea ratione, quam adferunt pro baptismo a baptizatis collato, sed ratione alia, scilicet ex misericordia Dei, qui voluit, sacramentum adeo ad salutem necessarium a quibusvis accipi posse. Ad 2m. Augustinus firmiter pronuntiat loco laudato, *eos habere baptismum, qui a quibuscumque* (etiam paganis, de quibus ibi loquitur) *verbis Evangelicis consecratum accepissent*, sed cum id nullo adhuc in Concilio definitum esset, modeste optat, rem, de qua tamen ipse non dubitabat, Ecclesiastico judicio definiri, ac proinde videbat, definiri ex traditione posse, idque praestiterunt post *Augustinum* tum alii Pontifices; et Con-

Concilia Provincilia, tum *Nicolaus I. et Eugenius IV.* quorum definitiones universa recepit Ecclesia, *quod* autem *tota per orbem frequentat Ecclesia*, ex ipso Augustino *Epist. LIV. al. CXVIII. quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est. Ad* 3*m.* loquitur *Gregorius* de iis, quos constabat, non baptizatos in nomine Trinitatis, vel id saltem erat dubium; ideoque monet, ut baptizentur in nomine Trinitatis. *Ad* 4*m.* illa verba, *et omnes quos prius baptizavit*, spuria sunt, et ex imperitia in textum irrepserunt, ut demonstrant *Gratiani* Correctiones.

Objic. IV. Mulieres baptizare non possunt ex Tertulliano *Lib. De veland. virg. cap.* 9. et Concilio Carthaginiensi IV. *Can. C.* imo Epiphanius *haeres. XLII. et LXXXIX.* in Marcionitarum, et Collyridianorum errores refert, quod credant, mulieres baptizare posse. Ergo

℟. *Dist. ant.* Sollemuiter, *conc.* Sine sollemnitate in causa necessitatis, *neg.* Idque patet ex ipsis auctoribus in objectione citatis. *Tertullianus* enim ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre.* Concilium Carthaginiense *Can. XCIX.* statuit, *ut mulier quamvis docta, et sancta propter viros in conventu docere non praesumat*; unde etiam sequenti *Can. C.* intelligendum est de Baptismo in conventu, seu Ecclesia ministrando. *Epiphanius* loquitur de mulieribus haereticis, quae sacerdotalia munera sollemuiter attrectabant; unde inquit: *apud eos mulieres Episcopi sunt, et Presbyteri.*

Corollaria.

I. Quod in Parte I. *Cap.* 7. affirmavimus, peccatorem *illicite* sacramenta ministrare, de eo est intelligendum, qui ad ministranda sacramenta quadam consecratione deputatus est. Peccant quidem Pagani in necessitate baptizantes, non quia baptizant, sed quia non credunt Ecclesiae, cujus nomine baptizant.

II. Cum necessitas non semper tanta sit, ut cogat Paganos, mulieres, laicos baptizare; hinc recte statutum est ab Ecclesia, in causa necessitatis ordinem

quem-

quemdam inter baptizantes esse servandum, ita ut praesente fideli, non baptizet Paganus, nec praesente viro, mulier nisi ille aut ignoret baptismi formam, aut publicus, et famosus peccator sit, aut non possit mulieris parturientis pudori consulere; praesente clerico non baptizet laicus, nec praesente Diacono, clericus inferior; nec praesente presbytero, Diaconus. Id statuit in suis *Instructionibus S. Carolus Borromaeus*, et simile quid statuerat olim Concilium Eliberinum.

III. Extra causam necessitatis, peccaret laicus baptizans, cum non sit minister baptismi ordinarius, sed in necessitate extraordinarius.

IV. Cum Scriptura, et traditio semper de baptizante et baptizato, tamquam de personis loquantur distinctis, nemo ad quamcumque redactus necessitatem *valide* seipsum baptizare potest, idque conceptis verbis definit Innocentius III. *Cap. Debitum. De Baptismo.*

C A P. V.

De subjecto Baptismi.

Adv. I. Certum est, omnes homines viatores, rationis cumpotes, esse baptismi capaces, cum Christus neminem exceperit, dicens Matt. XXVIII. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.*

II. Certum est etiam, parvulos in utero matris ita delitescentes, ut aqua ne ipsas quidem *secundinas*, sive membranas, quibus obvolvuntur, possit attingere, non esse capaces baptismi *ex Cap. I.* §. 2. nec sufficere si matris corpus abluatur, cum foetus sit persona a matre distincta, ut docet S. Thomas 3. *P. Q. LXVIII. art.* 11. *ad* 2. post Augustinum *Lib. VI. contra Jul.* nec licere occidere matrem, ut salvus fiat infans in utero certissime moriturus *Vide S. Th.* 3. *P. Q. LXVIII. art.* 11. *ad* 3. Utrum autem saltem sub conditione baptizari possit infans certissime moriturus in utero matris, si aqua aliqua ratione secundinas possit abluere, controversia est (quam hic non attingimus) inter Theologos agitata. nonnullis negantibus, quia ex Augustino *Epist. CLXXXVIII. al. LVII. ad Dardanum renasci quisquam non potest, antequam na-*

tus

tus sit, aliis affirmantibus, quia cum corpus jam anima rationali informatum est, aliquo pacto natus dici potest homo. Vide Benedictum XIV. *De Synodo Lib. VII. cap.* 5. ubi erudite de hoc argumento disserit. Illud ergo hic dumtaxat quaeremus, 1.° utrum infantes jam nati sint capaces baptismi, 2.° utrum baptizari possint invitis parentibus, 3.° quaenam *in subjecto* dispositiones ad baptismum accipiendum requirantur.

§. I.

Utrum infantes sint capaces baptismi.

Adv. I. *Petrobrusiani*, et *Henriciani* saeculo XII. negarunt, parvulos baptizari posse, ut testatur Bernardus *Epist. CCXLII.* eosque secuti sunt *Waldenses. Anabaptistae* vero ex principiis *Lutheri*, de cujus secta prodierunt, ut praecipuum statuerunt suae haeresis dogma, frustra infantes baptizari, cum non sint capaces fidei, quae sola ex *Luthero* justificat. Hinc inferunt, in adulta aetate rebaptizandos, qui baptizati sunt in infantia. Quot seditiones in Germania excitaverint, ipso eos insectante *Luthero*, vide apud *Arnoldum Meshovium* in *Historia Anabaptistica.*

II. Erasmus autem quamvis concedat, infantium ratum esse baptismum, censet tamen *in Epist. praefixa Paraphrasi in Matthaeum*, eos, cum ad aetatem pervenerint adultam, interrogandos, utrum ratum habeant, quod patrini eorum nomine spoponderunt; quod si renuant, suo arbitrio relinquendos, nec ad vitam Christianam compellendos. Id facultas Parisiensis inter alias *Erasmi* opiniones damnavit anno 1527.

PROPOSITIO.

***Dogma fidei est**, infantes esse Baptismi capaces, nec expectandam adultam eorum aetatem.*

Prob. I. *Ex Scriptura.* Ii sunt baptismi capaces, qui capaces sunt regni Dei; neque enim aliter in regnum illud patet aditus, nisi per baptismum, ut Christus

 ipse

ipse ait *Joan. III. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Atqui infantes regni Dei capaces sunt. *Matth. XIX. 14. Sinite parvulos . . . . . ad me venire talium est enim Regnum Caelorum.* Ergo. Sed quia Lutherani, et Calvinistae traditionem rejicientes, probare non possunt ex sola Scriptura, laudatum *Matthaei* locum etiam de infantibus esse intelligendum, ac proinde non possunt ex sola Scriptura ostendere, se esse in Ecclesia, cum Christus videatur exigere, ut parvuli propria voluntate veniant; et alibi *Matth. XXVIII. 19 et Marci XVI. 15* conjungat Baptismum, et doctrinam, cujus capaces non sunt infantes; hinc

Prob. II. Ex universalis Ecclesiae traditione, quae Scripturam hac in re obscuram dilucide explicavit. Unus pro omnibus hic sufficiat *Augustinus*, qui ut probaret contra Pelagianos peccatum originale in infantibus, haec habet *Lib. I. de peccatorum merit. et remiss. cap. 26. Quia* (Pelagiani) *parvulos* (h. e. infantes, de his enim erat quaestio) *baptizandos esse concedunt, qui contra auctoritatem universae Ecclesiae procul dubio per Dominum, et Apostolos traditam venire non possunt concedant oportet, eos egere illis beneficiis mediatoris.* Nec umquam Pelagiani hanc traditionem, licet ea maxime urgerentur, negare ausi sunt. Idem docuerat ante Augustinum Irenaeus *Lib. II. cap. 39.* Origenes *in cap. VI. Epist. ad Rom.* Cyprianus *Epist. LIX. ad Fidum* et alii.

Merito ergo Tridentinum *Sess. VII. de Bapt. can.* 13. *et* 14. utrumque errorem damnavit: *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum proprium non habeant, suscepto Baptismo, inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiae, anathema sit.* Et can. 14. *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, cum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos . . . anathema sit.*

Co-

Corollaria.

I. Peccant ergo, qui infantem jam baptismi capacem salutari lavacro offerre differunt vel ex negligentia, vel ex humanis quibusdam rationibus, ut nobilis scilicet patrinus expectetur; quia sine causa eum objiciunt periculo moriendi sine Baptismo. Hinc merito nostra Synodus parentes ultra octiduum differentes filiorum baptismum anathematis poena percellit, aliasque poenas minatur Pastoribus, qui id fieri patiuntur. Non tamen hinc inferas, quemlibet infantem sine causa domi baptizari posse, ut deinde ceremoniae Ecclesiae suppleantur. Per unum enim, aut alterum diem moraliter timeri non potest, ne puer sanus in ictu oculi sine baptismo moriatur.

II. Qui ab infantia amentes, aut *energumeni* sunt nec ulla umquam habuerunt *lucida intervalla*, non secus ac infantes, a quibus nihil differunt, baptizari possunt, si nulla affulgeat spes proximae sanitatis.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Christus Baptismum praecipiens, simul praecepit, ut doctrina Apostolorum, et fides suscipientium praecederent; *Matth. XXVIII.* 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Marci XVI. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Atqui infantes nec doctrinae, nec fidei capaces sunt. Ergo.

℟. Hoc argumentum mirifice torquent Novatores, qui solam fidem in Sacramentis justificare docent, et traditionem rejiciunt, ex qua objecta Scripturae loca facile explicantur. Lutherus *de Captiv. Babylon.* ut supra diximus, docet, infantes actu credere, Ecclesiae orationibus adjutos, et ita credentes suscipere Baptismum, quod ridiculum effugium ipsos puduit Lutheranos, quorum alii docent, in ipso baptismo infundi infantibus fidem etiam actualem, alii motum aliquem similem fidei adultorum. Vide Bellarminum *Lib. I. de Bap. cap.* 10. Kemnitius *in Exam. Conc. Trid. P. II. Lib. II. sect.* 10. cui adquiescit *Buddeus* Lutheranus *Lib. IV.*

 cap.

cap. 3. §. 12. censet, per baptismum produci in infantibus motum aliquem nobis ignotum. Sed haec omnia (quae nescio quomodo obtrudant Protestantes, qui negant, Sacramenta quidquam producere ex opere operato) non solum Anabaptistae, sed ipsi etiam Protestantes irrident. Vide Petrum Cunaeum *Lib. III. de Rep. Hebr. cap.* 9. qui hoc commentum vocat tam fatuum, ut flagris castigari dignum sit, et Vitringam *Lib. II. Observat. sacr. cap.* 6. §. 24. qui in omnes partes frustra se versat; ut mirum sit, in quot se miseri abrupta praecipitent, spreta Ecclesiae auctoritate. Sed concessis etiam eorum figmentis, non solvuntur Scripturae loca ab Anabaptistis objecta, quae fidem non per ipsum baptismum productam, sed Baptismo praeviam videntur exigere.

Quare Catholici facile respondent. *Dist. maj.* Doctrina, et fides ex praecepto Christi praecedere debet Baptismum in *subjecto*, qui utriusque capax est, *conc.* in *subjecto* non capaci, *neg.* Eum igitur morem Ecclesia semper servavit, et servat, ut adultos rationis compotes prius edoceat mysteria fidei, postea baptizet; infantes vero, qui doctrinae, et fidei capaces non sunt, prius baptizet, deinde cum ad usum rationis venerint, edoceat; atque ideo Ecclesia servat praeceptum Christi docendo, et baptizando, sed ita semper intellexit laudata Scripturae loca, ut doctrina vel praecedat, vel sequatur baptismum pro diversa hominis conditione. Ordo enim ille *accidentalis* prius docendi, deinde baptizandi, quem Christus praescripsit tunc necessarium in conversione Gentilium; ad quos Apostolos mittebat, in infantibus servari nec potest, nec debet, cum Christus eos non excluserit a regno Caelorum, ac proinde nec a Baptismo; sufficiatque eis fides aliena, scilicet Ecclesiae, sicut nocuit eis peccatum alienum, sc. Adae, ut observat Augustinus *Serm. CCXCIV. Cap.* 11. *Lib. I. de peccator. merit. et alibi passim.*

Obje. II. 1.° Non potest onus servandae legis imponi non subdito, nisi ille consentiat. Atqui per baptisimum imponitur homini nondum Ecclesiae subdito onus servandi legem Christi, et Ecclesiae. Ergo infantes, qui nondum in id consentire possunt, baptizare non licet:

2.° Per

2.° Per Baptismum fit quoddam inter Deum, et ipsum baptizatum foedus. Foedus autem nonnisi utriusque partis consensu firmari potest. Aut ergo infantes baptizandi non sunt, aut in adulta aetate interrogandi, utrum ratum habeant quod patrini eorum nomine spoponderunt.

℟. *Dist. maj.* Non potest onus imponi alicui, qui illud subire non tenetur, *conc.* Qui tenetur, *neg.* Porro omnes homines tenentur quaerere *media* ad salutem necessaria. Unum autem est salutis *medium*, et via una, scilicet subjici Christo, et Ecclesiae. 2.° Etiam civilibus legibus in jure naturae fundatis obligatur aliquis ex alieno facto; quando ille utile negotium ejus gessit. Ita si divitem in via jacentem semivivum, sensuque destitutum viator pecunia curet, ille revalescens omnibus tenetur expensis. Quanto magis infans in peccato mortuus adimplere tenetur, quae ad eum sanandum fuerunt necessaria. Idem dicas de foedere.

Objic. III. Saltem negari non potest, quin utilius in adulta aetate daretur Baptismus. Nam 1.° scirent baptizati a quanto per baptismum malo liberentur, quantaque exornentur gratia, ita ut stabiliores essent in justitia, et fuga peccati; 2.° quibus rebus renuntient, nec tam cito diabolo, et pompis ejus manciparentur post Baptismum; 3.° denique si nemo baptizaretur, nisi eruditus, non tanta grassaretur in populo Christiano rerum divinarum ignorantia, quae fons ingentium vitiorum est multosque ad interitum perducit. Hinc olim nonnulli licet piis nati parentibus baptismum ad aetatem adultam distulerunt, ut *S. Ambrosius*, et alii. Ergo.

℟. *Neg. ant.* 1.° enim si qua esset in dilatione Baptismi utilitas, non posset cum periculo aeternae damnationis comparari, cui haec dilatio exponeret infantem. 2.° Ea ipsa commoda, quorum meminit objectio, si nunc non passim habentur, id non ex baptismo in infantia dato proficiscitur, sed ex negligentia parentum, et Pastorum, qui longe melius possent baptizatos pueros, quam non baptizatos erudire, cum illos gratia Baptismatis, et fides *habitualis* reddat ad doctrinam fidei et morum dociliores; istos vero adhuc sub diabolo detentos dominans cupiditas effraenes faceret, et incredulos.

los. 3.° Multa ex dilatione baptismi orirentur scandala, quia plures baptismum aut negligerent, ut liberius vitiis vacarent, aut ex incredulitate contemnerent, aut specie pietatis ad extremum vitae differrent. Si qui vero olim viri pii aliter fecerunt, non damnamus, sed non putamus imitandum exemplum,

Inst. 1.° Tertullianus *Lib. de Bapt. Cap.* 18. *Veniant*, inquit, *dum adolescunt, fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint* . . . . *quid opus est, sponsores periculo ingeri?* Ergo.

℟. 1.° *Tertullianus* non favet Anabaptistis, fatetur enim, Baptismum in necessitate parvulis dari posse, et debere *Ibid. cap.* 12. *et* 13. 2°. Nonnulli volunt, *Tertullianum* loqui de filiis infidelium; in iis enim verum est, sponsores periculo ingeri. 3.° Si de omnibus loquitur, ejus opinionem universa Ecclesia rejecit.

Inst. 2.° Nazianzenus *Orat. XL. in sancta lumina* videtur probare *Tertulliani* consilium. Ergo etc.

℟. Differt a *Tertulliano Nazianzenus* 1.° enim non putat, adultam aetatem expectandam, sed triennium, aut quadriennium. 2.° Nihil favet Anabaptistis, tum quia concedit, necessitate urgente baptizari posse, et debere, infantes recens natos, tum quia triennii aetas, quam putat expectandam, non satis est, ut puer mysteria fidei, et legem Evangelii edoceatur, et intelligat; sed tantum ut quaedam verba ad interrogationes baptizantis balbutire possit. 3.° *Nazianzeni* consilium Ecclesia universa non probavit; idque ex ipsa *Nazianzeni* doctrina, si enim ipse non putabat, differendum baptismum ultra triennium, ob inopinata pericula, profecto majoribus periculis exposita est aetas triennio minor, ac proinde a *fortiori* non est expectandum triennii tempus, ut observat Estius *in IV. Dist.* 4. §. 28.

§. II.

§. II.

Utrum infantes filii infidelium sine parentum consensu baptizari possint.

Adv. Certum est, infantes infidelium, etiam invitis parentibus *valide* baptizari, ut contra *Durandum* communiter Theologi docent, non enim ex parentum voluntate, sed ex intima virtute operatur Baptismumus. Quaeritur ergo, utrum fieri liceat.

PREPOSITIO.

Infantes filii infidelium ordinarie baptizari non debent, invitis parentibus.

Prob. Vel infantes sic baptizati curae subtraherentur parentum, vel non. At neutrum fieri potest. Non primum, quia infringeretur naturae jus, quod parentibus curam filiorum commisit, unde S. Thomas 2a. 2æ. *Q. X. art.* 12. ait: *Contra jnstitiam naturalem esset, si tales pueri, invitis parentibus baptizarentur.* Non alterum, quia infantes a perentibus in infidelitate enutriti gravem sacramento injuriam inferrent. Ergo baptizari non debent.

Scholion.

I. Diximus *ordinarie*; nam extraordinarie quibusdam in caussis licet. 1.° Si infantes sint in periculo mortis; tunc enim nec subtrahuntur curae parentum, nec est morale periculum, ne sacramento faciant injuriam: 2.° Si alter parentum consentiat, ut definivit Gregorius IX. *Cap. Ex litteris De conversione infidelium.* 3.° Si eorum parentes Christianorum servi sint; tunc enim tam ipsi, quam eorum filii dominorum potestati subjiciuntur, ideoque nec parentibus fit injuria, si eorum curae subtrahuntur filii. 4.° Si tam longe absunt a parentibus, ut periculum non sit, ne ante adultam aetatem sub eorum curam, ac potestatem recidant; tunc enim christiane

stiane educari possunt. 5.° Si in primo rationis lumine baptismo consentiant; tunc enim in rebus ad salutem pertinentibus sui juris sunt.

II. Disputatum est inter Theologos, utrum filii infidelium, qui civiliter tantum Christianis principibus subjecti sunt, possint, invitis parentibus, baptizari. Validissimis rationibus utrimque certatur, sed nisi majora mala timeantur, verisimilius videtur, id fieri posse; si enim Princeps potest legibus coercere subditos, ne jure naturali, quod habent in filios, abutantur in eorum temporalem perniciem multo magis id poterit, ne subditi filios spirituali, et aeterna ruina pessumdent. Idque sentit universa Scotistarum Schola contra Thomistas. Vide Petrum Collet *Tom. IV. De Sacr. Bapt.*

III. Aliam quaestionem Theologi movent, utrum liceat infantes infidelium filios baptizare, non quidem invitis, sed inscijs parentibus. Ratio dubitandi est; quia infantium saltem tertia pars ante usum rationis moritur; haec ergo pars certissime salva fieret. Ii vero, qui ad usum rationis perveniunt, si quam Sacramento injuriam faciunt, non est *formalis*, sed *materialis* injuria, cum nesciant, se in infantia baptizatos, nec eorum parentes id sciant. Verum in re, quae nullum habet veteris Ecclesiae exemplum, ipsius Ecclesiae judicium expectari debet.

§. III.

De dispositionibus in adulto ad accipiendum baptismum necessariis.

Adv. Diximus *Part. I. Cap.* 8. in adultis, ut *valide* baptismum accipiant, requiri intentionem; ut autem illum accipiant *licite*, requiri fidem, spem, et charitatem saltem inchoatam, et contritionem. Nunc videamus, qua ratione constare debeat, hujusmodi dispositiones revera in adulto reperiri; ne forte sacramentum ei, qui non est rite dispositus, ministretur.

PRO-

PROPOSITIO

Non est ministrandus Baptismus adulto, nisi operibus bonis longo tempore probaverit, se habere fidem spem, charitatem, et contritionem.

Prob. I. Ex veteri Ecclesiae disciplina, quae adultos diuturno tempore probabat, antequam baptizaret, quo tempore ii dicebantur *Chatecumeni*. Unde Tertullianus (*De Praescript.*) contrariam praxim haereticis exprobrat, qui nullo delectu quoscumque in societatem admitterent. Catechumenorum autem tres distinguebantur classes. *Audientium*, *Competentium*, *Electorum*. Qui enim religionem Christianam amplecti vellent, exorcismis, insufflationibus, manuum impositione, aliisque ceremoniis ab Episcopo inaugurati, admittebantur in Ecclesiam ad verbum Dei audiendum, non tamen ipsis sublimiora religionis mysteria patefiebant, et tempore sacrificii cum ethnicis expellebantur. Hi erant *Audientes*. Si autem audita Christianae vitae perfectione, perstarent in proposito eam amplectendi, in alteram classem transferebantur eorum, qui Baptismum petebant, proptereaque dicebantur *Competentes*. In hac classe variis poenitentiae speciebus exercebantur, et si in peccata laberentur, rursus in primam classem retrudebantur. Competentes adesse Missae poterant usque ad *offertorium*, tumque a Diacono dimittebantur per illa verba: *Quicumque catechumeni discedite*. Ex competentibus, post septem scrutinia eligebantur, qui operibus bonis ostenderant, se Baptismo dignos, et dicebantur *Electi*, iisque tradebatur Symbolum, et oratio Dominica memoriter recitanda ante Baptismum, qui Sabato ante Pascha, et Pentecosten sollemniter ministrabatur. Vide *Martenium*, *Vicecomitem*, et alios.

Prob. II. Licet jam a septimo Ecclesiae saeculo desierit haec catechumenorum disciplina, tamen etiam hodie Ecclesia praeceptis Christi instituta, ne sanctum det canibus, per quadraginta circiter dies catechumenos in fidei rudimentis instruit, ab iisque evidentia conversionis signa exigit, antequam eos baptizet, ne forte, qui ficte

ficte, aut humanis moti rationibus baptismum petunt, per sacrilegium ad dedecus Christiani nominis in Ecclesiam irrepant. Hinc merito castigavit *Missionarios* illos, qui in *Tunkini*, et *Cochinchinae* regnis obvium quemque infidelium baptizabant, nullo delectu, modo baptismum verbo peterent. Vide Pastorales litteras *Francisci Episcopi Heliopolitani*, et *Petri Berytensis* editas Romae in *Typographia Congregationis de propaganda Fide.*

Dices. Apostoli cito baptizabant eos, qui baptismum petebant, ut ex *actis Apostolorum* constat. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Conversiones enim illae extraordinariae, et initio nascentis Ecclesiae necessariae per miraculum contigerunt.

Corollarium.

Cum in adultis ad recipiendum *valide* baptismum intentio requiratur; hinc sequitur, amentes, et energumenos, qui aliquando usum rationis, aut *lucida intervalla* habuerunt, nec petierunt baptismum, baptizari non posse. *V. Cap. Majores De Bapt.* S. Thomam 3. *P. Q. LXVIII. art.* 12.

Scholion.

Baptismus sine necesariis dispositionibus, sed deliberata intentione acceptus, qui Baptismum post *Augustinum* dicitur *ficte susceptus*, ratus quidem est, nec potest iterari, sed illicitus, nec effectum gratiae producit. Verum recedente postea fictione, cum scilicet homo fidem, spem, charitatem, et contritionem concipiet, effectum suum producet, hoc est remittet peccata ante Baptismum commissa, ut docent Theologi omnes post Augustinum *Lib. II. de Bapt. contra Don. cap.* 12. *et Lib. III. cap.* 13. Cum enim peccata ante Baptismum commissa non sint materia sacramenti Poenitentiae, desperata esset alioqui salus ejus, qui Baptismum ficte suscepisset; quod est contra sensum Ecclesiae, quae haereticos in haeresi baptizatos semper sinu suo excepit, si haeresim ejurassent. Quae ratio

in

in aliis Sacramentis non habet locum, praesertim iis, quae characterem non imprimunt, quod est contra recentiores quosdam *Casuistas* notandum. Certum pariter est, *fictionem* ipsam, et peccata post Baptismum commissa, per poenitentiae sacramentum ablui opertere.

C A P. VI

De effectibus Baptismi.

Adv. I. INter haereticos nonnulli virtutem omnem Baptismo denegarunt, ut *Messaliani*, alii e contrario tantam tribuerunt, ut baptizatum reddat *ἀναμάρθητον*, sive *impeccabilem*, qui error a *Joviniano* inventus, a Calvinistis propagatus, a nobis refutatus est *Lib. VII. cap.* 18.

II. Novatores quinque fictitios Baptismi effectus commenti sunt, 1.° Ajunt, liberari baptizatos ab onere divinae legis servandae, cum e contrario Christus ipse Baptismum cum obligatione servandae legis conjungat, dicens Matth. XXVIII. 19. *Baptizantes eos etc.* et *docentes eos, servare omnia quaecumque mandavi vobis.* 2.° Baptizatos non teneri legibus humanis, cum contra Apostolus Rom. XIII. 1. baptizatos alloquens, dicat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: et *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, et Heb. XIII. 17. *Obedite praepositis vestris*; imo Petr. I. 2. 18. *etiam discolis* etc. 3.° Per Baptismum irrita evadere quaecumque vota, cum contra voti observatio jure naturali, et divino firmetur *Psal. LXXV. Vovete, et reddite Domino Deo vestro* etc. 4.° Solam Baptismi memoriam mundare a peccatis post Baptismum commissis, cum tamen Apostolus de peccatis illis dicat I. Cor. VI. 9. *Nolite errare, neque fornicarii . . . neque rapaces etc. regnum Dei possidebunt.* 5.° Tandem per baptismum non deleri peccata, sed tegi per externam imputationem justitiae Christi, quod tum in *Lib. VII. Cap.* 17. confutatum est, tum hic est ulterius confutandum. Unde merito Bellarminus *Lib. I. de Bap. cap.* 12. ait, non esse hos Baptismi effectus, sed errores Novatorum.

III.

III. Catholici triplicem agnoscunt Baptismi effectum 1.° Characterem, de quo dictum est *Part. I. Cap.* 3. §. 3. 2.° Remissionem peccati. 3.° Gratiam sanctificantem.

PROPOSITIO I.

Baptismus, nisi objicem malae dispositionis inveniat, vere delet peccatum originale, et omnia actualia ante commissa, tum quoad culpam, tum quoad omnem poenam. Est dogma fidei.

Prob. I. Actor. II. 38. haec de Baptismo habentur: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*; et *ibidem Cap. XXII.* 16. *Baptizare, et ablue peccata tua.* I. Cor. VI. 11. *Et haec quidem fuistis* (scilicet peccatores) *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Rom. VIII. 1. *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Idem etiam Prophetae ante praedixerant: *Ezech. XXXVI.* 25. *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ergo etc.

Prob. II. Ex traditione. 1.° In Symbolo Constantinopolitano confitemur *unum Baptisma in remissionem peccatorum.* 2.° Tertullianus *Lib. de Bapt. cap. I. Felix*, inquit, *Sacramentum aquae nostrae, qua abluti delictis pristinae caecitatis, in vitam aeternam liberamur.* 3.° Hieronymus *Epist. LXXXII. ad Oceanum. Omnia nobis Baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam Judicis est metuenda severitas.* Longum, et supervacaneum est omnes citare Patres Unde Eugenius in *Decreto: Hujus sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis, et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur.* Tridentinum *Sess. V. can.* 5. *Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet, sed illud tantum dicit radi, aut non imputari, anathema sit.* Idem etiam ex

ex praxi Ecclesiae constat, quae nullam unquam Baptizatis imposuit poenitentiam. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Homo post Baptismum manet morti, concupiscentiae, aliisque calamitatibus obnoxius, quae sunt poenae peccati originalis. Ergo.

℟. *Dist. ant.* Ad virtutis exercitationem, *conc.* Ad poenam luendam, *neg.* Cum enim poena supponat culpam: culpa autem omnis in Baptismo remittatur; calamitates illae, quae post Baptismum manent, non habent veram poenae rationem. Sed eas manere voluit Deus post Baptismum, tum ne homines potius ad temporalia commoda, quam ad vitam aeternam comparandam Baptismum peterent, tum ne amitteretur meritum fidei, quae rerum est non apparentium, tum ut exercerentur homines virtutibus; tum denique quia post Adae peccatum mors, aliaeque aerumnae evaserunt homini ad salutem necessariae; si enim inter tot calamitates terrenis rebus inhiamus, quid esset, si nullam in rebus terrenis inveniremus amaritudinem? Sed quia nobis aerumnae illae molestae sunt, *poenalitates* vocantur.

Inst. Concupiscentia remanet in renatis. Atqui concupiscentia est ipsum originale peccatum. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Concupiscentia remanet in renatis quoad actum, sive quoad *materiale*, *conc.* Quoad reatum, et dominatum in voluntate, *neg.* Item *dist. min.* Concupiscentia quoad reatum est ipsum peccatum originale, *Transeat*: quoad actum, *neg.* Vide Conc. Tridentinum *Sess. V. can.* Vide etiam *Lib. V. Part. IV.* ubi de peccato originali diximus.

Objic II. Sicut vetus Ecclesia lapsos duris paenitentiae laboribus exercebat ante absolutionem, ita Catechumenos ante Baptismum. Ergo ut certum habuit, Baptismum, et Poenitentiam non remittere poenam omnem temporalem.

℟. *Dist. maj.* Ecclesia catechumenos exercebat ad peccati satisfactionem, *neg.* Ad probationem, ut scilicet cognosceret, an vere conversi essent, et Chri-

stia-

stianam vivendi rationem amplecti vellent, conc. Mutata enim disciplina circa poenitentiam; post absolutionem imponitur adhuc satisfactio, non vero post Baptismum.

PROPOSITIO II.

Baptismus non modo delet peccata, sed gratiam sanctificantem tribuit, cujus triplex praecipue est effectus, regeneratio, adoptio, et hereditas Regni caelestis. Est dogma fidei.

Prob. 1*a. pars.* tum ex eo quod diximus *Lib. VII. Cap.* 17. *et* 18. remissionem peccatorum non fieri sine infusione gratiae sanctificantis, tum ex Apostolo *cit. Epist. I. ad Cor. VI.* 11. *sed abluti estis, sed justificati estis, sed sanctificati estis.* Et *Ephes. V.* 25. *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae; ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata.*

Utrum autem cum justificatione infundantur etiam in Baptismo virtutes, in eodem *Lib. VII.* diximus.

Prob. 2*a. pars.* Apostolus *ad Tit. III.* 5. *Salvos*, inquit, *nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.* Et Christus Baptismi necessitatem *Nicodemo* exponens *Joan. III.* 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, etc.* et. ibidem baptizati ex *spiritu nati* dicuntur: *quod natum est ex carne, caro est: et quod natum ex Spiritu, Spiritus est.*

Prob. 3*a. pars.* Idem Apostolus Baptizatos alloquens *Rom. VIII.* 15. *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*: et Joannes *Epist. I. Cap. III.* 1. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.*

Ex hac adoptione constat veritas 4*ae. partis. Si enim fi-*

filii, inquit Apostolus, *et heredes*, *heredes quidem Dei*, *coheredes autem Christi. Rom. VIII.* 17.

Ex innumeris Patrum textibus, qui proferri possent, unum adducere sat est insignem Chrysostomi locum (*Homilia ad Neophyt.*) *Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; et cives Ecclesiae sunt, qui fuerant in peregrinationis errore, et justitiae in sorte vocantur, qui fuerant in confusione peccati. Non tantum sunt liberi, sed sancti: non tantum sancti, sed et justi; non solum justi, sed et filii, non solum filii, sed et heredes, non solum heredes, sed et fratres Christi, nec tantum fratres Christi, sed et coheredes; non solum coheredes, sed et membra: non tantum membra, sed et templum, non tantum templum, sed et organa spiritus. Vides quot sunt baptismatis largitates. Nonnulli deputant, coelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem.*

Porro sicut carnales parentes suppeditant filiis, quae generis sui dignitatem decent: ita Deus *spiritualiter* renatis illa auxilia subministrat, quibus vivere possint, ut decet sanctos, filios Dei, heredes Regni coelestis. Jus ergo illud ad haec auxilia accipienda, gratia *sacramentalis* est, Baptismi propria.

Scholion.

Cum Baptismus nullas in infantibus dispositiones requirat, hinc aequalem in omnibus infantibus producit effectum: Contra vero, cum in adultis dispostiones necessariae sint: hinc pro majori, vel minori hominis dispositione, majorem, vel minorem tribuit gratiam. Si quis autem *ficte*, h. e. cum affectu ad mortale peccatum baptizetur, nullam is adipiscitur gratiam ut supra diximus. Quod si adfectum servet ad peccatum veniale, ab illius reatu non solvitur, nec a poena; donec eum poeniteat.

CA-

CAP. VII.

Utrum votum Baptismi, et Martyrium eosdem effectus producat, quos Baptismus.

Adv. Votum, seu desiderium Baptismi, et martyrium, vel sunt in homine Dei charitate destituto (quod tamen in vero martyrio vix potest accidere), vel in homine, qui Dei charitate flagrat, eaque vel imperfecta, vel perfecta; sive sit *appretiative* perfecta, sive *intensive*, ut Scholae ajunt. Rursus homo Baptismum ex charitate desiderans, vel est in extrema necessitate, vel non.

II. Certum est, hominem charitate destitutum sine Sacramento numquam justificari. *Qui enim non diligit, manet in morte I. Jo: III.* 14.

III. *Estius* putat, hominem, licet perfecta charitate flagrantem, solum in necessitate justificari ex voto Baptismi; quem auctorem nonnulli benigne intelligunt de charitate perfecta quoad ejus *motivum*, sed non quoad gradus, et vehementiam. Christianus Lupus *Dissert. De necessitate charitatis* censet, hominem in necessitate positum ex voto Baptismi justificari, licet charitatem habet *intensive* imperfectam. Alii docent, hominem charitate etsi *intensive* imperfecta flagrantem ex voto Baptismi justificari, non solum in necessitatis causa, sed etiam passim, et ordinarie.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, hominem absolute perfecta Dei charitate flagrantem, aliquando, hoc est saltem in ultima vitae periodo justificari ex voto Baptismi.

Prob. I. Ex Concilio Tridentino *Sess.* XIV. *Cap.* 4. *Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam tamen reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam*: quod hi-

ect praecise de Sacramento Poenitentiae dicatur, par tamen ratio est de Baptismo. Ergo.

Prob. II. Pius V. hanc propositionem damnavit in Bajo: *Charitas perfecta, quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, in catechumenis, et poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Ergo.

Prob. III. Ex omnibus Scripturae locis, in quibus charitati justificatio tribuitur: *Ego diligentes me diligo: Qui diligit me, diligetur a Patre meo ect.* Vide quod dicemus inferius de Poenitentia, ubi plenius haec explicabitur quaestio. Ergo etc.

Objic. Fulgentius *Lib. De fide ad Pet. Cap.* 3. haec habet: *Non dicimus, illum sine Baptismi sacramento, sola confessione potuisse salvari.* Ergo.

℟. Vel *Fulgentius* intelligendus est de eo, qui imperfecta tantum Dei charitate flagrat, vel ejus sententiam, si de charitate perfecta loquitur, *Ecclesia* non probavit.

Corollaria.

Quoniam loca Scripturae, Tridentini, et *Pii V.* loquuntur de omnibus, in quibus charitas Dei perfecta est, patet, non solum in extrema necessitate, sed etiam passim justificari hominem ex voto Baptismi, si perfecte Deum diligat. Hinc cum *actu* postea Baptismum suscipiet, gratiae accipiet augmentum, et characterem.

PROPOSITIO II.

Verisimilius est, hominem in extrema necessitate justificari ex voto Baptismi, si peccatum detestetur ex charitate imperfecta, sed quae sit super omnia.

Prob. I. ex Scriptura *Joel. II.* 32. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Sed qui peccata detestatur ex charitate imperfecta, quae tamen est super omnia, is profecto Deum invocat. Ergo si in extrema necessitate non justificaretur, non omnis, qui-

 cum-

cumque invocaverit nomen Domini, salvus erit, quod absurdum est, et Prophetae verbis adversum.

Prob. II. ex Traditione. 1.° Cyprianus *in Epist. ad Jubajanum* docet, eos, qui ab haereticis baptizati sunt, quorum putabat non ratum esse baptismum, si ad Ecclesiam catholicam venerint, nec iterum fuerint baptizati, et in pace Ecclesiae mortui sint, indulgentiam peccatorum ex Dei misericordia consecutos. 2.° *Ambrosius* in oratione funebri de obitu *Valentiniani*, qui catechumenus obierat, ait, eum ex desiderio Baptismi fuisse justificatum. *Dudum*, inquit, *hoc votum habuit ... Non habet ergo gratiam, quam desideravit? ... hunc sua pietas abluit, et voluntas.* 3.° Idem docet Augustinus *Lib. IV. de Bapt. cont. Don. Cap.* 22.

Prob. III. ex praxi Ecclesiae. Licet enim olim Ecclesia Romana non consueverit quinque prioribus saeculis pro catechumenis defunctis offerre sacrificia, ut patet ex Leone Magno *Epist. CXI.* et Gelasio I. *in Concilio Romano apud Labbeum*; tamen reliquae Ecclesiae semper, et ipsa Ecclesia Romana a sexto saeculo oraverunt, et sacrificia obtulerunt pro catechumenis sine Baptismo mortuis. Cum ergo major catechumenorum pars imperfectam tantum habeat Dei charitatem, putavit Ecclesia, eam cum voto Baptismi in extrema necessitate sufficere. Neque vero id est a Theologicis rationibus alienum. Non enim putandum est, Deum, qui est in misericordia dives, aeternis velle poenis addicere hominem, quem a baptismo, cujus desiderio flagrabat, non negligentia, non contemptus, sed necessitas mortis exclusit. Jure ergo Theologi votum baptismi ex charitate conceptum vocant baptismum *flaminis*, quia afflante S. Spiritu animam interius a peccatis abluit.

Scholion.

I. Cum Ecclesia oraverit pro catechumenis sine Baptismo mortuis, patet, ex voto Baptismi in causa necessitatis non totam remitti poenam temporalem, peccato debitam in altera vita

II. Rationes, quae evincunt, in necessitatis caussa suffi-

sufficere Baptismi votum ex charitate imperfecta, eadem probant, extra eam caussam non sufficere sine sacramento reipsa suscepto.

PROPOSITIO III.

Martyrium remittit pecata tum quoad culpam, tum quoad totam poenam, idque ex opere operato.

Prob. 1a. pars, quae ad fidem pertinet. I. Qui flagrat charitate Dei vehementissima, qua major esse in hac vita non potest, consequitur peccatorum omnium remissionem tum quoad culpam, tum quoad poenam; ut patet tum ex Scriptura, quae eam efficaciam dilectioni tribuit, ut multitudinem peccatorum operiat, tum ex praxi Ecclesiae, quae quo major erat poenitentium charitas, eo magis poenitentiae labores minuebat, ut constat ex Concilio Nicaeno I. *Can.* 12. Atqui *majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponet quis per* Christo *ex Joan. XV.* Ergo etc.

Prob. II. ex constanti Ecclesiae traditione, quae semper adeo certo credidit, martyribus totam peccati poenam remitti, ut indignum judicaverit pro iis offerre sacrificium *Injuriam facit martyri*, inquit Augustinus *Serm. XVII. De Verbis Apostoli, qui orat pro martyre.* Et Cyprianus *Epist. LXXIII. ad Jubajanum. Numquid potest vis Baptismi major esse, aut potior, quam confessio, ut quis coram hominibus Christum confit-atur?*

Prob. 2a. pars ex traditione Ecclesiae, quae semper venerata est, ut sanctos martyres, omnes infantes ab Herode pro Christo occisos; nec umquam curavit inquirere, utrum inter illos aliqui fuerint nondum circumcisi, quia Christum non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Unde omnes infantes in odium Religionis occisi, etiam in utero matris, sancti sunt. Ergo etc.

Nec dicas cum *Dominico Soto*, martyrium aliter operari in infantibus, aliter in adultis; tum quia hujusmodi distinctio nullo fundamento nititur; tum quia ex hac doctrina sequeretur, charitatem, qua flagrant adulti, imminuere martyrii virtutem, quod absurdum est. Merito ergo Martyrium dicitur *Baptismus sanguinis.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Baptismus saltem in voto est necessarius necessitate medii ad salutem, ut inferius ostendemus. Ergo ejus effectus non supplentur per martyrium, saltem *ex opere operato*.

Respondent nonnulli *distinguendo ant.* Baptismus saltem in voto est necessarius necessitate medii, excepta martyrii causa, *conc.* Secus, *neg.* Nituntur autem auctoritate Augustini Lib. XIII. *de Civ. cap.* 7. *Qui dixit, nisi quis renatus fuerit etc. alia sententia illos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dicit, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Unde docent, in martyre non esse necessarium Baptismi votum.

Respondent alii *neg. cons.* quia in martyrio, saltem *implicite, vel interpretative* votum Baptismi inest, et comprehenditur; qui enim vere diligit Christum, omnia mandata ejus diligit. Unde S. Tomas 3. *P. Q. LXVI. art.* 12. *ad* 2. *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate*, ait enim Apostolus I. Cor. XIII. *si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, et non e converso: unde ex hoc ipso probatur perfectior.*

Inst. Ergo si martyrium charitatem requirit, agit *ex opere operantis*, vel etiam dicendum est, ipsum esse Sacramentum, quod absurdum est.

℟. *Neg. cons.* Nam ipsa Sacramenta novae legis, quae *ex opere operato* agunt, in subjecto dispositiones requirunt. Neque etiam sequitur ex nostra doctrina, martyrium esse Sacramentum; ad sacramentum enim necessaria est institutio divina, ritusque perpetuus, quae non sunt in martyrio, quod in persecutoribus actio impia; in patiente tamen opus tantae charitatis est, ut Christus pro eo omnium peccatorum remissionem promiserit, quia per ipsum homo perfecte passioni Christi assimilatur, ut advertit *S. Thomas*.

Objic.

Objic. II. Cyprianus *Epist. LIV. ad Cornel.* docet, catechumenos baptizandos, imminente persecutione: *Nec quisquam* inquit, *dicat: qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est, habituro gloriae suae pacem, et accepturo majorem de Domini dignatione mercedem.* Ergo putabat, martyrium non supplere Baptismum.

℟. *Neg. cons.* Vult enim *Cyprianus*; ante persecutionem quemque armandum esse sacramentis, non quia martyrium ei non sufficeret ad salutem (contrarium enim ipse docet loco supra laudato) sed quia sine hoc adminiculo fortasse deficeret, nec martyrium tolerare posset; quod patet ex eo, quod non solum Baptismo, sed etiam Eucharistia muniendos fideles ante persecutionem docet. Quod si quis, cum posset Baptizari, negligeret, jam esset charitate destitutus.

C A P. VIII.

De necessitate Baptismi.

Adv. I. Necessitas duplex est, alia *medii*, alia *praecepti*, ut alibi explicavimus. Quaerimus ergo hic, utrum in Baptismo duplex illa sit necessitas. Diximus autem supra, Baptismi effectum suppleri posse per ejus votum in adultis, et per martyrium tum in adultis, tum in infantibus. Quaestio ergo est, an extra eas caussas necessarius sit Baptismus.

II. Pelagiani peccatum originale negantes asserebant etiam, Baptismum non esse necessarium ad peccati remissionem, neque ad vitam aeternam adipiscendam; sed pressi evangelica sententia: *Nisi quis renatus fuerit* etc. *non potest introire in regnum Dei*; inter vitam aeternam, et regnum Dei distinguebant, et illam quidem, affirmabant parvulos habituros, si sine Baptismo decederent; sed a regno Dei excludi. *Quam* futilem distinctionem ubique exagitat *Augustinus.*

III. Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* 15. *n.* 22. infantibus filiis fidelium negat necessarium esse baptismum. Ulterius progressi Sociniani asserunt, Baptismum nullum habere in Scripturis praeceptum, sed rem esse hodie

die *adiaphoram*; licet initio Ecclesiae necessarius fuerit ad distingnendos eos, qui ex Judaeis, aut Gentilibus convertebantur ad fidem.

IV. Cardinalis *Cajetanus* censuit, infantes filios fidelium, quibus per Baptismum subveniri non posset, salvos fieri per preces, et vota parentum, idque ex lege Dei ordinaria, quam sententiam ex operibus *Cajetani* Pius V. expungi jussit.

V. Docuerant etiam *Gerson*, *Durandus*, *Bonaventura*, hortandos esse fideles parentes, ut preces funderent pro filiis; quibus per baptismum succurri non posset, eo quod fieri possit, ut Deus extraordinarie eorum preces exaudiat, suppleatque Baptismi defectum; quod a sententia *Cajetani* distat aliquantulum.

PROPOSITIO.

Praeter eas causas, quibus diximus, salvos fieri homines ex voto Baptismi, aut martyrio, Baptismus est omnibus necessarius necessitate medii ad salutem.

Prob. I. Ex generali illa Christi sententia *Joan. III.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quae verba de vero Baptismo intelligenda esse, non per metaphoram de interiori renovatione per Spiritum S. patet 1.° Quia verba Scripturae in sensu obvio, atque ad litteram accipienda sunt, nisi aliquid ex sensu illo sequatur absurdi. 2.° Quia Christus aperte regenerationem per Spiritum S. tribuit Baptismo, tamquam causae; *ex aqua*, inquit, *et Spiritu S.* 3.° Quia ipsi Calvinistae hoc loco utuntur, ut probent contra *Anabaptistas*, parvulos posse ablui aqua Baptismatis. 4.° Quia ita verba illa semper intellexit Ecclesia, ut ex sequentibus Patrum locis perspicuum est. Ergo.

Prob. II. *ex PP.* 1.° Tertullianus *Lib. de Bapt. cap.* 12. *Praescribitur*, inquit, *nemini sine Baptismo competere salutem.* Et *cap.* 17. docet, eum, qui non baptizavit hominem jam moriturum, esse *reum perditi hominis.* 2.° Chrysostomus. *Homil.* III. *in Cap.* 1. *Actor.*

Si

Digitized by Google

Si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius (Episcopi) *subvertit salutem? Unius enim animae perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione aestimari possit.* Atque hac ratione Cyprianus *Epist. ad Fidum* docet, infantibus etiam filiis fidelium statim ministrandum esse Baptismum, ne si eo non initiati moriantur, in aeternum pereant, et vetus Ecclesia sollicita semper fuit, ut adulti de vita periclitantes statim baptizarentur, si vel voce, vel signo Sacramentum petiissent. 3.° Augustinus *Lib. I. de peccator. merit. cap.* 23. *Nulla . . . ex nostro arbitrio praeter Baptismum Christi salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura Divina humanis omnibus ingeniis praeferenda.* Idque repetit in aliis libris saepissime. Idem definierunt Concilium Carthaginiense IV. *in Epist. Synodica ad Innocen.* I. Concilium Milevitanum *Epist. ad eumdem*, aliaque. Merito Tridentinum *Sess. VII. can.* 5. *de Baptismo* ita statuit: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

Corollarium.

Ergo Baptismus adultis necessarius necessitate praecepti est. Quilibet enim rationis compos divino tenetur praecepto adhibere *media* ad salutem necessaria. Unde quidquid est necessarium *necessitate medii*, est adultis necessarium necessitate praecepti.

Sol-

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Apostolus *I. Cor. VII.* 14. de filiis fidelium ait: *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Ergo Baptismus non est iis necessarius.

℟. *Neg. cons.* Apostolus enim non loquitur ibi de sanctitate proprie dicta, sed de dispositione ad sanctitatem in Baptismo accipiendam. Ait enim: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem* (per quandam utique suasionem, ac dispositionem) *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*, quia sanctificati parentes etiam filios ad Baptismum adducunt. Unde *Tertullianus* vocat filios, quorum vel unus parens fidelis est, *destinatos sanctitati et saluti.*

Objic. II. pro sententia *Gersonis*, et *Cajetani.* Ante legem Evangelicam salvi fiebant parvuli per fidem parentum. Atqui per Evangelium non est coarctata salutis via. Ergo cum Baptismus ministrari non potest, sufficit ad salutem fides parentum, vel eorum orationes ad Deum fusae pro suis infantibus. 2.° Saltem dogma fidei non est, id non sufficere, cum habeamus tales viros, qui id defenderint, nec eorum sententiam Concilium Tridentinum damnaverit, ut docet *Pallavicinus in Historia Concilii.* Ergo.

℟. *Transeat maj. neg. cons.* Dixi *transeat major*, nam *Part. I. Cap.* 2. §. 2. ostendimus, parentum fidem signo aliquo externo infantibus applicari debuisse. Sed licet concederetur ea propositio, non valeret consequentia, quia quamvis post promulgatum Evangelium non sufficiat sola parentum fides, non ideo per Evangelium via salutis coarctata est; fides enim illa parentum, quae infantes salvos facere potuisset, ea utique magna esse, atque sincera debuisset, talis autem fides erat ante Evangelium rarissima, cum e contrario Evangelium suppeditet nobis *remedium* efficax ad salutem infantium, quod operatur etiam sine fide, a sanctitate ministri, simulque facillimum, ut ferme non possit infantibus, nisi ex culpa parentum deesse.

Ad 2m. Sententia *Cajetani* jussu *Pii V.* expuncta est ex ejus operibus, utpote fidei parum consona: Ideo autem, ut testatur idem *Pallavicinus*, non damnata a Concilio Tridentino, quia non illud fuerat ad has controversias sopiendas convocatum. Sententia vero *Gersonis*, qui asserit, fieri posse, ut Deus extra ordinem exaudiat preces parentum pro filiis fusas, veritati proposisionis nostrae nihil incommodat. Si enim Deus extraordinarie potest hominem servare vivum sine cibo, ut Moysen, et Eliam per quadraginta dies, non sequitur hinc, cibum non esse ad servandam vitam necessarium *necessitate medii*. Ceterum meminisse oportet id, quod ait Augustinus supra laudatus: *Nulla ... ex nostro arbitrio praeter Baptismum Christi salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina humanis omnibus ingeniis praeferenda.*

Inst. Deus vult, omnes homines salvos fieri, atque ideo etiam infantes, qui vel in utero materno moriuntur, vel alia ex causa Baptismum suscipere non possunt. At qui vult *finem*, vult etiam *media*. Ergo cum voluntas Dei efficacissima sit, debet adjumentum suppeditare aliquod, quo salvi fiant infantes, quibus baptismus ministrari nequit.

Dist. maj. Vult omnes, etiam infantes in utero materno morientes, salvos fieri *voluntate antecedenti*, *conc. voluntate consequenti*, *neg.* Ex hac antecedenti voluntate Deus sufficiens salutis adjumentum infantibus illis praeparavit, scilicet Baptismum. Quod autem hoc illis non applicetur, in causa est originale peccatum, ex quo oriuntur *poenalitates* illae, quae pueros e medio tollunt, antequam baptizari possint, quarum effectus non vult Deus per miraculum impedire, cum non sint pueri illi a massa perditionis divina praedestinatione discreti. Ita passim respondet *Augustinus.*

CAP.

CAP. IX.

De ceremoniis Baptismi.

Adv. CEremoniae Baptismi aliae in usu sunt apud Graecos, quae videri possunt apud *Goarium*, et *Arcudium*, aliae in veteri Ecclesia Latina, de quibus vide *Vicecomitem*, *Martenium*, *Menardum* etc. aliae denique adhuc in Ecclesia Latina sunt in usu, quae in Rituali Romano describuntur. Vide *S. Thomam*, et *Cathechismum* Romanum, qui mysticas singulorum rituum significationes explicant, et *Bellarminum*, qui illos a calumniis haereticorum vindicat. Hic tantum quaeremus quaenam sint circa ceremonias officia ministri, susceptorum, seu *patrinorum*, et ipsius baptizati.

PROPOSITIO I.

Extra necessitatis causam minister Baptismi ordinarius, vel Diaconus justa de causa ab ordinario delegatus, graviter peccat, si ceremonias Baptismi praetermittat.

Diximus *extra caussam necessitatis*, quia in ea caussa quilibet homo potest Baptismum sine sollemnitate, h. e. sine ceremoniis ministrare. Diximus etiam *minister ordinarius*, vel Diaconus, quia aliis ministris sollemnes Baptismi ceremonias adhibere non licet.

Prob. prop. ex iis, quae diximus de ceremoniis Sacramentorum generatim. Peccat enim minister, qui in re gravi Ecclesiae praeceptum infringit. At minister in proposita causa infringit in re gravi Ecclesiae praeceptum. Ergo etc. Hinc si in Baptismo vel ex necessitate, vel ex negligentia ministri ceremoniae praetermissae sint, illae, si fieri potest, in Ecclesia supplendae sunt, ut omnes Libri praecipiunt Rituales.

Dices. Saltem exorcismus adhiberi non debet in puero baptizato in necessitate sine ceremoniis; exorcismus enim significat, puerum adhuc esse sub potestate dia-

diaboli, quod falsum est, si puer fuit rite, sive *valide* baptizatus. Ergo etc.

℞. *Neg.ant.* Negamus enim, exorcismum in ea caussa significare dominantem in puero diabolum. Ceremoniae enim Ecclesiae repraesentant ut praesentes etiam res praeteritas, aut futuras. Ita in Adventu Ecclesia ita se gerit, quasi Christum nasciturum expectaret etc. Adhibetur ergo exorcismus etiam in puero rite baptizato, ut ob oculos fidelium ponatur, a quanto hoste, ac tyranno per baptismum fuerit ille liberatus.

Corollarium.

Hinc licet Apostolorum temporibus Baptismus passim quocumque in loco ministraretur; constat enim, *Philippum* baptizasse Eunuchum in via, *Petrum* domi baptizasse *Cornelium*, aliosque etiam in Tiberi, ut docet Tertullianus *Lib. De Baptis.* tamen institutis in Ecclesia *Baptisteriis*, non licet Baptismum ministrare, nisi in Ecclesiis *Parochialibus*, ubi Baptisteria sita sunt. Id enim vetant canones, et Rituales Libri, exceptis tantum filii Regum, aut Principum, quos ipsa Ecclesia domi baptizari permittit. Vide *Clementin.unic. Lib. III. tit.* 15. et Rituale Romanum.

PROPOSITIO II.

Patrini non possunt esse plusquam unus, vel una; vel ad summum unus, et una; contrahunt cum baptizato, ejusque patre et matre cognationem spiritualem, et tenentur baptizatum imbuere moribus, et fide Christiana.

Prima pars definita est a Concilio Tridentino *Sess. XXIV. De ref. Matr. cap.*2. Unde nec Episcopus in ea disciplina dispensare potest, et Parochus plures admittens patrinos, graviter peccat, sicuti etiam peccaret, si sine patrino Baptismum ministraret, cum patrini praesentia sit una ex praecipuis Baptismi ceremoniis, ex antiquissima, et fortasse Apostolica traditione descendens, ut constat ex Tertulliano *Lib. de Baptis. cap.* 18. et Au-

Augustino *Lib. I. De peccator. merit. cap.* 34.

Altera pars etiam in jure definita est (a), quo statuitur, ut licet Parochus contra canonum decreta plures admittat patrinos, quam jura permittunt, illi tamen omnes spiritualem cognitionem contrahant. Ita *in Cap. Quamvis. De cognatione spirituali in 6. Quamvis non plures quam unus vir, vel una mulier accedere debeant ad suscipiendum de Baptismo infantem, si tamen plures accesserint spiritualis cognatio inde contrahitur, Matrimonia contrahenda impediens, et etiam post contracta dissolvens.* Haec autem cognatio licet olim latius pateret; a Concilio tamen Tridentino contracta est ad baptizantem sive confirmantem, et baptizatum, sive confirmatum, baptizatique, sive confirmati patrem, et matrem, item ad patrinum, et baptizatum, sive confirmatum, baptizatique, sive confirmati patrem, et matrem *Sess. XXIV. Cap. 2. de ref. Matr.*

Tertia pars constat ex fine institutionis patrinorum. Ad hoc enim ab Ecclesia instituti sunt, ut quoniam in Baptismo spoponderunt, baptizatum Christiane victurum, omnem deinde adhibeant diligentiam, ut revera ille stet promissis suo nomine factis. Unde *in Can.* 105. *De Consecr. Dist. IV.* legitur: *Vos ante omnia, tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis, fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant . . . . Ante omnia symbolum, et Orationem Dominicam et vos ipsi tenete, quos suscepistis de sacro fonte, ostendite.* Quae verba sumpta videntur ex *Serm.* 163. *De tempore* inter eos, qui *Augustino* tribuuntur. Vide etiam exhortationem Catechismi Romani *Part. II. Cap. 2. n.* 28.

Co-

(a) Vide Decr. Gratiani *Caus. XXX. Q. 1. et Lib. IV. Decretal. tit. XI.*

Corollaria.

I. Ex dictis sequitur, non posse ut patrinos admitti 1.° mutos, 2.° rationis impotes, 3.° qui nondum baptizati sunt, et *a fortiori* infideles, haereticos, et apostatas, 4.° publicos peccatores, 5.° qui doctrinae Christianae praecipua capita ignorant. Cum enim suos spirituales filios fide, et bonis moribus imbuere debeant patrini, oportet, ut ipsi primum in iis irreprehensi sint.

II. Merito autem positivo jure ab eo munere arceantur Monachi ex *Cap.* 103. *Dist. IV. de Consecr.* et Clerici, ne occasione spiritalis, quam contrahunt, cognationis, aliquod oriatur scandalum.

PROPOSITIO III.

Sponsiones, quae fiunt in Baptismo, sunt vera vota.

Prob. Votum est promissio facta Deo de bono meliori. Atqui tales sunt sponsiones, quae fiunt in Baptismo; promittunt enim baptizati, 1.° se Christo perpetuo adhaesuros, ejusque Evangelium secuturos, ut morum suorum regulam, 2.° obtemperaturos Ecclesiae, ejusque Pastoribus, 3.° se renuntiare Satanae et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus, quibus rebus nihil melius est. Ergo etc. Hinc S. Thomas *2a. 2ae. Q. LXXXVIII. art.* 2. *ad* 1. absolute appellat vota promissiones baptizatorum, et Augustinus *Epist. CXLIX. al. LIX. ad Paulin.* appellat *maximum votum*. Ergo vera sunt vota.

Sed quoniam usus vulgo invaluit, ut vota appellentur promissiones Deo factae de bono non debito, sed *supererogationis*; promissiones autem in Baptismo fiunt de operibus bonis ad salutem necessariis, ad quae omnes jure naturae obstricti sunt, unde etiam infantes possunt his obligari, ut supra diximus; idcirco in eo vulgari sensu sponsiones in Baptismo factae vota non sunt.

Co-

Corollarium.

Hinc merito S. Thomas *in IV. Dist.* 38. *Q.* 1. *art.* 11. infert, peccata baptizatorum graviora esse peccatis ejusdem generis, quae a non baptizatis admittuntur : idque doctrinae Apostoli consentaneum est *Heb. X.* 28. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est; et Spiritui gratiae contumeliam fecerit?*

P A R S III.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

C A P. III.

De variis nominibus, quibus Sacramentum Confirmationis a veteribus est appellatum.

Sacramentum Confirmationis, quo ii, qui jam ex Spiritu S. per baptismum nati sunt, per eundem Spiritum roborantur, pluribus nominibus appellatur a veteribus. Dicitur 1.° *manus impositio*, ut apud Augustinum *Lib. III. de Bapt. Cap.* 16. quod nomen etiam tribui solet Poenitentiae, et Ordinationi, sed frequentissime de hoc Confirmationis Sacramento intelligitur. 2.° *Sacramentum chrismatis* apud eundem *Lib. II. con. lit. Petil. cap.* 104. 3.° *Sacrum unguentum. signaculum Dominicum, signaculum spirituale* passim apud Graecos, et Latinos. 4.° *Perfectio* apud *Ambrosium*, vel auctorem *Lib. III. de Sacram. cap.* 2. 5.° denique apud Latinos posteriori aevo frequentius *Confirmatio*, quod vocabulum etiam aliquando, licet rarius, apud veteres occurrit, ut videre est in constitutionibus Apostolicis *Lib. III. cap.* 17. Concilio Arausicano I. *can.* 1. Concilio

cilio Arelat.III. *can* 2. et Leone M. (a) *Epist. LXXIX.* De eo autem quaeremus, quaenam ejus natura sit, quinam effectus, quae materia, quae forma, quis minister, quod *subjectum*, et quaenam in eo necessariae dispositiones, quae necessitas, quaenam ceremoniae.

C A P. II.

De natura Confirmationis.

Adv. UT confirmationis naturam accurata definitione explicemus, primum stabilienda est catholicae Ecclesiae doctrina, scilicet Confirmationem esse verum novae legis Sacramentum. Hanc doctrinam primus oppugnavit Lutherus *Lib. de Captiv. Babyl.* quem deinde Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* 24. ceterique Novatores secuti sunt, docentes, Confirmationem esse Baptismi quamdam ceremoniam non solum otiosam, verum etiam superstitiosam, atque pestiferam. *Joannes Dallaeus* Calvinista Libros contra Sacramentum confirmationis evomuit tres. Licet autem illi laudaverint ut suae haeresis auctores *Novatianos*, *Waldenses*, *Wiclefistas*, et *Hussitas*, dignos quidem talibus discipulis magistros; constat tamen, eos hereticos, licet in aliis rebus erraverint, confirmationem tamen numquam ex albo Sacramentorum expunxisse, ut ostendit Juenin *Comment. Histor. Dissert. III. Q. I. cap.* 2. Bossuet *lib. XI. Histor. variat. n.* 107. Vitassius, aliique. Certum est igitur, primum omnium Lutherum doctrinam tot saeculis intactam impugnasse. Quam doctrinam ut solide probemus, sit

(a) Vide de his vocabulis Lindanum *Apologia part. II. et Lib. IV. Panopliae cap.* 6. Durantium *de Ritibus Eccles. Cathol. Lib. I. cap.* 20, *et* Molanum *Lib. I. Theolog. Pract. Cap.* 6.

PROPOSITIO

Confirmationem esse verum novae legis Sacramentum, dogma fidei est.

Prob I. Ex Scriptura *Act. VIII.* 14. legimus, Apostolos, cum audissent, Samaritanos a Philippo baptizatos, misisse ad eos Petrum, et Joannem, *qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum ... Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Habes ergo ritum externum, scilicet orationem, et manus impositionem; habes huic ritui adjunctam sanctificantem gratiam; quoties enim simpliciter dari dicitur Spiritus Sanctus, non de gratia miraculorum, ut Novatores contendunt, sed de Spiritu Sancto, et praecipuo ejus dono, scilicet gratia sanctificante intelligitur, quae primis Ecclesiae saeculis ex accidenti gratias *gratis datas* habebat adjunctas. Habes denique divinam institutionem; non enim Apostoli propria auctoritate gratiam Dei externis signis adjungere poterant. Ergo etc.

Prob. II. ex Traditione, cujus tot habemus monumenta, ut *Contensonus* merito affirmet, si quod aliud Sacramentum habet in Scriptura, et traditione fundamentum, confirmationem maxime duplici illo fundamento inniti. 1.° *Tertullianus* II. saeculo *Lib. de Resurr. Carnis cap.* 8. describens tria Sacramenta, quae simul initiatis dabantur, ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur*: en baptismus; *caro signatur, ut et anima muniatur*: *caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur*: en Confirmatio: *caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur*; en Eucharistia.

2.° *Cyprianus* III. saeculo *Epist. LXXIII.* loquens de impositione manus ab Apostolis facta *Act. VIII.*, ait: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, per praepositos Ecclesiae offerantur, ut per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum accipiant.*

3.° *Cyrillus* Hierosolymitanus IV. saeculo *Catechesi* III. Confirmationem cum Eucharistia comparans, ait *Sicut panis Eucharistiae post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed Corpus Christi: ita et sanctum istud unguentum non amplius est unguentum nudum . . . post invocationem . . . . Dum isto visibili unguento ungitur corpus; Sancto, et vivifico Spiritu anima sanctificatur.*

4.° *Hieronymus* saeculo V. *in Dialogo cont. Lucifer*. *Non quidem abnuo*, inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros, et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem S. Spiritus manum impositurus excurrat.*

5.° *Augustinus* eodem saeculo *Tract. VI. in Epist. Joannis* ait, manus impositionem, de qua Lucas *Act. VIII.* loquitur, etiam nunc fieri super baptizatos; quia licet miracula desierint, non deest tamen gratiae infusio per Spiritum Sanctum: et *Lib. II. contra litteras Petil.* ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et Baptismus.*

6.° *Gregorius M.* saeculo VI. idem habet *Lib. XII. Epist.* 31. *et Homil. in Evangel.* et in Sacramentario. Posteriorum vero saeculorum testimonia vide apud Natalem Alexandrum *Hist. Eccles. Saec. II. Dissert. X.* in qua Jo: Dallaei argumenta late confutat, *Bellarminum*, *Witassium*, *Sambovium* contra *Dallaeum* etc. Idem probari potest ex Conciliis Eliberitano, Hispalensi II. Cabillonensi II. Parisiensi VI. etc. Tandem ipsum demonstratur *ex praescriptione*. Nam ante *Lutherum* universa Ecclesia Confirmationem pro vero novae Legis sacramento habebat, nec tempus statui potest, quo ea fides incoeperit.

Merito ergo Tridentinum *Sess. VII. De Confir. can.* 1. definivit: *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam ceremoniam esse, et non potius verum sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.* Ante Tridentinum Eugenius IV. idem declaraverat in *Decreto*.

Diluuntur Objectiones.

Objic. I. Manus impositio, de qua *in Actis* mentio fit, non erat, nisi oratio super baptizatos, ut acciperent miraculorum virtutem. Nam *Act. XIX.* 6. legimus: *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant*, imo et cum dicitur *Act. VIII. accipiebant Spiritum Sanctum*, id de donis intelligendum est visibilibus; ait enim Lucas *Act. VIII.* 18. *Cum vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus Sanctus.* Non ergo ibi sermo est de gratia sanctificante, ac de Sacramento confirmationis.

℟. *Neg. ant.* Quamvis enim ad majorem tunc fidei confirmationem, ac propagationem cum gratia sanctificante, quae nomine Spiritus Sancti simpliciter designatur, conjunctae essent ex accidenti gratiae *gratis datae*; non tamen erat hic essentialis impositionis manus effectus perpetuo duraturus, ideoque stabilita per orbem Ecclesia, et cessantibus miraculis, non cessavit manus impositio. Ita Augustinus *Lib. III. de Baptismo cap.* 16. *Neque enim*, inquit, *temporalibus, et sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus Sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, et Ecclesiae primordia dilatanda . . . sed invisibiliter, et latenter intelligitur . . . eorum cordibus divina charitas inspirari.* Vide etiam *Tract. VI. in Epist. Joan. n.* 10.

Inst. 1.° Qui baptizati erant, jam habebant in se et sanctificantem gratiam, et inhabitantem Spiritum Sanctum. Ergo per manus impositionem nonnisi gratias *gratis datas* accipere potuerunt.

℟. *Dist. ant.* Habebant gratiam sanctificantem quoad substantiam, scilicet gratiam regenerationis, et renovationis, *conc.* Habebant quoad perfectionem, et robur, ut fidem impavide profiterentur, *neg.* Ita etiam Apostoli ante adventum Spiritus Sancti in die Pentecostes, sanctificante gratia ornati erant; sed nondum induti erant virtute ex alto, ut Christus promiserat *Luc.* XXIV. 49. *et Act.* I. 8: ut possent sine metu, quo tunc

tunc tenebantur, fidem Christi coram regibus inter ipsos cruciatus profiteri. Scut enim infans licet habeat vitam, non tamen habet robur, quo indiget ad eam servandam contra hostium impetus, ita baptizati, licet Spiritum vitae habeant, non habent tamen Spiritum fortitudinis, quem per manus impositionem accipiunt.

Inst. 2. S. Thomas 3, P. Q. LXXII. *art.* 2. aliique Theologi docent, Apostolos dedisse effectum Sacramenti Confirmationis sine Sacramento; imo *S. Bonaventura*, et *Alexander Halensis* scribunt, confirmationem longe post Apostolos institutam fuisse in Concilio Meldensi octavo saeculo. Ergo fatentur, in laudatis Scripturae locis non agi de Sacramento Confirmationis.

℟. *Dist. ant.* Docent, Apostolos dedisse effectum confirmationis sine sacramento, hoc est sine Chrismate, quod solum contendunt esse materiam sacramenti, *conc.* Sine sacramento, hoc est sine ullo visibili signo, *neg.* Fatentur itaque, in laudatis *Actorum* locis agi de confimatione: sed arbitrantes, solam unctionem esse confirmationis materiam, quod nos infra disputabimus, docent, Apostolos, imponentes supra baptizatos manum, effectum Sacramenti praebuisse sine ejus materia, cujus tunc opus non erat, quia gratiae *gratis datae*, quae confirmatis dabantur, erant sensibile signum interioris praesentiae, atque unctionis Spiritus Sancti. Quod vero *Halensis* confirmationem dicit institutam in Concilio Meldensi, manifestus error est, qui duabus rationibus excusari potest; tum quia nondum constabat Ecclesiae sententia, Sacramenta omnia esse a Christo ἀμέσως instituta, tum quia putans ille Theologus, Ecclesiam a Christo potestatem accepisse definiendi materiam sacramentorum, quae sententia multorum Theologorum est, putavit Ecclesiam constituisse Chrisma ut materiam Sacramenti in Concilio Meldensi.

Objic. II. Cum sacramenta sint quaedam veluti religionis fundamenta, certus esse debet ritus, quo perfici debent. Atqui innumerae agitantur inter Theologos quaestiones de materia, forma, et ministro confirmationis, ut suo loco videbimus. Ergo Sacramentum non est.

℟. *Dist. maj.* Certus esse debet ritus, quo perficienda sunt sacramenta, ita tamen, ut necesse non sit definire, quaenam in eo ritu sint *essentialia*, quaenam vero *accidentalia*; dummodo omnia religiose serventur, *conc.* Secus: *neg.* Ecclesia itaque proponit ritum, quo singula sacramenta, et ipsa confirmatio administranda est; statuit, ut singula attente celebrentur, damnatque eos, qui probabilem opinionem sequuntur de valore sacramenti, relicta tutiore. Quaestiones autem, quas Theologi movent de eo ritu, satius duxit non definire, cum veritati, et valori ipsius sacramenti non officiant. Omnes enim docent, confirmationem verum esse sacramentum, et licet de ejus materia, et forma disputent, consentiunt tamen, omnia rite servanda esse, et tutiorem semper sententiam praeferendam. Nonne ipsi Novatores de materia, et forma Baptismi, et de natura sacramenti Eucharistiae, quae duo fatentur esse Sacramenta, acriter contendunt?

Objic. III. Patres videntur recensere impositionem manuum, atque unctionem chrismatis inter Baptismi ceremonias. Nam non alibi ferme de ea loquuntur, quam ubi de Baptismo disserunt: imo in *Euchologia Graecorum* idem Presbyter, qui baptizat, statim post baptismum ungit in fronte baptizatum. Ergo non est sacramentum distinctum.

℟. *Neg. ant. Ad confirmat.* ℟. olim in Ecclesia tum occidentali, tum orientali, haec tria sacramenta, Baptismum, Confirmationem, et Eucharistiam simul dari consuevisse infantibus, qui mos adhuc servatur in Ecclesia Graeca, in qua Presbyter est confirmationis minister exstraordinarius. Sicut ergo non sequitur, Eucharistiam esse ceremoniam Baptismi, eo quod simul cum Baptismo datur, ita pariter de Confirmatione dicendum est. Adde, Patres loqui de ritu Confirmationis, ut de Sacramento distincto a Baptismo, ut videre est in recitatis supra testimoniis, *Euchologia* loqui de chrismatis unctione, ut de sacramento, quod conferendum est, *peracto Baptismo.* Tandem in expositione fidei, quam edidit *Hieremias* Patriarcha Constantinopolitanus contra *confessionem Augustanam* ann. MDLXXV. in definitione Synodi Hierosolymitanae sub Dositheo anno MDCLXXII. et Synodi Leucosiensis habitae in

insula Cypri anno MDCLXVIII. Graeci aperte septem agnoscunt sacramenta, inter quae recensent Confirmationem, ut a Baptismo distinctum sacramentum. Aliarum orientalium Ecclesiarum sententia eadem est. Vide Renaudotium *Tom. IV. et V. De perpetuitate fidei.*

Corollaria.

I. Ergo confirmatio a Christo instituta est; non enim Apostoli instituere poterant sacramenta. Quando autem instituta sit, Scriptura silet, disputant Theologi, nonnullis opinantibus, institutam esse cum Christus pueris manus imposuit *Matth. XIX.* aliis in ultima Coena. Sed verisimilius est, id factum post resurrectionem, cum Christus per quadraginta dies cum Apostolis *de Regno Dei* locutus est. Unde Leo M. *Serm. I. de Ascens. Hi dies non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt sacramenta, magna revelata mysteria.*

II. Ergo gratia *Sacramentalis*, quae confirmatione tribuitur, differt a gratia Baptismatis. Hinc ait S. Thomas cit. Q. LXXII. art. 1. *Vitam spiritualem accipit homo per Baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem homo accipit quasi quandam perfectam aetatem spiritualis vitae*: et passim a Patribus confirmatio dicitur *perfectio*; et fideles tunc dicuntur perfecti christiani, cum confirmationem accipiunt.

III. Hinc sequitur, confirmationem supponere in subjecto Baptismum, et statum gratiae sanctificantis, non enim dat spiritualem vitam, sed spiritualis vitae augmentum, et robur; unde infertur, sacrilegos esse, qui hoc Sacramentum in peccato suscipiunt. Fallitur ergo *Sambovius* docens, confirmationem conferre primam gratiam.

IV. Ex dictis tum hoc capite, tum *cap. III.* §. 3. *Part. I.* ubi probavimus, Confirmationem imprimere characterem, erui potest definitio Confirmationis. *Confirmatio* igitur *est Sacramentum novae legis, quo praeter gratiam sanctificantem, et characterem, datur jus ad auxilia specialia, quibus fidelis intrepide fidem confiteatur.*

V.

V. Cum ergo *unusquisque* teneatur ex praecepto divino iis uti adjumentis, quibus perfectus evadat Christianus, et fidem intrepide servare, et profiteri possit, et augmentum gratiae, et gloriae comparare; sequitur, confirmationem, licet non sit necessaria *necessitate medii* ad salutem, esse tamen necessarium ex praecepto 1.° Iis, qui ad ordines promovendi sunt, non enim decet, ut sit Ecclesiae minister, qui nondum est perfecte Christianus, unde ex Concilio Tridentino non potest quis prima tonsura initiari, nisi sit confirmatus *Sess. XXIII. cap. 4.* cujus praecepti violatio gravis est. 2.° Omnibus baptizatis, urgente persecutione, aut tentatione contra fidem 3.° Omnibus fidelibus cum ad usum rationis pervenerint, si Episcopus paratus est hoc sacramentum ministrare, licet non sine aliquo incommodo conveniri possit. Hinc Patres, et Concilia id sollicite monent, ut pueri quamprimum confirmentur. *Ungi necesse est eum, qui baptizatus est*, inquit Cyprianus *Epist. LXX.* nec quisquam ad Eucharistiam admittebatur antiquitus, qui non fuisset confirmatus. Ex quo vides, quaenam debeat esse parentum cura, ut pueri confirmentur, quaenam Episcopi sollicitudo, et promtus animus, ad hoc Sacramentum ministrandum: quam graviter peccent, qui illud negligunt ex contemptu, sive ille *formalis*, sive *virtualis* sit, et quam deploranda aetas nostra, qua videmus multos non solum provectae aetatis, sed etiam senes nondum confirmatos.

VI. Ex quibus etiam vides, quam longe a veritate aberraverint Sacerdotes quidam, qui in Anglia docuerunt, non esse ibi Episcopos Catholicos necessarios, cum necessaria, ut ipsi asserebant, confirmatio non sit.

C A P. III.

De materia Sacramenti Confirmationis.

Triplex est de materia confirmationis sententia Theologorum. *Syrmondus*, *Sambovius*, aliique tenent, solam manus impositionem esse hujus Sacramenti materiam. *S. Thomas*, cui maxima Scholasticorum pars subscribit, solam chrismatis unctionem, eamque senten-

tentiam *Bellarminus*, (a) *Maldonatus*, *Ysambertus*, aliique sequuntur. Alii denique manus impositionem simul, et chrismationem, totam sive *adaequatam* materiam esse volunt; quam sententiam *Natalis Alexander*, *Merbesius*, *Ludovicus Habert*, *Tournely*, *Jueninus*, *Witassii Continuator*, *Drouven*, aliique tuentur. Eamdem et nos sequentibus explicamus propositionibus.

PROPOSITIO I.

Manus impositio est essentialis materia, licet inadaequata confirmationis.

Prob. ex Scripturis, et Patribus capite superiori recitatis, ubi videmus, adeo essentialem esse confirmationi manus impositionem, ut idem significet imponere manus baptizatis, ac confirmationem iis ministrare. Quibus addi possunt testimonia Patrum Graecorum 1.° Firmilianus *Epist. LXXV. inter epist. Cypr. Si in nomine Christi valuit foris Baptismus ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit manus impositio ad accipiendum Spiritum Sanctum.* 2.° Theodoretus *in Cap. VI. Epist. ad Hebr. Per manus impositionem*, inquit, *Sacerdotalem Spiritus Sancti gratiam accipiunt.* 3.° Gennadius *in Epist. ad Hebr. Vult autem Apostolus dicere, ut credentes baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant impositioni manuum Sacerdotum, ad participationem Spiritus Sancti.* 4.° Simeon Thessalonicensis *Preacf. Lib. de Templo. Per manuum impositionem, et inspirationem unguenti gratiam inserit.* Idem docent *Eulogius* Alexandrinus apud Photium *biblioth. Cod.* 289. Oecumenius *in Cap.* 6. *Epist. ad Hebr.* et alii.

Sol-

(a) Bellarmini sententia obscurior videtur. Nam *Lib. II. de confirm. cap.* 8 docet, unctionem esse materiam hujus Sacramenti: at *Cap.* 9. docet, Apostolos, et veterem Ecclesiam simul manus impositionem, et chrisma adhibuisse, nec explicat, utrum manus impositio essentialis fuerit. Vide singularem *Morini* sententiam in opere posthumo *De Confirmatione.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. *Eugenius IV.* in *Decreto* ait: *Secundum Sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, et balsamo.* Imo videtur manuum impositionem excludere, ait enim: *loco manuum impositionis, datur nunc in Ecclesia Confirmatio.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Ad verba *Eugenii* respondemus, eum ita posuisse chrisma Confirmationis materiam, ut manuum impositionem non negaverit, quae tum ante, tum post ipsius tempora semper in Ecclesia religiose servata est. Meminit autem Chrismatis potius, quam manuum impositionis, quia in hoc ritu Armeni, quos erudiendos susceperat, ab Ecclesia Latina differebant; quemadmodum etiam de ordine loquens, ejus materiam ait esse instrumentorum porrectionem, cum e contrario certissimum sit, impositionem manuum Presbyteratus, atque Diaconatus esse materiam. Quod autem subjunxit, loco manuum impositionis dari nunc confirmationem, id tantum significare voluit, hoc Sacramentum, quod olim *manus impositio* vocabatur, nunc *Confirmationem* appellari.

Objic. II. Ecclesia Graeca non adhibet in confirmatione manuum impositionem, sed tantum chrismatis unctionem, ut videre est in *Euchologio*. Ergo manuum impositio non est materia hujus sacramenti; materia enim Sacramentorum, cum a Christo definita sit, eadem esse debet in Ecclesia universa.

℟. *Neg. ant.* ut constat tum ex testimoniis Graecorum Patrum supra recitatis, tum ex variis Ritualibus Graecis, laudatis a *Renaudotio* in opere *De perpetuitate fidei*. In *Euchologio* vero Graecorum legitur oratio, quam minister extensis manibus super baptizatum fundit, invocans Spiritum S. ad robur. Haec autem est manus impositio, quae nihil aliud est, inquit Augustinus, *nisi oratio super hominem*. Tandem responderi potest, in ipsa chrismatis unctione manus impositionem inesse; non enim unctio in fronte baptizati fieri potest nisi manus ei imponatur, licet haec manus impositio olim in Ecclesia Graeca, ut et nunc in Latina ab unctio-

ctione distincta sit. *Ipsa unctio*, *et signatio*, inquit Bellarminus *Lib. de Confirm. cap.* 2. *cum manu fiat*, *manus impositio rectissime dicitur*, Quod praeter *Bellarminum*, etiam ab *Hugone Victurino*, *Thoma Waldensi*, *Maldonato*, *Petro de Marca* observatum frustra *Dallaeus* irridet, cum ex medii aevi Scriptoribus luculenter confirmetur. Sic Beda in *Psalm. XXXIX. Illa unctio*, *quae per manus impositionem fit ab Episcopo.* Quam loquendi rationem alii etiam usurpant.

PROPOSITIO II.

Unctio Chrismatis in fronte est etiam essentialis materia Confirmationis, *ita ut impositio manuum*, *atque unctio simul constituant totam*, *sive adaequatam hujus sacramenti materiam.*

Prob. Illa est *essentialis* materia sacramenti, cui Patres attribuunt sacramenti effectum. Atqui Patres Confirmationis effectum chrismatis unctioni attribuunt. Ergo etc.

Prob. min. I. ex Patribus Latinis. 1.° Tertullianus *Lib. de Bapt. cap.* 7. *Exinde egressi lavacro perungimur benedicta unctione* . . . . *in nobis carnaliter currit unctio*, *sed spiritaliter proficit*; *quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus*, *quod in aqua mergimur*, *sed spiritualis effectus*, *quod a delictis liberamur.* Et *Lib. de Resurrect. carnis*: *Caro ungitur*, *ut anima consecretur.* 2.° Cyprianus *Epist. LXX. Ungi necesse est eum*, *qui baptizatus sit*, *ut accepto chrismate*, *idest unctione*, *esse unctus Dei*, *et habere in se gratiam possit.* 3.° Pacianus Barcinonensis *in Serm. de Bapt. Lavacro peccata purgantur*, *chrismate Spiritus Sanctus superfunditur.* 3.° Augustinus *Lib. II. cont. litt. Petilian. cap.* 104. Confirmationem appellat *Sacramentum Chrismatis.* Vide aliorum Patrum Latinorum testimonia apud Drouven *Lib. III. Q.* 2.

Prob. II. ex Patribus Graecis. *Cyrilli* Hierosolymitani testimonium insigne supra recitavimus. Adde nunc 1.° *Cyrillum* Alexandrinum, qui *Commentur. in Joel. Usus olei*, inquit, *post sacrum Baptisma justificatis confert*

ad

ad consummationem. Theodoretus etiam *Lib. IV. in Cantic.* *Qui initiantur*, inquit, . . . *velut sigillum quoddam Regium suscipiunt, spiritualis unguenti chrisma recipientes gratiam invisibilem Sanctissimi Spiritus ungent tamquam in typo.* 2.° Concilium Laodicenum *Can.* XLVIII. *Oportet*, inquit, *eos, qui illuminatur, inungi super coelesti chrismate, et esse Regni Christi participes.* Praetermitto ceteros; satis enim est pro omnibus formula illa, qua utuntur Graeci, cum baptizatos inungunt: *Signaculum doni Spiritus Sancti*, hoc est, Spiritus Sancti donum hac unctione tribuitur. Ergo non solum manus impositioni, sed etiam Chrismati Patres Sacramenti effectum attribuunt, ideoque utraque simul est *adaequata* materia necessaria confirmationis. Vide ista fusius apud *Drouven*, aliosque supra laudatos.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Apostoli sola manus impositione confirmarunt ut ex Actis patet. Ergo.

Respondent 1.° Theologi, qui putant. materiam nonnullorum Sacramentorum definitam esse ab Ecclesia, *conc. ant. neg. cons.* Ajunt enim, post Apostolorum tempora impositioni manuum additam ab Ecclesia unctionem, ut partem *essentialem*, non quidem in Concilio Meldensi, ut falso asserit *Alexander de Hales* (constat enim, vel a primis saeculis, unctionem in confirmatione adhibitam), sed statim post tempora Apostolorum.

Resp. 2.° S. Thomas *Q.* LXXII. *art.* 2. *ad* 1. Apostolos aliquando confirmasse sine Chrismate, cum scilicet gratia miraculorum, qua fideles ornabantur, sufficiebat ad praesentiam Spiritus Sancti significandam; quando autem hujusmodi visibilia signa non exhibebantur, adhibuisse unctionem. Hanc responsionem probat Estius *in* IV. *Dist.* 7. §. 6.

℟. 3. *Neg. ant.* Cum enim a primis Ecclesiae saeculis constare videamus usum Chrismatis, nec id in Concilio ullo definitum inveniamus, certum est, ab Apostolica traditione descendere (licet id taceat Scriptura). *Quod* enim *universa tenet Ecclesia*, inquit Augustinus, *nec in Conciliis institutum, sed semper retentum est,*

non

nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur Lib. IV. de Bapt. cap. 24. Ceterum etiam ex Scriptura probari potest, Apostolos unctionem adhibuisse. Ait enim Apostolus *II. Cor. I.* 21. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Vide etiam *Epist. I. Joannis cap.* 2. et ibi Augustinum *Tract. III. in Epist. Joan et Can.* 2. *Conc. Arausic.*

Objic. II. Concilium Arausicanum I. *Can.* 1. ita statuit: *Qui in Baptismate quacumque necessitate non chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos monebitur. Nam inter quoslibet chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est. Non ut praejudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita chrismatio.* Ergo unctio chrismatis confirmationi essentialis non est.

℟. *Neg. cons.* Nihil enim extundi potest ex canone obscuro unius Synodi dioecesanae, vel Provincialis, qui varie legitur a viris doctis, et quamvis ita legatur, ut est in objectione positus, universae Ecclesiae traditioni non adversatur, nec si adversaretur, eam posset evertere. *Petrus* quidem *Aurelius*, atque *Syrmondus* acriter inter se de lectione, ac sensu ejus canonis concertarunt, cum hic canonem ita legendum contenderet, ut est in objectione; ille vero sine negatione hoc modo: *ut necessaria habeatur repetita chrismatio.* Sed etsi negationem adjicias sensus erit, quod si in baptismo chrismatis unctio praetermissa sit, admoneatur Episcopus, ut in confirmatione ministranda prius hanc baptismi ceremoniam suppleat, quamvis non necessariam.

Scholion.

I. Unctionem Chrismatis esse materiam Confirmationis *essentialem*, ad fidem pertinere contendunt *Suarez*, *Sylvius*, aliique, in quorum sententiam propendere videtur Berti *Lib. XXXII. cap.* 4. *in Append.* Contra, *Ludovicus Habert*. aliique Theologi innumeri negant, nec nostrum est haereseos notam inurere tot Viris doctissimis, qui solam manuum impositionem materiam hujus Sacramenti esse contendunt. Singularis est, et nullo fundamento nititur sententia *Morini* in Opere posthumo-

humo *De confirmatione*; qui putat, in Ecclesia orientali solam unctionem, in Ecclesia occidentali chrisma cum manus impositione esse Confirmationis materiam.

II. Oleum autem, ex quo chrisma conficitur, debet esse olivarum, cum hoc per simplex olei nomen intelligatur, hoc semper ab Ecclesia fuerit adhibitum habeatque aliquam cum effectu sacramenti congruentiam.

III. Alia quaestio est inter Theologos, qui unctionem statuunt Confirmationis materiam necessariam, utrum mixtio olei cum balsamo, et utriusque Episcopalis benedictio sint ad Sacramentum necessariae. Nonnulli affirmant post S. Thomam *Q. LXXII. art.* 2. quia utrumque in universa Ecclesia religiose servatur. Hanc sententiam sequuntur *Gonet*, *Sylvius*, *Mastrius*, *Durantius*, *Farvaquesius*, *Gibbon* etc. Alii vero negant, 1.° quia vetustiores Patres *Tertullianus*, *Cyprianus etc.* mixtionis balsami nullam faciunt mentionem, 2.° Quia variant in hac mixtione Ecclesia Graeca, et Latina; haec enim balsamum tantummodo admiscet oleo: illa vero trigintaquinque aromatum species. 3.° Quia licet antiquissima sit benedictio olei, tamen hinc non efficitur benedictionem illam esse Sacramento necessariam, sicut nec benedictio fontis ad valorem baptismi necessaria est. Ita docent *Juenin*, *Witassii Continuator*, *Drouven*, *Tournely*, *Estius*, *Caietanus*, *Dominicus Soto* etc. Ex hoc autem sententiarum dissidio sequitur, si aliquando ex negligentia, aut contemptu simplex oleum in Confirmatione sit adhibitum, supplendam denuo unctionem cum chrismate benedicto, vel potius iterandum sub conditione Sacramentum; non enim licet sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore. Ita sapienter docent *Bellarminus*, *Natalis Alexander*, *Merbesius*, *Habert*, et alii.

Co-

Digitized by Google

Corollarium.

Ergo intolerandus est abusus, quod quis ungatur in fronte; qui praesens non fuerit, cum Episcopus manum imponeret orans super confirmandos. Hoc accidere solet in magno populorum concursu, quem Episcopi permittere non deberent, satius agentes, si singillatim, et saepe in unaquaque Paroecia confirmationis Sacramentum ministrarent, curarentque sedulo, ut pueri, qui ad usum rationis pervenerunt, quantocius confirmarentur. Ceterum qui praesens non fuit manuum impositioni, iterum Episcopo sisti debet, ut manus ei cum oratione imponatur. Idque non solum ex nostra sententia, qui volumus, manuum impositionem esse materiam *essentialem*, verum etiam ex omnium Theologorum consensu, tum quia licitum non est in sacramentis conferendis sententiam deserere tutiorem, tum quia licet ponatur, manuum impositionem materiam esse *accidentalem*; caute tamen supplenda esset, ut fit quando *accidentales* ceremoniae baptismi omittuntur. Non desunt autem Theologi, qui volunt, totum ritum sub conditione iterandum, sive impositio manuum, sive unctio pratermissa sit, quae tutior sine ulla dubitatione sententia est.

C A P. IV.

De forma Confirmationis.

Adv. Sicut de materia, ita et de forma Confirmationis triplex Theologorum sententia est. Qui enim materiam constituunt in sola manuum impositione, iidem docent, formam esse orationem, quam fundit Episcopus dum manum imponit. Qui solam unctionem materiam esse volunt, formam constituunt in his verbis: *Signo te signo crucis*, *confirmo te chrismate salutis in nomine Patris* etc. Qui autem materiam in utroque constituunt, in duas abierunt sententias; nonnulli enim cum *Juenino* volunt, solam orationem, quae manus impositionem comitatur esse integram confir-

firmationis formam; verba autem illa: *Signo te* etc. esse ceremoniam ab Ecclesia institutam; alii e contrario docent, tum orationem, quae manus impositionem comitatur, tum verba, quae in unctione proferuntur, esse integram sacramenti formam, quae sententia verisimilior videtur, et certe tutior est.

PROPOSITIO I.

Oratio, quae ab Episcopo funditur dum neophyto manus imponit, est essentialis forma Confirmationis.

Prob. Illa est essentialis forma Confirmationis, quae semper, et ubique in Ecclesia adhibita est, quae exprimit Confirmationis effectum, cui Patres attribuunt eorum effectuum operandorum virtutem. Atqui talis est oratio, de qua agimus. Nam primo eam habent vetustissimi Rituales libri Latinorum, et *Euchologia* Graecorum, nec quando adhiberi coeperit potest cognosci. 2.° Per eam septiformis gratia Spiritus Sancti invocatur, ac proinde exprimitur Confirmationis effectus. 3.° Ei Patres adscribunt effectus illius operandi virtutem. Cyprianus *Epist. LXXIII. Quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo Dominico consummentur.* Vide *Hieronymi*, *Augustini*, *Ambrosii*, aliorumque loca apud *Juenimum in Commentario Historico.* Scriptura etiam huic orationi effectum Sacramenti videtur adscribere *Act. VIII.* 15. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum: tunc imponebant manum super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.* Ergo.

Objic. Eugenius IV. in *Decreto* docet, formam hujus Sacramenti esse verba illa: *Signo te* etc. Ergo.

℟. *Neg. cons.* Eugenio enim propositum fuit Armenos edocere Ecclesiae Latinae ritus. Ideo autem non meminit orationis, quae cum impositione manus ab Episcopo funditur, quia haec jam apud illos in usu erat, sed commemorat tantum verba illa: *signo te* etc. quae adhibebantur in Ecclesia Latina, non vero ab Armenis.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIO II.

Verisimile est, etiam verba illa, quae unctionem comitantur: Signo te signo crucis etc. *vel his similia a Graecis adhibita*, signaculum doni Spiritus Sancti, *pertinere ad essentiam formae Confirmationis.*

Prob. 1.° Ecclesia universa tum Graeca, tum Latina ab antiquissimis temporibus ea verba in Confirmatione adhibuit, ut patet ex Concilio Constantinopolitano I. et omnibus Graecorum *Euchologiis* pro Ecclesia Graeca; pro Latina vero ex *Ordine Romano* saeculi XIII. et omnibus Latinis *Ritualibus*, quae quidem hanc formulam describunt, non ut recens institutam, sed ut a majoribus acceptam. Haec autem omnium Ecclesiarum antiquissima consensio ostendit, formulam ab Apostolica institutione, et traditione descendere, juxta regulam *Augustini* 2.° *Eugenius IV.* expresse docet, hanc esse formam sacramenti Confirmationis: *Forma autem est*, inquit, *signo te signo crucis*, *et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris* etc. 3.° Eandem tradit formam *S. Thomas* cum omnibus Scholasticis, quorum consensio in rebus Theologicis non exigui est momenti, cum praesertim ipse *S. Thomas*, et S. *Bonaventura* Doctores Ecclesiae sint, inter reliquos vero Theologi doctissimi numerentur *Estius*, *Bellarminus*, *Natalis Alexander*, *Drouveu*, aliique. 4. Verba ista clare exprimunt Confirmationis effectum, robur nempe Spiritus, et *signaculum dominicum*, quo neophyti *consummantur*. 5.° Forma debet comitari materiam: Cum ergo unctio sit pars materiae hujus sacramenti, etiam forma debent esse verba, quae unctioni adjunguntur. Ergo verisimile est etc.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. cum *Juenin.* Verba ista: *Signo te* etc. non fuerunt in usu prioribus Ecclesiae saeculis; nam *Gregorius M.* qui labente VI. saeculo floruit, in *Sacramentario*, licet alios ritus Confirmationis describat horum tamen verborum non facit mentionem; ait enim: *Pontifex, tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim: Quibus expletis, jussi incipiunt Laetaniam*, etc.

℟. *Neg. ant.* Constat enim 1.° verba illa; *signaculum doni Spiritus Sancti*, quae ab Ecclesia Graeca adhibentur, et respondent istis, *signo te* etc. tantam habere antiquitatem, ut non immerito ab Apostolica traditione repetantur, quod miramur non advertisse *Jueninum*. Potuerunt ergo etiam in Ecclesia Latina usurpari ista *signo te* etc. licet de iis sileant scripta veterum Latinorum, apud quos sapientissima vigebat disciplina, ut formulae sacramentorum non scripto, sed verbo traderentur. Unde Innocentius I. *Epist. ad Decentium Eugubin.* postquam frontis unctionem dixit a solis Episcopis faciendam, subjungit: *Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Ex quibus est perspicuum; fuisse tunc quaedam *verba* unctioni frontis adjuncta, quae *Innocentius* silet. 2.° Si demus, hanc arcani disciplinam vel tempore *Gregorii M.* non adhuc observatam, vel non fuisse necesario adhibendam in *Sacramentario*, hoc est in Rituali libro; qui non vulgi manibus terebatur, sed tantum ad ministrorum institutionem servabatur in Ecclesiae Scriniis, cum praesertim *Gregorius* alios Sacramentorum ritus aperte ibi describat; putandum est, vel ea verba fuisse praetermissa, quia omnibus notissima, vel alia ex causa nobis ignota. Videmus enim, *Amalarium* saeculo IX. quo certe haec verba in Confirmatione adhibebantur, ut patet ex *Ordine Romano* saeculi VIII. describente ritus, et verba Confirmationis, ea tamen, de quibus agimus, praeterire; ait enim: *Oratione expleta, facit crucem cum pollice Chrismate in singulorum frontibus ita dicendo; in nomine Patris, et Fi-*

Filii, *et Spiritus Sancti*, laudatque *Ordinem Romanum*, in quo certe habentur illa verba: *signo te* etc. 3.° In ipso Gregorii *Sacramentario* habemus: *interrogantibus Diaconis nomina singulorum*, *Pontifex*, *tincto pollice in chrismate*, *facit crucem in fronte unius*, *similiter et per omnes singillatim*. Ad quid autem haec nominis interrogatio, nisi ut proferretur in unctione neophyti dicendo: *Joannes* ex. gr. *signo te signo crucis*?

Scholion.

Quaerunt Scholastici, utrum singula haec verba: *signo te signo crucis*, etc. sint ad formae substantiam necessaria, an vero aliqua sine periculo possint omitti. *Estius* haec tantum putat ad substantiam pertinere: *confirmo te*; alii alia adiungunt. Nos ista libenter praetermittimus, cum omnia verba religiose proferenda sint.

Corollarium.

Si haec forma: *signo te etc.* in Confirmatione fuerit praetermissa; non solum gravis peccati reus censendus erit Episcopus, verum etiam, ipso fatente *Juenino*, totus Sacramenti ritus sub conditione esset iterandus. Sed de materia Confirmationis, et forma diximus satis, nunc uti proposuimus, de ministro dicendum est.

C A P. V.

De Ministro Confirmationis.

Adv. I. Quaeremus hic 1.° Quis sit Confirmationis minister ordinarius, h. e. qui ex sui ordinis potestate illam administret. 2.° Utrum praeter ministrum ordinarium possint alii ad eam administrandam extra ordinem delegari.

II. *Waldenses*, *Wiclefistae*, et *Hussitae* non minus Episcopos, quam Presbyteros Confirmationis ministros ordinarios esse, docuerunt. Lutherani autem, et Calvinistae, sicut omnes Confirmationis ritus irrident, ita in catholicos debacchantur, eo quod ejus ministrandae potestatem solis Episcopis reservarint.

III. At Catholici etsi omnes doceant, ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse Episcopum, dissentiunt tamen inter se de ministro extraordinario. *Estius*, *Sambovius*, aliique opinantur, nullum esse posse Confirmationis extraordinarium ministrum. E contrario post S. *Thomam*, *et Eugenium IV.* communis Theologorum sententia est, simplices Presbyteros posse extra ordinem ad eam ministrandam delegari. Sed iterum inter eos quaeritur, a quonam delegari possint; nonnulli enim volunt, id a solo Summo Pontifice fieri posse, alii etiam a singulis Episcopis in sua dioecesi.

P R O P O S I T I O I.

Dogma fidei est, ordinarios Confirmationis ministros esse solos Episcopos.

Prob. I. ex Scriptura; soli enim Apostoli *Act. VIII.* 15. *et XIX.* 6. manus imponebant iis, qui ab aliis baptizati erant.

Prob. II. ex Patribus, qui constanter id munus solis asserunt Episcopis. Sic 1.° Concilium Eliberitanum *can. XXXVIII.* statuit, ut si quis in necessitatis caussa, absente Episcopo, fuerit baptizatus, *si supervixerit, ad Episcopum eum perducat* (Diaconus) *ut per ma-*

manus impositionem perfici possit. 2.° Cyprianus *Ep. LXXIII.* ait, *baptizatos Praepositis Ecclesiae offerri, ut per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum S. consequantur.* 4.° Chrysostomus *Homil. XVIII. in Cap. 8. Act. Apost.* ait de manuum impositione: *erat donum duodecim tantum Apostolorum ... Hoc erat in Apostolis singulare, unde et praecipuos, et non alios videmus hoc facere.* Idem docent *Augustinus, Hieronymus,* alii. Ergo.

Prob. III. Quoties in Ecclesia simplices Presbyteri ausi sunt jure veluti ordinario Confirmationem dare, damnati sunt. Ita 1.° Innocentius I. *in Epist. ad Decentium* coërcet Eugubianos Presbyteros: *De consignandis,* inquit, *infantibus, manifestum est non ab aliis, quam ab Episcopis fieri licere.* 2.° Gregorius M. *Lib. III. Epist.* 9. Prebyteros Calaritanos redarguens, inquit: *Presbyteri baptizatos infantes signare in fronte sacro chrismate non praesumant.* 3.° Concil. Hispalense II anno DCXIX. *Noverint,* inquit, *Presbyteri, nec licere eis... per manus impositionem fidelibus baptizatis ... Paracletum Spiritum tradere.* Merito ergo Tridentinum definit *Ses. VII. can.* 3. *Si quis dixerit sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, anathema sit.*

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. celeberrimum *Hieronymi* locum *Epist.* 101. *al.* 89. *ad Evagrium: Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Et alibi (*Dialogo cont. Lucifer.*) fatetur quidem, solos Episcopos per manus impositionem dare Spiritum S. sed subjungit: *hoc factitatum ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem.* Unde sic arguunt: *Hieronymus* parem esse docet Episcopis, et Presbyteris potestatem confirmandi. Ergo etc.

℟. *Neg. ant. Ad* 1m. testimonium ex *Epist. ad Evagrium* respondeo, scopum *Hieronymi* eum esse, ut deprimat Diaconorum audaciam, qui se pares Presbyteris faciebant, ac proinde totus est in extollenda Presbyterorum dignitate, parum sollicitus de iis omnibus cu-

enumerandis, in quibus Presbyteri Episcopis inferiores sunt, unde ait: *quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat*, hoc est, excepta ordinatione, pauca sunt, quae facit Episcopus, et Presbyter non faciat; nam in *Dial. cont. Lucifer.* praeter ordinationem, excipit etiam Confirmationem: *quod si hoc loco quaeris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum Sanctum etc.* Praeterea cum ipsam confirmationem possit etiam Presbyter ex delegatione ministrare extra ordinem, potuit absolute dicere *Hieronymus*, praeter solam ordinationem, posse Presbyterum facere omnia, quae facit Episcopus; sicut etiam dicitur in ordinatione Diaconorum: *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, praedicare*; licet duo haec postrema munia nonnisi extra ordinem obire possit.

Ad. 2m. resp. eum esse scopum Hieronymi (licet aliquanto durius locutus sit) ad honorem scilicet sacerdotii Christum dedisse Episcopis confirmandi potestatem, quam etiam Presbyteris dare poterat; ait enim ibi: *Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit*; hoc est ex auctoritate divina.

Objic. II. Concilium Barcinonense II. *can.* 2. praecipit, *ut cum chrisma Presbyteris dioecesanis datur pro Neophytis confirmandis, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Ergo Presbyteri dioecesani tunc confirmandi jus habebant.

Respondet 1.° *Lucas Holstenius* in Opusculo *De Confirmatione*, quod editum est Parisiis cum operibus posthumis *Joannis Morini*, ex hoc, et similibus canonibus inferri tantum, Presbyteros extra ordinem confirmasse ex delegatione Episcoporum, vel ipsorum canonum.

℟. 2.° *Neg. cons.* Dabatur enim Presbiteris dioecesanis chrisma, non ut ipsi neophytos confirmarent, sed ut Episcopus dioecesim visitans, ad confirmandos neophytos non opus haberet secum circumferre chrisma, sed illud apud Presbyteros inveniret; constat enim ex *Isidoro Hispalensi*, qui tempore Concil. Barcinonensis floruit, solos Episcopos Confirmationem neophytis eo tempore ministrasse; ait enim *Lib. II. de Offic: Eccles.*

cles. cap. 26. *Post. Baptismum per Episcopos datur Spiritus S. cum manus impositione: hoc enim in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.*

Objic. III. Concil. Hispalense II. *cap.*7. sic monet Presbyteros: *Quaedam novellis, et Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint Presbyteri, sicut Presbyterorum, et Diaconorum consecratio, nec licere eis per manus impositionem Paracletum Spiritum dare.* Ergo quod Presbyteri non confirment, ex lege est Ecclesiastica.

℟. *Neg. cons. Novellas* enim, *et ecclesiasticas regulas* non opponit Concilium juri divino, sed Legi Mosaicae, ut patet ex contextu; ait enim, sicut in lege veteri quaedam solis reservata erant summis sacerdotibus, quae inferioribus ministris erant interdicta, sic in nova multa solis Episcopis reservantur, quae Presbyteris permissa non sunt; idque ulterius confirmatur ex eo, quod Concilium inter ea, quae presbyteri ex novellis regulis facere non possunt, enumerat etiam consecrationem Sacerdotum, et Diaconorum, quae sine dubio ad solos Episcopos pertinet jure divino.

PROPOSITIO II.

Simplices Presbyteri possunt esse extraordinarii Confirmationis ministri.

*Prob.*I. Gregorius M. cum prohibuisset, Calaritanos Presbyteros confirmationem dare, tamen audiens, Presbyteros illos valde eam ob causam fuisse contristatos, *Lib. III. Epist.* 26. ipsis concessit, ut hoc sacramentum ministrarent: *Pervenit*, inquit *ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros chrismate ungere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur; ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Unde Eugenius IV. in Decreto ait: *Legitur tamen aliquando, per sedis Apostolicae dispensationem, ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc ministrasse Confirmatio-*

nis Sacramentum. Ipse vero *Eugenius*, et ante eum *Joannes XXII. Nicolaus IV. Urbanus V.* idem indulserunt *Franciscanis Missionariis* per Septemtrionem, et Orientem, quae privilegia *Leo X.* confirmavit, ut testatur *Wadingus in Annalibus Fratrum Minorum*, et post alios Pallavicinus *Lib. IX. Hist. Conc.* Idem etiam concessisse Jesuitis *Gregorium XIII.* auctor est *Basilius Poncius.* Hos omnes incredibile est, esse mentitos, incredibilius vero, tot S. Pontifices jus divinum infregisse. Ergo. etc.

Prob. II. Ecclesia Graeca a mille amplius annis per Presbyteros confirmat, scientibus, nec reluctantibus Summis Pontificibus, nec tamen quisquam Graecus a Graecis Presbyteris rite confirmatus, in Ecclesia Latina iterum confirmatus est. Imo Ecclesia Latina litem non intendit Graecis etiam catholicis ob hujusmodi consuetudinem, cumque in Concilio Florentino haec quaestio inter alias mota esset, Episcopus Mitylenensis *omnia canonice, et legitime solvit.* Hanc autem consuetudinem in Ecclesia Graeca invaluisse post tempora *Chrysostomi* (ut patet ex ejus loco supra *Prop. I.* laudato), sed ante schisma *Photii*, ex eo patet, quod cum Legati *Nicolai I.* iterum confirmassent Bulgaros a Presbyteris Photianis confirmatos, acriter ea de re *Photius* conquestus est in *Epistola Encyclica* ad omnes Orientis Patriarchas, quasi de re nova, et adhuc inaudita.

Tandem Concil. Tridentinum declarans, Episcopum esse *ordinarium* Confirmationis ministrum, satis ostendit, esse alium ministrum hujus sacramenti extraordinarium, imo adposite verbis illi (*ordinarium ministrum*) usum est, ut communem sententiam Theologorum non definiret quidem, sed satis aperte approbaret, ut testatur Pallavicinus (*loc. cit.*)

Solvuntur contraria argumenta.

Objic. I. Summi Pontifices consuetudinem Graecorum confirmandi per Presbyteros improbarunt. Nam 1.° Legati *Nicolai I.* ut paulo ante diximus, iterum confirmarunt Bulgaros a Presbyteris Photianis confirmatos 2.° *Innocentius III. in Cap. Quanto: De Consuetudi-*

dine damnat simplices Sacerdotes Constantinopoli confirmantes. 3.° *Innocentius IV.* interrogatus de praxi Graecorum, qui in insula Cypri a Presbyteris Graecis confirmati erant, sic respondet in Epistola ad Episcopum Tusculanum, S. Sedis Legatum in insula Cypri: *Soli Episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos; quia hujus unctio non debet, nisi per Episcopos exhiberi.* (*Constitutione Sub catholica anno* 1554.) 4.° *Clemens VIII. Instructione de Ritibus Graecorum n.° 2.°* mandat, *ut Episcopi Latini infantes baptizatos a Presbyteris Graecis, et de sancto chrismate in fronte consignatos, confirment.* Idem statuit Benedictus XIV. *Costitutione.* Etsi Pastoralis *an.* 1742. confirmans *Clementis VIII.* instructionem. Ergo corruit potissimum argumentum pro extraordinaria confirmandi facultate presbyteris adserta.

℟. *Dist. ant.* Reprobarunt consuetudinem confirmandi per Presbyteros legitima facultate destitutos, *conc.* Secus, *neg.* Nam Legati *Nicolai I.* ideo confirmatos a Presbyteris Photianis iterum confirmarunt, quia missi a *Photio* pseudopatriarcha, omni prorsus auctoritate vacuo, non poterant habere legitimam confirmandi facultatem, cum praesertim Bulgariam non esse provinciam subjectam Constantinopolitano Patriarchatui, sed Romano, Summi Pontifices merito contenderent. Vide Epistolam *Nicolai I. ad Hincmarum*; et ejusdem *Rescripta ad Bulgaros*, quae extant *Tom.* VIII. *Concil.* Christianum Lupum *Tom.* II. *pag.* 1405. Epistolam *Hadriani* II. *ad Ignatium*, quae extat in *Actis Concilii* VIII. *OEcumenici.*

2.° *Innocentius* III. loquitur de Presbiteris Latinis Constantinopoli commorantibus; quibus utique Romani Pontifices nullam hujusmodi delegationem dederant. Vide Gonzalez in *Commentario in cit. Cap. Quanto*, qui in Epistolis Innocentii, unde sumtum est illud caput; ita legi observavit.

3.° *Innocentii* IV. responsum ad solos Cypri Presbyteros pertinebat; cum enim inter Latinos, et Graecos quaedam in insula dissensiones ortae essent, satius erat, ut servarentur mores Ecclesiae Latinae, cum eo tempore Latini Cypro imperarent.

4.°

4.° *Clemens* VIII. et *Benedictus* XIV. loquuntur de Graecis, qui Latinis Episcopis subjecti sunt. Ii quippe nullam habent delegationem, nec a Summo Pontifice, qui potius prohibet, eos confirmationem dare, nec ab Ecclesia Graeca, cum Latinis Episcopis subsint. Imo omnes hae peculiares constitutiones *Innocentii* III. et IV. *Clementis* VIII. et *Benedicti* XIV. potius probant, Romanos Pontifices permittere ceteris Graecis confirmationem, cum *exceptio firmet regulam in contrario.*

Objic. II. Nullum potest adferri testimonium, aut exemplum sive ex Scriptura, sive ex patribus quatuor priorum saeculorum, unde appareat, presbyteros extra ordinem confirmare posse, cum e contrario constanter doceant, ad solos Episcopos jus confirmandi pertinere. Ergo etc.

℞. *Neg. cons.* Scriptura enim, et Patres priorum saeculorum loquuntur de ordinaria potestate confirmandi, quam certum est ad solos pertinere Episcopos, non negant tamen, presbyteros id posse extra ordinem, etsi de hac extraordinaria potestate sileant; quia fortasse nondum se obtulerat necessitas illa urgens committendi presbyteris hoc officium.

Objic. III. Si Presbyteri extra ordinem confirmare possent, id esset vel ex potestate ordinis, vel ex potestate jurisdictionis, vel ex utraque simul. Atqui nihil horum fingi potest; non primum; nam si ex potestate sui ordinis confirmarent, profecto sine legitima delegatione, illicita quidem, sed tamen rata confirmatio esset, non alterum; alioquin Episcopus electus, et nondum consecratus confirmare posset; non tertium, quia potestas jurisdictionis adiecta ordini non efficit, ut ratum fiat sacramentum a ministro, qui ordine, ad illud ministrandum necessario, initiatus non est, sicut jurisdictio accedens potestati ordinis sacerdotalis, aut Diaconalis non efficit, ut Presbyter possit ordinare Presbyteros; aut Diaconus Eucharistiam consecrare. Ergo.

Confirm. Potestas Episcoporum dandi Confirmationem non utique in ipsis ratione jurisdictionis est, aliter possent eam etiam Diaconis, et inferioribus Clericis delegare. Ergo est ratione ordinis. At quae ordinis sunt, non possunt *valide* concedi, sicut concedi Diaconis po-

Digitized by Google

testas consecrandi Eucharistiam non potest. Ergo potestas confirmandi non potest presbyteris concedi.

Hoc argumentum mire torquet Theologos, et revera tanti ponderis est, ut in contrariam sententiam nos traheret, nisi Ecclesiae praxis tam antiqua retineret. Quare utcumque ad argumentum.

Resp. Simplicem presbyterum habere potestatem confirmandi extraordinariam ex ordine simul, et jurisdictione: hoc est, habere ex ordine facultatem inchoatam, et *incompletam*, ut possit delegari ad confirmationem ministrandam, quae potestas per legitimam dispensationem redditur expedita.

Ad confirm. pariter respondeo, potestatem confirmandi in Episcopis ex ordine completam esse, atque expeditam, sed cum in presbyteris sit eadem facultas *incompleta*, ut possint delegari, sequitur, potestatem confirmandi, licet in Episcopis sit ex ordine, posset tamen presbyteris delegari. Vide *Bellarminum*, *Gonet*, *Tournely*, alios.

Scholion.

I. Graeci, et nonnulli etiam Latini, inter quos Salmeron *Tract. XXVI. in Acta Apost. Tom.* 12. Basilius Poncius *Relect. de Confir.* docent, posse unumquemque Episcopum in sua dioecesi committere presbyteris facultatem confirmandi. At ceteri fere omnes Latini Theologi, a solo Summo Pontifice delegari posse presbyteros ad conferendum hoc sacramentum, affirmant, et merito, cum ad solum pertineat Summum Pontificem universalis Ecclesiae canonum, ac disciplinae rigorem temperare, in iisque *dispensare*. Graecorum autem consuetudo confirmandi per presbyteros etiam ex Summorum Pontificum auctoritate proficiscitur, qui eam consuetudinem vel a principio expresse approbarunt, licet nunc ejus rei memoria in tanta temporum antiquitate perierit) vel saltem tacite, scientes enim, Graecos presbyteros confirmationem dare, nec reprobantes, id probare censentur.

II. Non desunt Theologi, qui asserunt, simplicem presbyterum sine delegatione confirmantem, *illicite* quidem, sed tamen *valide* hoc sacramentum ministrare, ideo-

ideoque damnant quod Legati *Nicolai* I. iterum confirmarunt Bulgaros a Presbyteris Photianis confirmatos. Eorum sententia, quem sequitur etiam auctor *Theologiae Lugdunensis*, audacior est, nulloque traditionis fundamento nititur.

III. Presbyteri, qui ex Pontificis dispensatione confirmant, uti debent chrismate per Episcopum consecrato, ut docet *Eugenius* IV. in *Decreto*, omnesque Theologi. Sed tamen *Laurentius Berti* etiam presbyteris facultatem consecrandi chrismatis committi posse opinatur. Nunc quae de subjecto, aliisque ad confirmationem pertinentibus supra proposuimus, expedienda sunt.

CAP. VI.

De Subjecto, ceremoniis, aliisque ad Confirmationem pertinentibus.

I. CUm Confirmatio perfectionem efficiat, et augmentum vitae spiritalis in Baptismo acceptae, patet, *subjectum* confirmationis esse omnes, et solos homines baptizatos, ideoque frustra eam ministrari non baptizatis, et sacrilege accipi a peccatoribus.

II. Quaelibet autem aetas huic sacramento apta est. In Latina Ecclesia per duodecim saecula ministrabatur infantibus statim post baphtismum; tria enim haec sacramenta simul, baptismus, Confirmatio, et Eucharistia dabantur, quod nunc etiam fit in Ecclesia Graeca. Cum ergo confirmandi mox Eucharistiam accepturi essent, mos inolevit, ut Confirmatio nonnisi jejunis, atque a jejunis daretur. Postea tamen Latinis satius visum est, Confirmationem pueris ministrari, postquam usum rationis adepti sunt, ut cognoscant, quantum Spiritus S. donum accipiant: non tamen multum differendum esse, *Cap.* I. diximus. *Catechismus Romanus*: *Si duodecimus*, inquit, *annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differri maxime convenit.* Sed si pueri ante usum rationis jamjam morituri sint, optandum est, ut iis Sacramentum hoc ministretur antequam vita excedant, ad augmen-

gmentum gratiae, et gloriae. Ob reverentiam autem Sacramento debitam melius est, si Sacramentum Confirmationis a jejunis ministretur, atque accipiatur, ut observat *S. Thomas*, idque etiam canonibus sancitum est, qui tamen non ubique vigent, ut lex necessario servanda.

III. Ceremoniae confirmationis apud Graecos hae sunt. 1.° Chrisma consecratur ab Episcopo, admixtis triginta quinque aromatum generibus. 2.° idem Sacerdos, qui infantem baptizat, peracto baptismo, fundit super neophytum orationem, qua Spir. Sanctum invocat. 3.° Chrismate *ungit neophytum, faciens signum crucis in fronte, et in oculis et in naribus, et in utraque aure, et in pedibus, dicens: signaculum doni Spiritus Sancti*, ut inquiunt *Euchologia*; sola tamen unctio frontis essentialis est, utpote quae in utraque Ecclesia tum Latina, tum Graeca semper est adhibita. 3.° Recitantur quaedam ex Epistola ad Romanos, et ex Evangelio, precesque funduntur, ut Deus Baptismi, et Confirmationis gratiam in neophyto conservet.

IV. 1.° In Ecclesia vero Latina chrisma consecratur ab Episcopo *feria V. in Caena Domini*; sola balsami, et olei mixtione cum precibus in *Pontificali* descriptis. 2.° Baptizatus offertur Episcopo a Patrino, qui et ipse debet esse antea confirmatus, ab eoque munere excluduntur ii, qui ab officio Patrini excluduntur in Baptismo. 3.° Episcopus per manuum impositionem invocat super neophytum Spiritum S. ad robur. 4.° Facit signum in fronte tantum, dicens: *Signo te signo crucis etc.* et si expedire judicaverit, nomen confirmandi immutat. 5.° Levi alapa maxillam confirmati percutit, dicens *Pax tecum.* 6.° denique orat, ut Deus in confirmato gratiam jugiter conservet.

V. Qui de horum rituum antiquitate, et significatione plura nosse cupit; adeat *Sacramentarium Gregorii, M.* cum notis *Menardi*, *Martenium*, *Vicecomitem*, *Casalium*, *Durantium*, aliosque doctissimos viros, qui de ceremoniis Sacramentorum eruditissima scripserunt Commentaria.

PARS

PARS IV.

DE SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

Ad mysterium pervenimus sublimissimum, in quo explicando optandum esset, ut tanto divini amoris igne accenderemur, qui immensae ejus charitati enarrandae non esset impar. Cum homines Deo reconciliari, et placere non possent, nisi per Christi satisfactionem, ut in *Lib.* VI. ostendimus; voluit idem amantissimus Servator, et Pontifex noster, ut Sacrificium Crucis, per quod ipse unica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos *Heb. X* 14. fieret in Ecclesia sua perpetuum. Sed cum ipse resurgens ex mortuis, jam mori non posset, instituit *Eucharistiam*, in qua sub speciebus panis, et vini illud ipsum corpus, idemque sanguis, qui fuerat in cruce oblatus, quotidie offerretur, atque illud manducantes fideles perfectissime sacrificio crucis, idest passioni et morti ejus communicarent, comedere enim rem oblatam, perfecta sacrificii participatio est. Licet igitur Eucharistia unicum mysterium sit, potest tamen duplici ratione spectari, ut Sacrificium scilicet, et Sacramentum. Quapropter nostra etiam haec tractatio sectionibus constabit duabus, quarum erit una de Sacramento Eucharistiae, altera de Sacrificio. Quamvis autem ratio Sacrificii ordine prior sit, et fundamentum alterius; tamen ne a recepto communiter apud Theologos ordine recedamus, prius de Eucharistia, ut Sacramentum est, deinde de ea, ut est Sacrificium, quantum imbecillitas nostra sinit, pertractabimus.

SE-

SECTIO I.

De Eucharistia, prout est Sacramentum.

CAP. I.

De variis Eucharistiae nominibus.

Variis nominibus Sacramentum hoc vocatur a Patribus, cum non posset unum omnes ejus proprietates explicare. Dicitur 1.° *Eucharistia* a verbo Graeco *ευχαριςειν*, quod gratiarum actionem significat, sive bonam gratiam, quia scilicet, ut observat *Chrysostomus*, in ea Corpus, et sanguis Christi in gratiarum actionem Deo offertur, et a fidelibus accipitur, tanquam omnium donorum maximum.

2.° *Eulogia*, idest benedictio ex verbis Apostoli I. *Cor. X.* 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?*

3.° *Communio*, quia per illam tum Christo, tum Fidelibus omnibus conjungimur, ita ut unum corpus evadamus, ut ait Apostolus I. *Cor. X.* 17. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.*

4.° *Viaticum* ex Concil. Nicaeno *Can.* 13. tum quia fideles in via hac, qua ad Patriam pergunt, hoc Sacramento roborantur, tum quia morituris praebetur, ut peregrinationis suae vitam feliciter absolvant.

5.° *Sanctissimum Sacramentum* propter ejus prae ceteris Sacramentis excellentiam. Denique ne singula nomina prolixius recenseamus, dicitur etiam *Caena Domini* ex Apostolo I. *Cor. XI.* et Chrysostomo *Hom. XX. in* I. *Cor. Corpus Christi* ex Tertulliano *Lib. de Oratione Cap. ult. Panis caelestis* ex August. *Epist. CXX. Panis Dominicus*, *Panis Christi*, *Panis Angelorum* etc.

De hoc igitur Sacramento quaeremus 1.° quaenam sit ejus natura, sive *essentia*. 2.° quid contineat. 3.° quaenam ejus materia. 4.° quae forma. 5.° quis Minister. 6.° quod *subjectum*. 7.° quinam usus. 8.° quis effectus: quae omnia Capitibus absolvemus octo.

CA-

C A P. II.

De Essentia, seu Natura Eucharistiae.

Adv. Eucharistia vulgo definitur: *Sacramentum Corporis, et Sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini.* Sed quid in Eucharistia praecipue Sacramenti rationem habeat, utrum scilicet Corpus ipsum Christi, et Sanguis, an vero panis, et vini species, inter Theologos disputatur. Scotistae enim contendunt, species panis, et vini esse id, in quo Sacramenti Eucharistiae posita natura est. E contrario Sylvius *in* 3. *Par. Q.* LXXIIII. Estius *in* IV. *Dist.* 8. §. 3. aliique Thomistae volunt, id esse ipsum Corpus, et Sanguinem Christi, non absolute, sed quatenus sub visibilibus panis, et vini speciebus continentur. Nec desunt, qui opinantur, essentiam Eucharistiae in Consecratione sitam esse, per quam Corpus, et Sanguis Christi sub panis, et vini speciebus fit praesens.

P R O P O S I T I O

Essentia Eucharistiae non in Consecratione, neque in solis speciebus sita, est sed in ipso Corpore, et Sanguine Christi, quatenus sub speciebus est panis, et vini.

Prob. 1a. pars. Sacramentum Eucharistiae, ut suo loco demonstrabimus, non in actione transeunte situm est, sed in re fixa, et permanente. Atqui Consecratio permanens non est, sed transiens actio. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Ecclesia ex Scripturarum et Patrum auctoritate docet, Sacramentum Eucharistiae praebere gratiam, adorari a fidelibus, perfici a Ministris, esse animarum cibum, et futurae gloriae pignus, et symbolum. Atqui solae panis, et vini species non tribuunt gratiam, non adorantur a fidelibus, non perficiuntur a Ministris, non sunt cibus animarum, et futurae gloriae pignus, et symbolum. Ergo etc.

Prob.

Prob. 3*a*. *pars*. Corpus, et Sanguis Christi *absolute* non est aliquid visibile, atque sensibile. Atqui Sacramentum est sensibile, ac visibile signum. Ergo Corpus et Sanguis Christi, quatenus sub visibilibus speciebus continetur, proprie Sacramentum est.

Confirmatur ex *Can. Hoc est*: *De Consecra. Dist.* 2 ubi dicitur, Sacramentum hoc duobus constare, visibili scilicet elementorum specie, et invisibili Domini nostri Carne, et Sanguine: et ex S. Thom. *in IV. Dist.* 7. *art.* 1. *ad* 2 ubi ait: *Ex speciebus, et Corpore Christi unum fieri Sacramentum.* Ergo etc.

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. con. 1*m. part.* Sacramentum ex materia, et forma constare debet. Forma igitur ad ipsam essentiam Sacramenti pertinet. Atqui Consecratio est forma Eucharistiae. Ergo in Consecratione saltem ex parte sita esse debet Eucharistiae natura.

℟. *Dist. maj.* Sacramentum dum efficitur, sive *in fieri*, ut ajunt, ex materia, et forma constare debet, *conc.* Cum jam factum est, sive, ut ajunt, *in factò esse*, *neg.* Consecratio igitur forma Eucharistiae est: sed hoc habet prae ceteris hoc Sacramentum, ut, peracta etiam actione Sacramentali, permaneat: permanens autem hoc Sacramentum situm esse non potest in actione, quae praeteriit.

Objic. II. *cont.* 2*m. par.* Innocentius III. *Cap. Cum Marthae De celebr. Mis.* tria in Eucharistia distinguit, scilicet Sacramentum, rem Sacramenti, et Sacramentum simul, et rem Sacramenti, atque, species panis, et vini esse Sacramentum tantum. Concilium etiam Trid. *Sess. XIII. can.* 1. docet, Corpus Christi esse in Sacramento Eucharistiae. Ergo non ipsum Christi Corpus, sed solae species rationem Sacramenti habent.

℟. *Dist. ant. Innocentius* III. ait, species esse Sacramentum, et Concilium Trid. Corpus Christi esse in Sacramento, accipiendo Sacramentum ex parte, *conc.* Integre, *neg.* Sacramenti igitur nomen usurparunt pro ea parte, quae visibilis est, atque sensibilis: nec est insuetum, ut per *Synecdochen* pars pro toto usurpetur.

inst.

Inst. Sacramentorum debet esse visibile, et sensibile signum invisibilis gratiae. Atqui non Corpus Christi, sed solae panis, et vini species visibiles sunt, atque sensibiles. Ergo solae Sacramentum Eucharistiae constituunt.

℟. *Dist. maj.* Debet esse sensibile vel per se, vel per aliud, *conc.* Per se tantum, *neg.* Sic in Poenitentia cordis contritio, et in Matrimonio (ex nonnullorum sententia) consensus materia est, quamvis utrumque non per se, sed per exteriora signa visibile sit.

Objic. III. cont. 3m. part. Ex iis, quae in 2*a.* *prop. parte* dicta sunt, ideo solae species non sunt Eucharistiae essentia, quia Sacramentum hoc gratiam praebet, adoratur etc. Atqui hoc convenit Corpori Christi absolute. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Corpus enim Christi gratiam praebet, adoratur etc. quatenus sub visibilibus adaest panis, et vini speciebus.

Scholion.

Quamquam duae sunt visibiles Eucharistiae species, unum tamen, non duplex Sacramentum censendum est; tum quia duplex illa species unum repraesentat, nempe Passionem, et Mortem Christi, in qua Sanguis a Corpore separatus est, atque effusus, tum quia ad unum, eundemque effectum, scilicet spiritalem animae refectionem ordinatum est. Nunc haec definitio, quam tradidimus, Scripturarum, et Patrum testimoniis contra haereticorum blasphemias, fusius, quantum et rei dignitas postulat, et instituti brevitas patitur, demonstranda est (*a*).

CA-

(a) Haec duo Sacramenta, Eucharistia, et Poenitentia, ut explicarentur fusius, atque accuratius, rerum dignitas postulabat. Poterit tamen Praeceptor, si ei videatur, haec redigere ad breviorem modum, si in unaquaque propositione, uno, aut altero argumento contentus, reliqua praetermittat. Ita et iis, qui promptiori sunt ingenio, rerum copia non deerit, nec tardiorum memoria praegravabitur. Hoc consilio in hac altera editione pauca, quae putavi adjicienda, in notulis posui potius, quam in orationis contextu.

CAP. II.

Demonstratur vera, et realis praesentia Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia.

§. I.

Quinam Haeretici catholicum dogma impugnaverint.

I. Post veteres Manichaeos, primus *Joannes Erigena* natione Scotus Saeculo IX. affirmavit, teste Hincmaro Remensi *Lib. I. de Praedest. Cap.* 31. *Sacramenta Altaris non esse verum Corpus, et verum Sanguinem Domini, sed tantum memoriam veri Corporis, et Sanguinis.*

II. *Berengarius* Archidiaconus Andegavensis eam haeresim ex *Joannis Scoti* libris haustam Saec. XI. latius disseminavit, quae in Concil. Rom. primum, deinde in aliis Provincialibus Italiae, Galliae, et Germaniae Synodis quindecim damnata est. Pluries *Berengarius* errorem ejuravit, semper tamen in haeresim relapsus est; donec Turones profectus, abdicatis saeculi pompis, et ex animo ejurata haeresi, fidelis, et catholicus defunctus est anno MLXXXVIII.

III. *Petrus de Bruis*, ejusque discipulus *Henricus*, unde *Petrobrusiani*, et *Henriciani* dicti sunt, necnon *Colonienses*, *Albigenses*, aliique id genus Manichaei, non solum Corporis, et Sanguinis Christi praesentiam in Eucharistia negarunt, verum etiam ipsum Sacramentum penitus sustulerunt, ut constat *ex Petro Cluniacensi* ejus aevi Scriptore *Epist.* 2. *cont. Petrobus.* aliisque.

IV. Saeculo XIV. *Wicleffus* varie de Eucharistia locutus est; nam aliquando eam esse adorandam docuit, si Minister sit bonus, aliquando eam, ut merum panem despiciendam. Ceterum haec haeresis cum suis Auctoribus jamdiu extincta, et sepulta fuerat, cum Protestantes ad turbandam Ecclesiam Saec. XVI. exorti sunt.

V. *Martinus Lutherus* licet maxime exoptaret Corporis Christi veritatem in Eucharistia negare; tamen vi-

 etus

ctús evidentia Scripturarum, id non est ausus, sed tantummodo ipse, ejusque discipuli contra *transubstantiationem* totis viribus insurrexerunt, asserentes, panem, et vinum esse in Eucharistia cum Corpore, et Sanguine Christi. *Vellem*, inquit *in Epist. ad Argentinenses*, *posset aliquis mihi persuadere, nihil esse in Eucharistia, praeter panem, et vinum; magno ille me beneficio devinciret. Jam saepe gravibus curis in hac materia desudavi, et videbam, me hoc modo plurimum Papatui incommodo esse. Verum me captum vidi, nulla elabendi via relicta; Textus Evangelii nimis apertus est.* Ex quibus verbis patet, quo spiritu isti homines agebantur.

VI. At ejus Discipulus *Carlostadius* in Germania, et *Zuinglius*, *Oecolampadius*, *Bucerus* in Helvetiis, quod *Lutherus* ausus non erat, asseruerunt, Eucharistiam merum esse signum, et figuram Corporis, et Sanguinis Christi, eadem de causa Sacramentarii dicti sunt.

VII. *Joannes Calvinus*, licet *Zuinglii* sententiam sit secutus, tamen ita doctrinam suam homo dolosus temperavit, et involvit, ut medius quodammodo inter *Sacramentarios*, et *Lutheranos* incedere, novique dogmatis potius magister, quam aliorum sectator videretur. Primo enim ait *Lib. IV. Instit. cap.* 17. in coena vere dari nobis Corpus Christi, idque verbis adeo magnificis, ut non aliter Catholici veram Christi praesentiam soleant exponere. Deinde haec omnia destruens, ait, id fieri per fidem, quia scilicet per panem, et vinum Eucharisticum, excitata fide, Corpus Christi, quod in coelo est, menti nostrae fit praesens, et ita virtutem in nos suam diffundit.

VIII. Denique *Sociniani* ipsam sacramenti rationem Eucharistiae denegant, docentes, panem et vinum in Eucharistia nihil aliud esse, nisi gratiae jam acceptae commemorationem.

IX. Contra hos errores Concilium Tridentinum Ses. XIII. can. 1. *Si quis negaverit*, inquit, *in sanctissimae Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem, una cum anima, et divinitate Domini nostri Jesu Christi, sed dixerit tantummodo esse in eo, ut signo, aut figura*, (qui Sacramen-

mentariorum est error) *aut virtute* (quae est haeresis Calvini); *anathema sit.* Et can. 2. *Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis, et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius subtantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat, anathema sit.*

Duas habet partes Concilii definitio. In priore veram, et *realem* Christi praesentiam in Eucharistia esse, docet; in altera nullam ibi remanere panis, et vini substantiam, sed totam in Christi corpus, et Sanguinem per *transubstantiationem* mutari, definit. Quae duo nos sequentibus articulis duobus demonstrabimus.

§. II.

Ostenditur vera, et realis praesentia Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia.

PROPOSITIO.

Christi Corpus, et Sanguis non in figura, aut in virtute tantum, sed vere, et realiter est in Eucharistia. Est dogma fidei.

Prob. Christus 1.° promisit Ecclesiae, se ei daturum in Eucharistia Corpus, et Sanguinem suum, non in figura, aut in virtute tantum, sed vere, et reipsa. 2.° Illud revera dedit in ipsa Eucharistiae institutione. 3.° Ecclesia per XVIII. saecula illud pacifice possedit. Ergo revera Corpus Christi, et Sanguis est in Eucharistia.

Prob. 1a. pars. Christus *Joan. VI.* 52. 54. 56. haec Ecclesiae promisit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita ... nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis ... caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Quae verba, ex consensu Patrum,

et Theologorum *moraliter* unanimi, dicta sunt de Eucharistia; et si ad litterae sensum accipiantur, non in figura, aut virtute tantum, sed vere, et reipsa Corpus, et Sanguinem Christi esse significant in Eucharistia. Atqui ad sensum litterae, et non figuratum accipienda sunt. Si enim in sensu figurato accipienda essent, non praetermisisset Magister sapientissimus, vel saltem Evangelista in re tanti momenti sententiam suam explicare clarius, praesertim cum videret multos ejus verbis offensos; et praevideret, tot fidelium millia, quot a primis saeculis fuere catholici, ea in sensu proprio, atque ad litteram accepturos. At contra tantum abest, ut verba illa in sensu figurato explicaverit, quin potius videns, multos propter illa verba a se abalienari, eamdem sententiam jurejurando asseruerit. *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo etc.

Confirmatur ex constanti Ecclesiae traditione, quae laudata Christi verba semper intellexit, et explicavit de Eucharistia, et quidem in sensu litterae non figurato, ut videre est apud Originem *Hom. VII. in Num.* Basilium *Lib. I. de Baptism. cap.* 3. Cyprianum *Lib. I. cont. Jud. cap.* 22, Ambrosium *Lib. de initiandis Cap.* 8. Cyrillum Hieros. *Catech. IV.* Hilarium, Epiphanium, Theodoretum, Leonem M. Damascenum, aliosque. Sufficiat recitare verba Concil. Alexandr. *in Epist. ad Nestorium*, quae quia lecta, et adprobata in Concil. Ephesino, totius Ecclesiae sensum exprimit. Ajunt enim Patres: *Confitemur, incruentum in Ecclesia sacrificium nos celebrare, utpote participes sacrae carnis, et pretiosi sanguinis Christi effectos. Quamvis enim dicat Joan. VI. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc. neutiquam communem carnem, idest hominis nostrae conditionis carnem existimare debemus, sed vere illius propriam: qui nostri causa filius hominis factus est.* Adde Concil. Trident. *Sess. XIII. cap.* 2.

Prob. 2a. pars. Christus Eucharistiam instituens, ait; *Accipite, et comedite; Hoc est corpus meum. Accipite, et bibite; hic est enim sanguis meus. Mat. XXVI. Mar. XIV. Luc. XXII. I. Cor. XI.* Quae quidem verba si ad litterae sen-

sensum intelligantur, concedunt adversarii, significare, Corpus, et Sanguinem Christi vere esse in Eucharistia. Atqui revera ad litterae sensum accipienda sunt. Nam 1.° verba Scripturarum ex regula Augustini *Lib. III. de Doct. Christ. cap.* 1. ad methaphoram trahi non debent, quando sensus litterae non est evidenter falsus, vel quia adversatur clarioribus Scripturae locis, vel quia est bonis moribus contrarius. Verba autem illa: *Hoc est corpus meum*, ad litterae sensum neque clarioribus adversantur Scripturae locis, quia nullum hucusque adversarii protulerunt, neque bonis moribus contraria sunt, imo mirifice Dei erga nos charitatem commendant, et nostram erga eum pietatem, et charitatem fovent. 2.° Non potuit Christus sine aliqua saltem explicatione, vel praeparatione auditorum metaphoras tunc adhibere, cum institueret Sacramentum, sanciret novum, et aeternum Testamentum, discipulos charissimos jam jam moriturus postremo alloqueretur, et jam cerneret, totam Ecclesiam in sensu, qui ad litteram est, verba illa accepturam. 3.° Christi propositio per metaphoram intellecta, falsa est; nam tunc propositio falsa est in metaphorae sensu, cum verba neque ex communi usu hominum, neque ex ipsa loquentis institutione clare exposita, ad sensum metaphorae determinata sunt, sicut falsa esset propositio si quis de quercu diceret: *hic est Alexander*. At neque ex communi hominum usu, neque ex ipsa Christi institutione clare exposita receptum erat, ut panis, et vinum essent figura corporis et sanguinis Christi. 4.° Si in sensu metaphorae verba Christi accipienda forent, aliquis saltem Evangelista, vel Apostolus (*I. Cor. XI.*) eum sensum indicasset, sicut in referendis aliis Christi sententiis facere solent, quando ea in sensu figurato intelligenda sunt. At tres Evangelistae, et Apostolus Paulus eodem modo verba Christi referunt, nec ullus aliquid addit, quo sensum figuratum vel leviter suspicari possimus. Verba igitur, quibus Christus Eucharistiam instituit, in sensu nativo, atque ad litteram; non per metaphoram accipienda sunt, ac proinde significant, Corpus, et Sanguinem Christi vere esse in Eucharistia.

Prob. 4a. pars. Ecclesia ab ipso Apostolorum aevo

ad

ad haec usque tempora docuit, esse in Eucharistia verum corpus, et sanguinem Christi, nec *Joannis Erigenae*, *neque Berengarii* cavillationes eam ab hac fide, et possessione deturbarunt. Quod quidem, ne longiores simus, ostendimus proferendo per singula Ecclesiae saecula unum, aut alterum locupletissimum veritatis testem. Nam 1.° Ignatius martyr Apostolis suppar in *Epistola ad Smyrnenses*: *Haeretici*, inquit, *ab Eucharistia, et oratione abstinent, eo quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est.* Quae quidem S. Martyris verba, cum luce clariora sint, *Joannes Dallaeus*, quasi desperata causa, contendit contra omnium codicum fidem, esse supposititia *Lib. II. de Scriptis suppositis Dionysio*, et *Ignatio Cap.* 22.

2.° Justinus saeculo II. *Apolog II. Quemadmodum per verbum Dei homo factus Jesus Christus Salvator noster, et carnem, et sanguinem salutis nostrae causa habuit; ita etiam eam, in qua per preces verbi ejus gratiae actae sunt, alimoniam ... incarnati illius Jesu carnem, et sanguinem esse, edocti sumus.* Quantum autem hic *Justini* locus torqueat Calvinistas vel ex iis patet, quae in omnes partes se versans regerit Aubertinus *Lib. II. de Sacr. Euchar.* et post eum Scultetus *Medulla Patr. part. I.* Idem autem docet eodem saeculo Irenaeus *Lib. IV. cap.* 34.

3.° *Tertullianus* saeculo tertio *Lib. de Resur. Carnis Cap.* 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur: caro ungitur, ut anima consecretur ... caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.* Ubi advertendum est, numquam dicturum fuisse *Tertullianum*, carnem vesci corpore, et sanguine Domini eodem modo, quo caro abluitur, et ungitur, si cibus hic in sola fide consisteret. Idem docent eodem saeculo Origenes *Hom. VII. in Num. et alib.* Cyprianus *Serm. de lapsis.*

4.° *Cyrillus Hierosolymitanus* Saeculo IV. *Catech. IV. Mystag.* sic neophytos de Eucharistia instruit: *Cum ipse* (Christus) *de pane pronunciaverit, ac dixerit: Hoc est corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? et cum idem tam asseveranter dixerit: hic est sanguis meus; quis umquam dubitaverit, ut dicat, non esse ejus sanguinem?* quae quidem dubitatio nulla esse poterat, si Eucharistia esset

tantum Corporis Christi figura. Tum ad hanc dubitationem amovendam, proposito exemplo conversionis aquae in vinum in *Cana*, ait; *Cum omni certitudine ea tamquam Corpus ipsius, et Sanguinem sumamus ... etiam si gustus panem esse sentiat .... tametsi sensui gustus vinum esse videatur.* Eadem perspicuitate idem affirmant eodem saeculo Ambrosius *Lib. de initiandis Cap.* 9. Hilarius *Lib. VIII. de Trin.* Gregorius Nyssenus *Orat. catech.* 37. (*a*).

5.° Saeculo V. Chrysostomus *Hom. LXXXIII. In Matth. Quoniam ipse dixit; Hoc est corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, sed oculis intellectus id perspiciamus.* Et *Hom. XLVI. in Joan. Non modo secundum charitatem, sed etiam ipsa re unum corpus cum Christo efficimur ... id quippe fit per cibum, quem largitus est .... Illud enim est corpus, Juda, quod triginta denariis vendidisti : id quod est in calice est id, quod fluxit a latere, et illius sumus participes. Quid est hoc horribilius? quid autem amabilius? Sicut enim corpus illud unitur Christo, ita et nos ipsi Christo per panem illum unimur* Idem docent eodem saeculo Cyrillus Alexan. *Lib. X. in Joan.* Leo M. *Serm. VI. de Jejun. Sept. Mens. et Epist. XXIII. ad Clerum Constantinop.* Augustinus *in Expositione Psal. XXXIII. et XCVIII.* aliique (*b*). Quodque magis advertendum est, ipsi Nestoriani, et Eutychiani, qui saeculo V. ab Ecclesia recesserunt, etiam hodie eandem doctrinam de Eucharistia retinent, quam ab Ecclesia tunc acceperant.

6.° *Gregorius M.* Saeculo VI. *Hom. XXII. in Evang. Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, quia sanguis super utrumque postem ponitur quan-*

(a) Add. Nazianzen. *Orat. II. de Pasch.* Optatus *Lib. VI. cont. Parmen.* Ephrem. Syr. *Lib. de nat Dei non scrut. Cap.* 5. Epiphanius *in Ancorato. etc.*

(b) Hieronymus *Epist. ad Hedib. et al.* Gaudentius Brix. *Tract. II. De Exodo.* Proclus *CP. Lib. de tradit. div. liturg.* Eusebius Emissen. seu quiv. auct. *Serm. De corp. Domin etc.*

quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. Quid enim prodest corpus, et sanguinem illius ore percipere, et ei perversis moribus contraire?

7.° *Anastasius* Saeculo VII. *In Odego Cap.* 23. sic loquentem inducit Eutychianum: *Absit, ut dicamus, Sacram Communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus, et sanguinem Christi Filii Dei, et ex sacratissima Deipara, et semper Virgine Maria nati vere accipimus.* Cui respondet Orthodoxus: *Sic credimus, et confitemur ... non enim dixit; hoc est figura, seu quid vices gerens corporis, et sanguinis mei.*

8.° *Joannes Damascenus* Saeculo VIII. *Lib. IV. de Fide Cap.* 14. *Quemadmodum naturaliter per comestionem transmutatur panis in corpus comedentis, et fit alterum corpus; sic propositus panis, itemque vinum, et aqua per invocationem, et adventum Spiritus S. spiritualiter transmutatur in corpus Christi, et sanguinem. Et non sunt duo, sed unum corpus... non est panis, et vinum figura corporis Christi, et sanguinis, absit, sed corpus.* Quid clarius? Eodem saeculo Iconomachi, et Catholici simul in eo conveniebant, Eucharistiam esse adorandam; Catholici quidem, quia non est imago corporis Christi, sed ipsum Christi corpus Divinitati conjunctum; Iconomachi vero, quia est imago continens revera corpus, et sanguinem Christi, ideoque dicebant, sine idololatriae periculo ei impendi cultum, quem ceteris imaginibus negabant.

Ex his Patrum testimoniis, aliisque innumeris, quae collecta invenies in egregio opere, quod inscribitur *perpetuitas Fidei* (a) mirari subit quia fronte Novatores affir-

(a) *La perpetuité de la Foi.* Adde etiam Cardin. *Perronii* opus egregium de Eucharistia. *Grepperum Tract. de Eucharist. Petrum de Marca* in opere posthumo *De Euchar.* Multa etiam Patrum loca collegit *Carolus Witasse*, et *Natalis Alexander Dissert. XII. in Hist. Eccl. saec. XI.* in qua etiam omnia *Aubertini.* Calvinistae argumenta dissolvit.

affirmare potuerint cum *Aubertino*; dogma catholicum de *reali* Christi praesentia in Eucharistia inventum primo ab *Anastasio Sinaita* saeculo septimo, vel cum *Claudio*, illud primo invectum saeculo IX. a *Pascasio Ratberto* Abbate Corbejensi, quasi fieri potuerit, ut unius, aut alterius Monachi nova opinio sensibus contraria, creditu difficillima, dicto citius ab omnibus Christianis catholicis pariter, et haereticis recepta fuerit, nemine usquam pro veteri fide reclamante, ita ut aetate *Berengarii* ne memoria quidem veteris doctrinae de Eucharistia superfuerit. Hoc absurdum, quod ex sola pervicacia haeretici obtrudunt, adeo magnum est, ut quamvis nullos haberemus Patres, qui testentur veteris Ecclesiae fidem de vera Christi praesentia in Eucharistia, sufficeret tamen ad ostendendum, hanc fidem ab Apostolis traditam, cum alioquin fieri non potuerit omnino, ut totus Christianus orbis, ipsique haeretici in hoc dogma conspirarent. Ergo etc.

§. III.

Solvuntur Objectiones Haereticorum ex Scripturis, Patribus, et naturali ratione.

Objectiones ex Scripturis.

Haeretici, qui solis Scripturis se inniti gloriantur, magis desudant in obscurandis si fieri posset, locis Scripturarum, quae proferuntur, a Catholicis, quam in suis proferendis.

Objic. itaque I. Verba Christi apud Joan. *Jo. VI.* 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc.* multi Patres exponunt vel de auditione verbi Dei, ut Clem. Alexand. *Lib.I. Paedagogi*, Basilius *Epist. CXLV.* vel de lectione Scripturarum, ut Hieronymus *in Psal. CXLVII.* vel de susceptione Baptismi, ut Innocentius I. *Epist. ad Conc. Milev.* vel de meditatione passionis Christi, ut Augustinus *Lib. III. de Doct. Christ. cap.* 16. vel denique de societate fidelium, qui sunt corpus Christi, ut idem Augustinus *Tractat. XXVI. in Joann. et alibi.* Praeterea nonnulli auctores catholi-

ci

ei contendunt, in laudato *Joannis* loco non esse sermonem de Eucharistia institutum; quam sententiam damnare noluit Concil. Trid. ut refert Pallavicinus *Lib. XVII. Cap.* 1. Nihil ergo erui potest contra haereticos ex loco, quem ipsi Patres, et catholici docent, ad Eucharistiam non pertinere.

℞. *Dist. ant.* Patres exponunt laudata Christi verba de auditione verbi Dei, de lectione Scripturae etc. non rejiciendo naturalem sensum, qui de Eucharistia est, *conc.* Secus, *neg.* Familiare enim est Patribus ex nativo Scripturae sensu, qui est ad litteram, alios eruere ad mores fidelium informandos, quemadmodum ipse Apostolus *Galat. IV.* quae de *Sara*, et *Agar* Scriptura refert, de duobus testamentis interpretatur. Hinc ipsi Patres in objectione laudati aliis in locis fatentur, verba Christi *Joan. VI.* intelligenda ad litteram de Eucharistia, ut Basilius *Lib. I. de Bapt. cap.* 3 *et in Regul. moral. reg.* 21. Hieronymus *Epist. ad Hedib.* et Augustinus *Lib. I. de peccat. merit. Cap.* 20. ubi ait: *Audiamus non de Sacramento Baptismi, sed de Sacramento mensae dicentem: Nisi manducaveritis carnem etc.* Innocentius vero nihil aliud docet, nisi parvulos, baptismo suscepto, etiam non accepta Eucharistia morientes, non privari vita aeterna, quia carnem, et sanguinem Christi jam in voto manducaverunt, et biberunt, cum baptismo initiati sunt. De illa vero Catholicorum interpretatione, inquit Maldonatus *in Cap. VI. Joan. Quod ut benignissime dicam, temerarium est.* Excusanda ergo eorum intentio est, non sequenda temeritas.

Inst. Ipse Christus cibum, de quo loquitur, explicat de Fide in ipsum. Cum enim dixisset: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam*; deinde explicans, quis iste sit cibus, et quomodo manducetur, ait: *Ego sum panis vitae, qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam. Hinc Augustinus. Tract. XXV. in Joan. Ut quid, inquit, paras dentes, et ventrem? crede, et manducasti.* Ergo etc.

℞. *Dist. ant.* Christus explicat de fide eum cibum, de quo loquitur in altera parte capitis VI. *conc.* Eum cibum, de quo in tertia ejus capitis parte loquitur, *neg.*

neg. In capite enim sexto Joan. tres veluti partes distinguendae sunt, prima, quae exponit miram panis multiplicationem, ita ut quinque millibus hominum suffecerit; altera, quae est a versu 26. usque ad versum 52. intelligenda est de fide in Christum; quia ibi loquitur Christus non de pane, quem daturus erat, sed de pane, qui jam de coelo descenderat, et praesens erat; atque hanc partem explicat Augustinus cum ait: *Ut quid paras dentes, et ventrem? crede, et manducasti.* Tertia vero pars, quae est de pane, quem Christus daturus erat fidelibus, nonnisi de Eucharistia potest intelligi, ut supra probavimus.

Objic. II. Etsi verba illa Christi de Eucharistia intelligantur, non significant tamen veritatem corporis, et sanguinis Christi. Nam ipse Christus murmurantibus discipulis, ait v. 64. *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba, quae locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt.* Quem locum sic explicat Augustinus *Enarrat. in Psal. XCVIII. Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum, quod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Et *Lib. III. de Doctr. Christ. Cap.* 16. *Facinus*, inquit, *vel flagitium videtur jubere. Figura est ergo praecipiens, passioni Domini esse cammunicandum, et utiliter in memoria recondendum, quod caro ejus pro nobis crucifixa, et vulnerata sit.* Si ergo, Christo ipso interprete, verba ejus *spiritualiter* intelligenda sunt, nec caro prodest quidquam; atque ex *Augustino* non manducant fideles illud corpus, quod videbant Apostoli, nec bibunt sanguinem illum, quem Judaei fuderunt; perspicuum est, verba Christi non in sensu litterae accipienda esse, ac proinde Eucharistiam non continere ipsum Christi corpus, et sanguinem.

℟. *Dist. ant.* Verba Christi accipienda sunt in sensu spirituali, qui scilicet opponatur sensui carnali Capharnaitarum, *conc.* In sensu spirituali, qui veram Corporis Christi praesentiam destruat, *neg.* Capharnaitae enim carnales in sensu carnali verba Christi intellexerant, quasi scilicet Christus carnem suam, in frusta

sta concisam, sicut in macello venditur, daturus esset manducandam, ideoque dicebant v. 61. *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Itaque sensus rudis, atque carnalis non prodest quidquam; imo ingens continet flagitium, ideoque eum sensum Christum rejecit verbis illis; *caro non prodest quidquam.* Quae verba exponens Chrysostomus *Hom. XLVI. in Joan.* ait: *Quomodo igitur inquit: Caro non prodest quidquam? Non de carne sua dicit: absit, sed de his, qui carnaliter accipiunt quae dicuntur.* Caro enim Scripturis pro carnali sensu saepe usurpatur, ut *Matth. XVI.* 17. *Caro, et sanguis non revelavit tibi.* Hinc Augustinus *Tract. XXVII. in Joan. Quid est ergo, Caro non prodest quidquam? Sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe intellexerunt sic, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur. Vera igitur, et realis* Christi caro non carnali modo; sed spirituali intelligenda, et sumenda est.

Recte ergo ait *Augustinus*, verba Christi eo sensu intellecta continere facinus, aut flagitium, et fideles non manducare corpus illud Christi, quod videbatur; quia non manducantes illud modo carnali, quem intelligebant Capharnaitae, profecto illud non vident oculis, sed fide praesens esse sciunt (a). Mire autem Novatores suam vel inscitiam, vel malitiam produnt, truncatum objicientes locum Augustini *in Psal. XCVIII.* cum nusquam alibi luculentius S. Doctor profiteatur publicam Ecclesiae fidem de vera Christi praesentia. Quaerit enim ibi, quid sibi velit Propheta, cum ait: *adorate scabellum pedum ejus.* Scabellum enim pedum Domini terra est ex Isaia *Is. LXVI.* 1. *Coelum sedes*

(a) Quod vero addit, figuram esse, qua praecipitur passioni Domini esse communicandum, et utiliter in memoria recondendum, Corporis, et Sanguinis Christi in Eucharistia veritatem non excludit, aut destruit imo potius adstruit, et confirmat, cum non aliter melius passionis Domini communicemus, ejusque memoriam recolamus, quam cum in sacramento, quod ejus passionem et nomen aptissime repraesentat, ut inferius dicemus, verum ejus corpus in cruce pro nobis oblatum manducamus verumque sanguinem bibimus.

des mea, terra autem scabellum pedum meorum. Quomodo autem adorari potest terra, cum Deus praecipiat *Deut. VI.* 13. *Matth. IV.* 10. *Dominum Deum tuum adorabis?* Respondet Augustinus: *Fluctuans converto me ad Christum .... suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Et quia in ipsa hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccamus non adorando.*

Inst. Idem Augustinus in *Psal. XCVIII.* sic explicat illa verba; *Spiritus est qui vivificat: Sacramentum vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Ergo in figura, non in re Christus corpus suum promisit.

℟. *Neg. cons.* Dari enim corpus Christi in sacramento nihil aliud est, quam dari non in propria specie, qua tunc videbatur, sed in aliena, nempe sub speciebus panis, et vini.

Objic. III. Verba, quibus Christus Eucharistiam instituit, intelligenda sunt in sensu figurato. Solet enim Scriptura verbum *est* usurpare pro verbo *significat*. Sic *Exod. XII.* 11. dicitur: *Est enim Phase, idest transitus Domini. Joan. XV.* 1. *Ego sum vitis vera etc.* Ergo ex his verbis non constat vera Christi praesentia in Eucharistia (*a*).

℟. *Neg. ant. Ad confirm. Dist. ant.* Scriptura utitur verbo *est* pro *significat* aliquando, *conc.* Semper, *neg.* Sicut ergo esset stultissimus, qui contenderet, hominem esse ursum, quia aliquod animal ursus est; sic stultissimus est, qui contendit, verba illa: *Hoc est corpus meum*; sic intelligenda esse: *hoc significat corpus meum*, quia verbum *est* aliquando pro verbo *significat* usurpatur. Tunc igitur verbum *est* adhibetur pro verbo *significat*, cum et sermonis series, et communis usus, et subjecta materia ad metaphoram lectores ducunt. At contra in verbis, quibus Christus Euchari-

(*a*) Validissimum hoc argumentum profitetur *Zuinglius*, se accepisse a quodam, qui sibi noctu apparuit, et quem nesciebat, utrum albus esset, an niger, uno verbo ab ipso Sathana. Vide *Bossuet Histor. Variat.*

stiam instituit; nihil est in tota sermonis serie, quod metaphoram innuat, nec communis usus invaluerat, ut panis ad significandum Christi corpus adhiberetur, ideoque nec subjecta materia ad metaphoram ducebat auditores.

Inst, 1.° Apostoli ex aliis verbis Christi facile intelligere potuerunt metaphoram, qua verbum *est* pro *significat* adhibebatur. Dixerat enim Christus 1.° se ascensurum in caelum. 2.° Se non esse pluribus in locis: unde de morte *Lazari* certiores faciens discipulos dixerat: *gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi Joan. XI.* 15. 3.° Se non amplius in terra cum discipulis futurum: *Pauperes semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis.* Atqui ex his manifestum erat, in Eucharistia non futurum vere ipsum Christi corpus. Ergo cum Christus dixit; *Hoc est corpus meum*, facile intellexerunt discipuli, Eucharistiam non esse, sed significare corpus Christi.

℞. *Neg. ant. Ad confir. Neg. min.* Christus enim, qui dixerat, se ab Apostolis discessurum, promisit etiam, se futurum cum illis usque ad consummationem saeculi *Matth. XXVIII.* 20. quod post resurrectionem a Christo dictum non visum est Apostolis contrarium iis, quibus ante passionem discessum suum a discipulis praenuntiaverat. Quapropter noverant Apostoli, Christum aliquo sensu ab ipsis discessurum, aliquo sensu semper adfuturum. Dissessurum quidem praesentia illa visibili, in qua poterant ei exhibere officia pietatis, et in qua naturaliter in pluribus locis non est: adfuturum vero alio modo supernaturali. Hinc ipse Christus post resurrectionem licet Apostolis praesens adesset: tamen ita de se loquebatur, quasi non amplius cum ipsis esset: *Luc.* XXIV. 44. *Haec loquutus sum ad vos cum essem vobiscum.* Igitur ex verbis Christi in objectione laudatis, aliisque similibus, quae Novatores congerunt ut *ex gr. surrexit, non est hic etc.* nihil aliud inferre poterant Apostoli, nisi Christum non esse in Eucharistia modo naturali, atque visibili. Sed cum ipse Christus tam certo asseveraverit, Eucharistiam esse Corpus suum, credere debuerunt, esse ibi Corpus ejus aliquo modo supernaturali, et invisibili. Calvinistae vero, qui soli verbo Dei in scripturis exposito se credere gloriantur, id non credunt,

sed

sed commentis suis, quae non sunt verbum Dei, sed hominum, eludere conantur. At catholici utrumque credunt, quia utrumque Deus dixit, et corpus Christi esse in caelo modo naturali, et idem corpus Christi esse in Eucharistia modo supernaturali, quem modum, quia non revelavit Deus, nec explicare scimus, appellamus modum existendi *sacramentalem*.

Inst. 2.° Contradictionem involvit, ac proinde per divinam potentiam impossibile est, idem corpus esse simul pluribus in locis. Ergo etc.

℟. 1.° Vel ex hoc uno argumento Novatores se produnt, palam fatentes, fidem suam non inniti verbo Dei, ut jactant, (nusquam enim in Scripturis legimus, impossibile esse etiam per Dei potentiam, ut idem corpus in pluribus sit locis) sed humano ratiocinio, quo decepti et recesserunt ipsi, et alios abduxerunt ab ovili Christi.

℟. 2.° *Dist. ant.* Impossibile est, idem corpus esse in pluribus locis modo naturali, quo corpora spatium occupant, *conc.* Modo supernaturali, *neg.* Hoc enim legimus in Scripturis, *non esse impossibile apud Deum omne verbum Luc. I.* 37. ac proinde cum ipse dixerit, Eucharistiam esse Corpus Christi, debet id omnino esse Deo facile; licet modum revelare noluerit.

Inst. 3.° Ipse Christus Apostolos monuit, Eucharistiam institutam esse in sui memoriam. *Hoc facite in meam commemorationem* Atqui memoria est rei absentis. Ergo cum dixit: *Hoc est corpus meum*, nihil aliud sibi voluit, nisi: *Hoc significat Corpus meum.*

℟. *Neg. min.* Quamvis enim Deus sit ubique praesens; tamen dicuntur justi in Scripturis esse Dei memores. *Psal. LXII. Memor fui Dei. Tob. I.* 13. *Memor fuit Domini in toto corde suo*; *Tob. XIV.* 11. *Ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore.* Memoria itaque est rei absentis a sensibus, licet menti sit praesens.

Inst. 4.° Post calicis consecrationem Christus Eucharistiam vocavit *genimen vitis*. *Non bibam*, inquit, *amodo de hoc genimine vitis Matth. XXVI.* 29. Si ergo vinum permansit post consecrationem, nonnisi figura potuit esse sanguinis Christi; et idem dicendum est de pane consecrato.

℟. *Transeat ant.* Non enim constat, an verba illa Christus protulerit de calice consecrato, an de calice in

in quo vinum erat commune; utrumque enim Christus in coena adhibuit, ut constat ex narratione *Lucae*, et probabilius est, verba illa Christi dicta esse de calice communi. Nihilominus, *dato antecedenti*, *Neg. cons.* Solet enim Scriptura res appellare nominibus earum rerum, quarum speciem sensibus objiciunt, et ex quibus in aliud transmutatae sunt. Sic luna dicitur luminare magnum, quia tale videtur sensibus. Sic aqua, in vinum transmutata, adhuc vocatur aqua *Joan. II. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam.* Imo ipsi Catholici post consecrationem vocant Eucharistiam *panem sanctum vitae aeternae*: *panem filiorum non mittendum canibus.*

Objic. IV. Si verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, ad litteram intelligantur, contradictionem involvunt. Nam pronomen *hoc* respicit panem, et tamen de illo pronunciatur, quod corpus est Christi, quod nemo non videt, contradictionem involvere. Si enim panis est, non potest utique esse corpus Christi. Quae quidem contradictio evanescit, si verba Christi per figuram intelligantur, ita ut panis sit signum, sive figura corporis Christi. Ergo etc.

℟. *Neg. ant. Ad confirm. Dist. ant.* Pronomen *hoc* respicit panem in sensu permanente, ita ut significet, hoc est simul panis, et corpus Christi, *neg.* In sensu transeunte, ita ut significet: hoc de pane factum est corpus Christi, *conc.* Atque ita contradictio evanescit (a). Porro haec sunt magna illa argumenta, quibus permoti sunt Novatores, ut scinderent mysticum Christi corpus, quod est Ecclesia, falso jactantes, solo verbo Dei nisi fidem suam, cum contra ineptis hisce argutiolis innitatur.

Objectiones ex Patribus, et ratione.

Etsi Novatores Patrum auctoritatem parvi pendunt, si quid tamen apud illos occurrat, quod ipsis in speciem favere videatur, id avidissime arripiunt.

Objic. I. Tertullianus *Lib. I. cont. Marcion. cap.* 14. ait, Christum in pane corpus suum *repraesentasse.* Ergo non exhibuit revera, sed in figura. ℟.

(a) Tunc enim pronomen *hoc* non significat praesentam, ac permanentem panem, sed hoc quod manu teneo esr corpus Christi; quae propositio, cum ultima pronunciatur syllaba, vera est.

℟. *Neg. cons.* *Repraesentare* enim apud Latinos, ipsumque *Tertullianum*, est rem praesentem exhibere. Sic apud *Ciceronem*, aliosque veteres *repraesentare pecuniam*, est illam in praesenti, et sine dilatione solvere. Et idem Tertullianus *Lib. IV. cont. Marcion.* loquens de Christi transfiguratione ait, *Patrem Filium suum repraesentasse*, dicendo. *Hic est Filius meus dilectus.*

Inst. *Tertullianus* ait, Christum repraesentasse corpus suum in figura; sic enim habet *Lib. IV. cont. Marcion. Acceptum panem, et distributum discipulis corpus suum illum fecit, hoc est corpus meum dicendo, idest figura corporis mei.* Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Verba illa: *idest figura corporis mei*, non referenda sunt ad corpus Christi, sed ad panem, quem *Tertullianus* docet, in veteri Testamento, praesertim apud *Jeremiam*, cujus ibi verba recitat, fuisse figuram corporis Christi, cui figurae in novo Testamento Christus veritatem substituit, ipsum scilicet Corpus suum, ideoque eumdem auctorem esse utriusque Testamenti, cum in novo veteris figuras impleverit. Sic ergo *Tertulliani* verba digerenda sunt: *Hoc, idest figura corporis mei, est corpus meum*, licet verba illa, *idest figura* etc. posuerit post verba illa *Corpus meum*, ne verborum Christi seriem interrumperet. Quae quidem verborum transpositio non est huic Scriptori insueta. Sic *Lib. cont. Prax. cap.* 29. ait: *Christus mortuus est, idest unctus*, quod sic accipiendum: *Christus, idest unctus, mortuus est.* Et *Lib. IV. cont. Marcion. Aperiam in parabolam os meum, idest similitudinem.* Vide Natalem Alexan. *Hist. Eccles. Saec. II. Dissert. IX. art.* 5. ubi de hac *Tertulliani* sententia fuse disputat.

Objic. II. Eucharistia ex *Augustino* nonnisi per metonymiam dicitur Corpus Christi, ideoque peccatores, etsi sacramentum corporis Christi dentibus premant, non tamen corpus Christi manducant. Ait enim *Lib. cont. Adimant. cap.* 12. *Non dubitavit Deus dicere: Hoc est Corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Et *Epist. XXIII. ad Bonifac. signa plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum Corporis Christi, corpus Christi est, ita sacramentum fidei fides est.* Et *Lib. XXI.* de

Civ. cap. 25. *Non se dicat* (peccator), *aut existimet manducare corpus meum*, *aut bibere sanguinem meum*. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Fatemur enim cum *Augustino*, in Eucharistia esse signum exterius, ipsas scilicet panis, et vini species, alioquin sacramentum non esset. signum tamen hoc vacuum non est, sed rem ipsam continet, quam significat. Fatemur, hoc ipsum exterius signum sortiri nomen ejus rei, quam significet, et continet; scilicet Corpus Christi, quia ipsum Christi corpus non comminuitur dentibus, non digeritur stomacho, sicut aliae communes escae, sed homo quidem ore accipit sacramentum revera continens Christi corpus, anima vero Corpus illud manducat, eoque satiatur, cum vivit per Dei gratiam. Quemadmodum enim si quis in os cadaveris cibum immitteret, et in stomachum adigeret, non diceretur tamen cadaver manducare cibum, quia nullam exercet in cibum vitalem actionem, licet revera cibus in stomachum trajectus sit, ita etiam licet revera corpus Christi ore accipiat peccator, non tamen illud manducat, quia anima illius, ad quam pertinet corpus Christi manducare, mortua est. Hinc ipse Augustinus *Lib. V. de Bapt. cap.* 8. *Indigne*, inquit, *quisque sumens Dominicum sacramentum non efficit ut, aut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad salutem non accipit, nihil accipiat. Corpus enim Christi Domini nihilominus erat in iis, quibus dicebat Apostolus: qui manducat indigne, judicium sibi manducat, et bibit.* Quapropter peccatores recte dicuntur et manducare corpus Christi, et non manducare; manducare quidem, quia revera illud ore sumunt; non manducare autem, quia non vitali modo sumunt. Luculenter haec, et alia *Augustini* loca Card. *Perronius* illustrat.

Objic. III. Patres Eucharistiam vocant *antitypon*, *signum*, *sacramentum*, *imaginem* Corporis Christi. Unde Ambrosius *Lib. I. de Offic. Cap.* 48. ait, *Christum hic offerri in imagine; in caelo autem in veritate*; eodemque modo loquuntur Augustinus *Lib. cont. Adimant. cap.* 10. Basilius (*in Liturgia*) aliique. Atqui imago non est res ipsa; unde Patres Concil. Nicaeni II. ajunt: *Si ima-*

imago est corporis, non potest esse hoc divinum corpus. Ergo.

℞. *Dist. maj.* Patres vocant Eucharistiam *signum antitypum* etc. Corporis Christi, signum, inquam, vacuum, *neg.* signum rem continens, quam significat, *conc.* Fatemur itaque, in Eucharistia esse visibile signum Corporis Christi, ipsas scilicet panis, et vini species, alioquin sacramentum non esset; sed numquam asseruere Patres, signum hoc esse vacuum, nec ipsum Christi corpus continere: imo constanter contrarium docent. Patres autem Nicaeni II. disputant contra *Iconomachos*, qui omnes imagines conculcabant, praeter Eucharistiam, quam dicebant esse imaginem; sine idololatriae periculo adorandam, quia scilicet Christum ipsum continet. Contra inquiunt Patres, Eucharistiam non esse meram imaginem ad instar aliarum, alioquin non esset Corpus Christi, unde vides. Catholicos, et Iconomachos pariter in eo consensisse, Eucharistiam esse corpus Christi. In eo autem erat dissensio, quod *Iconomachi* solam Eucharistiam adorandam dicerent, quia sola rem continet, quam significat, reliquas vero imagines conculcandas: Catholici vero Eucharistiae cultum latriae exhibendum docebant, quia Christum ipsum continet, reliquis vero imaginibus cultum inferiorem, et relativum.

Objic. IV. Facundus Hermianensis *in Defen. Trium. Cap.* haec habet: *Potest sacramentum adoptionis* (Baptismus) *adoptio nuncupari, sicut sacramentum corporis, et sanguinis, quod est in pane, et poculo consecrato, corpus ejus, et sanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis: sed quod in se mysterium corporis ejus, et sanguinis contineant.* Ergo.

℞. *Neg. cons.* 1.° Quia licet unus erraverit doctrinae non sanae, qui contra Concil. V. Oecumenicum pro mala causa pugnavit, non ideo tamen Ecclesiae universae mutaret fides. 2.° quia ex verbis *Facundi*, etsi non agit ibi ex professo de Eucharistia, sicut agunt Patres, quos pro veritate catholica protulimus, tamen adstruitur potius, quam impugnatur Eccclesiae doctrina. Ait enim: sicut Baptismus adoptio dicitur, quia adoptionem revera continet, sive efficit, ita sacramentum Corporis

 Chri-

Christi, species scilicet panis, et vini, quas appellat panem, et vinum (sicut etiam appellat hodie Ecclesia Catholica) corpus Christi appellari, quia revera illud continet in mysterio, sive modo supernaturali, atque ineffabili. Sic etiam ipse *Paschasius Corbejensis*, quem Calvinistae fatentur, veritatem corporis, et sanguinis Christi in Eucharistia asseruisse, imo ejus dogmatis auctorem falso affirmant, ait de pane, et vino Eucharistico: *Haec mystica sunt, quibus veritas est carnis, et sanguinis, in mysterio tamen, et figura.*

Objic. V. Cum *Paschasius Corbejensis* librum edidit *De corpore, et sanguine Christi* in Eucharistia multorum animos statim commovit, et fatetur ipsemet Paschasius *in Epist. ad Feudegardum*, et patet ex *Rhabano* Archiepiscopo Moguntino, qui *in Epist. ad Heribaldum Epist. Antissiod.* sic habet: *Quidam nuper de ipso Sacramento corporis Domini non recte sentientes dixerunt, hoc ipsum corpus Domini, quod de Virgine natum est... idem esse, quod sumitur de altari, cui errori quantum potuimus ad Egilonem Abbatem scribentes de corpore ipso quid vere sentiendum sit, aperuimus. Vid. Tom.* IV. *Analect. Mabillon.* Item in eam doctrinam insurrexerunt *Patramnus Corbejensis, Anonymus Gemblacensis*, et omnium acerrime *Joannes Scotus Erigena*, cujus scripta damnata non sunt nisi Saeculo XI. Ergo putandum est, *Paschasii* doctrinam fuisse novam, quae quidem ita praevaluit saeculo X. ob summam ea tempestate Pastorum negligentiam, atque ignorantiam, ut *Berengarius*, qui saeculo XI. veterem Ecclesiae doctrinam restaurare studuit, habitus sit Novator.

℟. *Dist. ant.* Multorum animos commovit *Paschasii liber* propter ipsum dogma de veritate Corporis, et sanguinis Christi in Eucharistia, *neg.* Propter quasdam ejus dogmatis circumstantias; sive modum ejus dogmatis explicandi, qui nonnullis videbatur novus, *conc.* itaque cum *Paschasius* librum edidit *De veritate corporis Christi* in Eucharistia, nemo unus in toto orbe Christianus, ne ipsi quidem haeretici Orientales dogma illud negabant. Sic enim ipse *Paschasius* scribit *in Epist. ad Feudegardum*: *Quamvis quidam de ignorantia, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat,*

quod

quod totus orbis credit, et confitetur. Quod quidem non dixisset, nisi perspicuum omnibus fuisset, hanc esse totius Ecclesiae doctrinam, sicut dicere non potest Calvinista, neminem esse toto orbe, qui *Calvini* doctrinae contradicat. Sed quaestio orta est ex Libro *Paschasii*, utrum Corpus Christi, quod omnes fatebantur esse in Eucharistia, dicendum sit illud ipsum, quod natum est ex Maria Virgine, sicut probaverat *Paschasius* ex *Ambrosio*, an vero aliud corpus, non quidem quoad substantiam, cum nonnisi unum sit Christi Corpus, sed quoad modum, quo producitur, et existit. quia scilicet illud ex carne Virginis, hoc ex pane factum est, et *sacramentali* modo existit. Sic *Anonymus Gemblacensis* in objectione laudatus ait: *Sententia Ambrosii, qui dixit, quod ista caro Christi non est alia, quam de Maria nata est, solummodo et valet, et debet intelligi, ut subaudiatur: naturaliter non est alia, quia non sunt carnes duae, ipsa caro est, quae pro mundi vita offertur, ipsa, inquam, naturaliter, ut sit tamen alia specialiter.* Rhabanus *Lib. de Sacris Ordin. Cap.* 19. *Quis umquam crederet quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem, et vinum creavit, et omnia ex nihilo fecit? Facilius est aliud ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare.* Quapropter *Lanfrancus* acerrimus vindex veritatis Corporis Christi in Eucharistia ait, Christi corpus in Eucharistia dici posse *et ipsum corpus, quod de Virgine sumtum est*, ut dicebat *Pascasius*, *et tamen non ipsum* (ut affirmabant *Paschasii* obtrectatores): *ipsum quidem quantum ad essentiam, veraeque, naturae proprietatem, et virtutem, non ipsum autem, si spectas panis, vinique speciem.* Idem docent Algerus *Lib. I. cap.* 17. Rupertus *Epist. ad Cunonem.*

Bertramus vero sive *Ratramnus Corbejensis* numquam veritatem corporis Christi in Eucharistia negavit, sed apertissime *transubstantiationem* asseruit, unde numquam *Berengarius* eum auctorem laudavit, et Lutherani *Magdeburgenses* illum sibi fatentur contrarium. Tamen *in Libro De Corp. et Sang. Domini ad Carolum Calvum* confutavit errorem, qui a nonnullis tribuebatur *Paschasio*, quod scilicet Christi Corpus in Eucharistia sensi-

sibus percipiatur, teratur dentibus, aliaque patiatur tum in ore sumentis, tum in stomacho, quod communes cibi patiuntur. Unde ait *Par. I. n. 9. Ille panis, qui per sacerdotum ministerium Corpus Christi efficitur, aliud exterius humanis sensibus ostenditur, aliud interius fidelium mentibus clamat. Exterius quidem panis, quod ante fuerat, figura praetenditur, color ostenditur, sapor accipitur. At interius longe aliud multo pretiosius, multoque excellentius intimatur, quia coeleste, quia divinum, idest Christi corpus ostenditur.* Tum docet; totam sensuum actionem exteriorem Sacramenti speciem, non ipsum Christi corpus attingere. Quapropter non negat dogma Catholicum, licet in confutando eo errore, quem diximus, aliqua exciderint duriora, quae cum scripta sint ante exortam *Berengarii* haeresim, condonanda sunt.

Joannes vero *Scotus* sine dubio in errore versatus est, nec nos talem haereticis invidemus parentem, falsum tamen est, non fuisse ei statim contradictum a Catholicis. Reclamarunt enim *Hincmarus Rhemensis*, *Nicolaus I. Prudentius Tricassinus*, *Concilium Lingonense*, aliique, qui eum habuerunt, ut inimicum hominem, zizania superseminantem agro Domini. Sed cum sectatores non habuerit, omnibus ejus doctrinam detestantibus, ejus scripta in pulvere jacentia damnata sunt cum *Berengarius* Ecclesiam turbare coepit.

Objic. IV. Si Christi Corpus esset in Eucharistia, multis subjectum esset injuriis, et sacrilegiis; scimus enim, homines impios Eucharistiam projecisse in terram, conculcasse pedibus; et ad magica etiam opera scelestissime adhibuisse. Atqui non poterat haec indigna Deus permittere in ipso Christi corpore. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Si enim propter hominum salutem permisit Deus, ut ipsum Christi corpus Judaeorum manibus attrectaretur, crucifigeretur, occideretur, imo et ab ipso Diabolo in montem excelsum, et super templi pinnaculum tolleretur; quidni permittere poterat ad salutem eorum, qui Christi corpus digne sumturi erant, ut illud impiorum injuriis, et sacrilegiis pateret?

§. IV.

§. IV.

Ostenditur, *Christum esse in Eucharistia per transsubstantiationem.*

Adv. I. Cum *Lutherus* veram Christi praesentiam in Eucharistia negare non posset contendit tamen *Lib. cont. Henr. VIII.* consecratione non mutari panem in Corpus Christi, quae quidem mutatio a catholicis post Concil. Laterenense IV. *Cap. firmiter* dicitur *Transubstantiatio*, sed cum illo permanere, quod jam antea nonnullos ex *Berengarii* discipulis opinatos esse, scimus ex Guitmundo Aversanorum episcopo *Lib. I. de Verit. Corp. et Sang. Christ. Nunc*, inquit Lutherus, *transsubstantiare volo sententiam meam, et dico: antea posui, nihil referre sive sic, sive sic sententias de transsubstantiatione; nunc autem decerno, impium, et blaspemum esse, si quis dicat, panem transubstantiari.*

II. Hoc Lutheri decretum amplexi ejus discipuli, scissi sunt in partes duas. Nonnulli enim post Osiandrum teste *Melancthone Lib. II Epist.* 447. docent, ipsum Verbum hypostatice uniri cum pane, sicut in incarnatione unitum est carni, quod etiam saeculo XII. *Rupertus Abbas Tuitiensis Lib. II. De div. offic. cap.* 6. *et* 9 *et Lib. VI. in Joan.* docuerat, unde et haec conjunctio cum pane dicitur *impanatio*. Alii vero putant, Corpus Christi in pane contineri, sicut vinum in dolio; unde ipsa conjunctio *consubstantiatio* dicitur.

III. Contra hunc igitur errorem Concil. Lateranense IV. *cap. Firmiter*, ait: *Credimus, et confitemur, corpus, et sanguinem Christi sub speciebus panis, et vini veraciter contineri, transubstantiatis pane in corpus, et vino in Sanguinem potestate divina.* Et Tridentinum *Sess.* XIII. *cap.* 4. *Sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis ejus, quae conversio convenienter, et proprie a Sancta Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.*

PRO-

PROPOSITIO.

Christi Corpus est in Eucharistia per transubstantiationem. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Script.* Verba Christi Eucharistiam instituentis, scilicet: *Hoc est corpus meum*, fatentibus etiam Lutheranis in sensu proprio, atque ad litteram intelligenda sunt. Atqui eo sensu intellecta significant, non remanere amplius in Eucharistia panem, sed illum converti in Corpus Christi; cum enim pronomen *hoc* rem presentem, ac sensibilem designet, si remaneret in Eucharistia panis, sensus ejus propositionis esset: *hic panis est corpus meum*, quod manifeste falsum est. Ergo etc. Hinc Concilium Tridentinum *loc. cit.* ex ipsis Christi verbis *transubstantiationem* probat; imo ipsi Calvinistae contra Lutheranos ostendunt, si verba Christi in sensu proprio accipienda sint, necessario cum Catholicis *transubstantiationem* agnoscendam esse. Quapropter mirari subit, quomodo *Paludanus*, *Durandus*, aliique ex catholicis, etsi perpauci, putaverint, ex sola traditione *transubstantiationem* probari.

Prob. II. *ex Traditione.* 1.° Iidem Patres, qui docent, corpus Christi revera esse in Eucharistia, affimant pariter, id fieri per mutationem panis, et vini in corpus, et sanguinem, sicut aqua in vinum ab ipso Christo mutata est, ideoque non esse panem, et vinum, etsi gustus panem, et vinum sentiat. Sic Cirillus *Hirosolymitanus*, et *Damascenus* supra laudati. Sic etiam Ambrosius, Nissenus, aliique (*a*). 2.° Ecclesiae omnes Orientis, etiam a catholica olim divisae Graeci Schismatici, Nestoriani, Eutychiani *transubstantiationem* docent, quam utique a catholicis, quibus erant infensissimi; accipere non poterant;. qua de

(*a*) Ambrosius *Lib. De instand cap.* 9. Nyssenus *Orat. catech. cap.* 37. Cyprianus, vel quivis auctor *Serm. De Coena Domini* Gaudentius Brix. *Tract. II. de Exod.* Chrysostomus *Hom.* LXXXIII. *In Matth.* Damascenus *Lib IV. De Fide Ort. Cap.* 14. Theophylactus *in cap.* 6. *Joan.* etc. Vide Libros *de Perpetuitate fidei. Perpetuité de la foi.*

de re vide *Allatium*, et Libros *de Perpetuitate fidei*, *Hieremiae Const. censuram cont. Lutheran.* 3.° Cum primum in Occidente *impanationis*, aut *consubstantiationis* doctrina prolata est, statim ut haeresis est damnata, in Concilio scilicet Lateranensi contra *Albigenses*, *et Henricianos*, in Constantiensi contra *Wiclefum*, in Tridentino contra *Lutheranos*, in Conciliis vero Lugdunensi, et Florentino catholica doctrina a Graecis pariter, et Latinis sine ulla contradictione tamquam dogma fidei agnita est. Merito ergo Concil. Tridentinum contrariam heresim anathemate perculis *Sess. XIII. can.* 2. supra laudato.

Solvuntur Objectiones

Objic. I. Verba Christi: ***Hoc est corpus meum***, aptissime ita explicari possunt: ***Hoc continet Corpus meum***, sicut de amphora, quae vinum continet, recte dicitur: *Hoc est vinum.* Ergo frustra Catholici verba illa ad probandam *transubstantiationem* trahunt.

℟. *Neg. ant. et parit.* Ratio dissimilitudinis in eo est, quod amphora jam ex communi hominum usu destinata est ad liquorem aliquem continendum. Hinc qui amphoram videns, interrogat quidnam sit, non quaerit utique quidnam sit vas illud; jam enim videt, esse amphoram; sed quisnam in eo contineatur liquor; ac proinde rectissime respondetur: *hoc est vinum.* At panis, et vinum non sunt vasa ad continendum aliquod corpus destinata; ideoque qui de ipsis diceret: *hoc est corpus*, *hic est sanguis Christi*, falsa, imo pugnantia loqueretur.

Objic. II. Patres saepe docent, remanere in Eucharistia panem, et vinum, quamvis consecratione sanctificata, Corpus et Sanguinem Christi sub se tegant. Sic Augustinus *Lib. III. de Trin. Cap.* 10 ***Corpus Christi verum non frangitur; igitur verus est panis, qui sumitur, cum Eucharistia sumitur.*** Ergo etc.

℟. ***Dist. ant.*** Docent Patres, remanere panem, et vinum quoad visibilem speciem, *conc.* Quoad substantiam, *neg.* Praecipue *Augustinus* loco *in object.* recitato ait, Angelos corporalibus figuris apparentes non ipsos

tan-

tangi, sed corporeas species, sicut in Eucharistia non corpus Christi frangitur, sed panis, ubi per panem manifeste panis figuram, ac speciem intelligit. Solemus enim res appellare nominibus earum rerum, quarum speciem sensibus exhibent, vel ex quibus factae sunt, ut supra observavimus. Unde etiam hodie Ecclesia Catholica post consecrationem vocat *panem sanctum vitae aeternae.* Quod quidem magis facere Patres debuerunt duabus ex causis, primo quidem quia ante exortam haeresim *Berengarii* securius loquebantur. 2.° quia de industria mysterium hoc aliquando infidelibus, et catechumenis occultabant. Unde Theodoretus *Dial.* I. sic inducit loquentem *Orthodoxum*: *Oro te, ut obscurius loquaris, adsunt enim fortassis aliqui mysteriis non initiati.* Quod et ex *Augustino*, *Basilio*, *Chrysostomo*, *Ambrosio*, aliisque probant fusius Emi. Schelstrate *Dissert. Apolog. De Discipl. arcani.* Lupus *Dissert. de quibusdam Patr. loc.* Tournely *Qu. II. art.* 4. Juenin. *Qu.* IV. *Cap.* I. *art.* 6. aliique.

Inst. Patres docent, remanere in Eucharistia naturam, et substantiam panis. Sic Chrysostomus *in Epist. ad Caesarium* probat, in Christo duas esse naturas exemplo Eucharistiae: *Sicut*, inquit, *antequam sanctificetur panis, panem nominamus: divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permanserit, et non duo corpora, sed unum Corpus Filii praedicatur: sic et hic divina inundante corpori natura, unum filium, unam personam utraque haec fecerunt.* Similia habet *Theodoretus* idem versans argumentum contra Eutychianos *Dial.* II. (qui inscribitur *Inconfusus*). *Neque enim*, ait, *symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priori substantia, et figura, et forma, et videri, tangique possunt sicut prius.* Et Gelasius Papa *Lib. de duab. natur. contr. Eutych. Certa sacramenta, quae sumimus corporis, et sanguinis Christi divina res est. Propter quod et per eadem divinae efficimur consortes naturae; et tamen esse non desinit substantia, vel natura panis, et vini.* Ergo etc.

R.

R. Dist. anc. Et Patres illi nomine naturae, et substantiae id ipsum intelligunt, quod nos sensibiles qualitates, sive *species* appellamus, *conc.* Intelligunt quod nos hodie explicare volumus nomine substanriae, nempe *subjectum* ipsum, ex quo sensibiles qualitates oriuntur, *neg.* Non est veteribus insuetum nomen φυσεως, sive *naturae* intelligere ipsam sensibilium qualitatum complexionem, ut pluribus exemplis ostendit Harduinus *Lib. de Sacram. Altaris cap.* 3. *et* 4. Sic. Theodoretus) *Dial. II.* ait, humorem, et fluiditatem esse συγγενουσας φυσεις, *affines naturas.* Et Hilarius *cap.* 40. *in Matth.* ait: *Corpus fide mortificatum evadit in naturam animae.* Augustinus *in Psal. LXVIII.* ait, hominem per peccatum lapsum esse a substantia, in qua factus est. Et Chrysostomus *Homil. LXXXII.* Christum in resurrectione non mutasse personam, sed substantiam. Patet autem, *Chrysostomum* nomine naturae panis ipsa *accidentia* panis intellexisse, 1.° ex ipso contextu; ait enim: *natura panis in ipso permanet*, quid est autem *naturam panis permanere in pane*, nisi exteriorem panis figuram, et sensibiles species? 2.° ex ejus scopo; disputat enim ibi contra *Apollinaristas*, qui asserebant, Corpus Christi post ascensionem in caelum omnibus corporeis qualitatibus exutum, quos praeter caetera redarguit exemplo Euchristiae: in qua exteriores panis non destruuntur qualitates; 3.° quia aperte docet, post consecrationem non esse, duo, sed unum Christi corpus: quomodo autem non duo corpora essent, si cum Christi corpore panis permaneret? 4.° quia cum clare *Homil. LXXXIII. in Matth.* doceat, panem *transmutari* in Corpus Christi, idque etiam dicatur in Liturgia ipsius *Chrysostomi*, quod semper Graeci de *substantiali* mutatione panis intellexerunt, profecto ne sibi dicatur contrarius in Epistola ad *Caesarium*, intelligendus est non de substantia panis, sed de externis qualitatibus.

Ad *Theodoretum* quod attinet, miramur, adversarios ejus verba urgere, 1.° qui *Centuriatores Magdeburgenses* agnoscunt, in Dialogo *transubstantiationem* doceri. 2.° Quia Eutychiani contendentes, naturam Christi humanam absorptam esse a divina, nequaquam id proba-

re conati essent exemplo Eucharistiae, nisi constans tunc fuisset catholicorum doctrina de mutatione substantiae panis in corpus Christi. 3.° Quia idem *Theodoretus* profitetur, se ibi loqui *aenygmatice*, ne sacramenta non initiatis proderentur.

Objic. III. In rebus sensibilibus optimum est veritatis *criterium* sensus ipse, modo sit recte dispositus, et semper, et omnibus rem eodem modo repraesentet, alioquin, quod absurdum est, Deus homines decipere videretur. Atqui omnium hominum sensus, etiam rectissime dispositi, semper, et ubique in Eucharistia panem, et vinum tangunt, vident, gustant, olfaciunt. Ergo remanent in Eucharistia post consecrationem panis, et vinum.

℟. *Dist. maj.* Si ratione evidenti non demonstretur, rem aliter se habere, ac sensus indicant, *conc.* Secus, *neg.* Error itaque non in sensu, sed in judicio rationis est, cum contra evidentem demonstrationem judicare volumus, rem ita se habere, ut sensus indicant; et tunc ipsa hominis voluntas causa est erroris, non Deus, qui ad hoc nobis rationem indidit, ut discernamus, quando sit secundum sensuum perceptionem judicandum. Sic voluntarius est error ejus, qui contra evidentissimas demonstrationes solem judicat esse diametri bipedalis, lunam stellis majorem. Sic etiam voluntarie, et culpa sua errat, qui contra auctoritatem viri prudentis, atque periti, judicare velit, revera esse aurum, quod tale sensibus apparet. Porro magis ratum est quod, Deo revelante, discimus quam quod aut ex hominum testimonio, aut ex ratione naturali accipimus, ac proinde non Deo, sed sibi errorem vitio vertere debet; qui contra apertissimam Dei revelationem judicat, revera esse panem, et vinum, quod tale sensibus ejus apparet.

Inst. 1.° Sed cur Deus ita Sacramentum voluit instituere, ut semper, et ubique omnibus hominibus aliud appareret sensibus, aliud revera esset?

℟. Nihil esse hac quaestione insulsius. 1.° Quia non nostrum est divinorum consiliorum rationes scrutari. 2.° Quia non esset meritum fidei, si ipse sensus praeberet experimentum; 3.° Quia nemo posset victimam se-

comedere, corpus scilicet, et sanguinem Christi, atque ita ejus sacrificio perfecte comunicare, nisi sub aliena specie praeberetur. 4.° Quia ipsae panis, et vini species significant exterius, quod interius geritur, nempe alimoniam animae spiritualem, et arctissimam conjunctionem omnium membrorum cum Christo capite sicut panis, et vinum ex multis granis, atque acinis in unum corpus coagmentantur.

Inst. 2.° Videmus in pane Eucharistico, si diutius asservetur, nasci vermes; vinum vero fieri acetum, quod certe sanguis Christi non est, est tamen substantia quaedam. Atqui vermes, atque acetum non possunt, nisi ex alia substantia gigni. Ergo erat vera substantia panis, et vini ante putrefactionem.

1. *Dist. min.* Non possunt vermes, et acetum gigni, nisi ex alia substantia, quam Deus ipse tunc producit, vel modo nobis ignoto substituit, *conc.* Ex alia substantia, quae jam ibi erat, *neg.* Dicimus ergo, Deum ad occultandum mysterium producere vel per novam materiam, vel alia ratione nobis ignota eosdem effectus, quos produxisset panis, et vinum, si revera remansissent in Eucharistia; cum praesertim vermes non ex pane, et vino, sed ex ovis oriantur. Nec mirum est, nos ad miraculum confugere in explicando mysterio, quod est omnium miraculorum maximum (*a*).

Scholion.

Ex dictis exploditur etiam *Durandi* error *in IV. Distinc. II. qu.* 3. qui formam tantum panis mutari putavit in Christi corpus, remanente materia, sicut cibus in corporis nostri nutrimentum convertitur. Ex quo sequeretur, non totam panis substantiam converti in Christi corpus contra fidei dogma ab Ecclesia definitum, multaque inde alia contra rationem manarent absur-

(a) Alia haereticorum argumenta vide apud Natalem Alex. *cit. Dissert. XII. in Hist. Ec. saec.* XI.

surda, quae Bellarminus *Lib. III. cap.* 13. confutat accuratius.

§. V.

Utrum Christi corpus permanens sit in Eucharistia.

Adv. I. Contendunt Nevatores, Sacramentum Eucharistiae non differre a ceteris, ideoque in ipso usu, sive manducandi actione constare. Docet id *Calvinus Lib. IV. Instit. cap.* 17. §. 3., nec id de eo mirum, cum non agnoscat in Eucharistia verum Christi corpus. Sed et *Lutherus*, qui veram Christi praesentiam in Eucharistia constanter agnovit, affirmavit tamen *in articulis Concordiae anno MDXXXV.* Corpus Christi non esse in Eucharistia, nisi eo tempore, quo a fidelibus sumitur; ita ut antea merus sit panis, et vinum.

II. At ejus discipuli ea de re secum ipsi non consentiunt. Nonnulli enim cum Kemnitio *Exam. Conc. Trident. Par.* II. *Cap.* 3. opinantur, adesse corpus Christi in Eucharistia quandiu ritus coenae perdurat. Alii tempus illud profirunt usque ad triduum in gratiam aegrotorum, quod quidem temporis spatium suo ipsorum cerebro, atque arbitrio positum esse, patet.

III. Contra hos Ecclesia Catholica tenet, corpus Christi in Eucharistia permanere ex quo peracta est consecratio usque dum a fidelibus sumatur (ad quam utique sumtionem Eucharistia ordinata est); quantumcumque intercedat temporis intervallum, dummodo species panis, et vini non corrumpantur, et in aliud mutentur. Hoc igitur adstruendum est.

PRO-

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, Corpus Christi permanere in Eucharistia a consecratione peracta usque ad sumtionem fidelium, ad quam servatur, ideoque Sacramentum Eucharistiae non in usu dumtaxat, et transeunte actione constare.

Prob. I. *ex Script.* Christus Dominus *Matth.* XXVI. *Luc.* XXI. I. *Cor.* XI. priusquam Apostoli Eucharistiam acciperent, ait: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*: Ergo vere erat Corpus, et sanguis Christi ante sumtionem.

Prob. II. *ex Traditione*, ex qua accepimus 1.° Eucharistiam vel a primis Ecclesiae saeculis ad absentes fuisse delatam, ut testatur Justinus *Apol.* II. Irenaeus *in epist. ad Victorem P. ap. Euseb. Lib. V. Hist. cap.* 24. aliique. 2.° Ipsos fideles Eucharistiam domum asportasse, ut eam sumerent, cum ad sacram synaxim accedere non poterant, ut testatur Tertullianus *Lib. II. ad Uxor. Cap.* 5. Cyprianus *Lib. de lapsis*, Basilius *Epist.* CCLXXXIX. *ad Caesariam*, aliique plures. Gregorius etiam Nazianz. *Orat.* XI. sororem suam *Gorgoniam* laudat, quod magna fide procumbens nocte ante Eucharistiam, quam domi habebat, a morbo statim convaluit. Et Ambrosius *Orat. funeb. Satyri* refert, *Satyrum* fratrem suum Eucharistiae ope, quam collo gerebat appensam, naufragii periculum evasisse. 3.° Eucharistiam servatam pro infirmorum viatico, cujus rei testis est Dionysius Alexandrinus *ap. Euseb. Lib. VI. Hist. cap.* 34. Concilium Nicaenum *Can.* 13.: imo columbas argenteas in templo suspensas, in quibus Eucharistia religiose servaretur, non secus ac hodie in Ecclesia Catholica servatur. Atqui haec omnia ostendunt, Corpus Christi esse in Eucharistia permanens; nam Patres Eucharistiam sic servatam appellant *Sanctum Domini*, ut *Cyprianus*, *divinum Sacramentum*, ut *Ambrosius*, denique *Corpus Domini*, ut Hieronymus qui *Epist. ad Rusticum* scribit, *Exuperium* Tholosanum Episcopum confractis ad subsidium pauperum vasis Sacris,

Cor-

Corpus Domini detulisse in canistro. Denique Augustinus *in Psal.* XXXIII. ait, de solo Christo intelligi posse quod de David legitur, scilicet *portabatur manibus suis*: quia solus Christus corpus suum portavit manibus, quando Eucharistiam instituit. Ergo etc.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Verba illa Christi Domini: *Hoc est Corpus meum*: *Hic est calix sanguinis mei*, intelligenda sunt vel tamquam promissio rei mox futurae, vel tamquam prolata a Christo in ipso actu sumtionis, quod posterius videtur manifestum ex verbis Christi apud Marcum *Marc. XIV.* 23. 24. *Biberunt ex illo omnes, et ait illis*: *Hic est sanguis meus* Ergo non probant, fuisse corpus Christi in Eucharistia ante sumtionem.

℟. *Neg. ant.* Nam 1.° verba Christi intelligi non possunt tamquam promissio rei futurae. Christus enim ait: *Hoc est corpus meum*; Lutherani verò id explicant: *Hoc erit corpus meum.* Recedunt ergo a verbo Dei, cui unice inhaerere se jactant. 2.° Si verba Christi in ipso sumtionis actu prolata essent, dicendum esset, Apostolos nihil antea admonitos sumsisse sine fide panem Eucharisticum, ut cibum communem; in ipsa autem sumtione audivisse illud esse Corpus Christi, quod quis ferat? Putandum ergo est, *Marcum*, non servato ordine rerum gestarum, verba Christi, quae alii Evangelistae testantur prolata ante sumtionem, transposuisse, quod non est apud Historicos, et ipsos Evangelistas insuetum, cum praesertim omnes Patres ita *Marci* narrationem intellexerint, et explicaverint.

Objic. II. *cum Dallaeo.* Etsi in veteri Ecclesia servabatur Eucharistia post peracta mysteria, non sequitur, eam fuisse Sacramentum, antequam sumeretur ab iis, quorum in usum servabatur. Ergo etc.

℟ *Neg. ant.* 1.° quia Patres Eucharistiam sic servatam vocant *Corpus Domini*, *Sanctum Domini*, ejusque adorationem in sorore sua *Gorgonia* laudat *Nazianzenus*: 2.° Quia alioquin quando ipsi fideles Eucharistiam domi servatam sumebant, ipsi fuissent ministri, in quorum manibus Eucharistia Corpus Domini fiebat.

Objic.

Objic. III. Eucharistia signum est spiritalis alimoniae. Atqui non constat hujusmodi signum, nisi in ipso usu, quo comeditur. Ergo in illo tantum actu Sacramentum est.

℟. *Neg.min.* Sicut enim panis communis, etiam antequam sumatur, cibus est, habens utique in seipso nutriendi virtutem, ita Eucharistia, etiam antequam sumatur, cibus est animae, habens in se fontem ipsum vitae spiritalis.

Inst. Omnia alia sacramenta tunc efficiuntur, cum ministrantur, quamvis antea benedicta sit materia, ut aqua ad baptismum, oleum ad confirmationem. Ergo ejusdem generis debet esse Eucharistia.

℟. *Neg. cons. et parit.* In reliquis enim sacramentis materia semper indifferens est vel ad profanum usum, vel ad sacramentum; determinatur autem ad sacramentum efficiendum per formam, quae tunc profertur cum Sacramentum ministratur. At contra panis, et vinum in corpus Christi transmutantur per formam, quae profertur multo ante, quam porrigatur fidelibus.

*Objic.*IV Plurium Ecclesiarum exempla sunt, quae statuerunt olim, ut nihil de Eucharistia reliqui esset post peracta mysteria. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Statuerunt, ut nihil reliqui esset, servata prius parte, quae deferenda est ad absentes, vel servanda pro infirmis, *conc.* Secus, *neg.* Cum enim exempla, quae supra commemoravimus, ostendant praxim veteris Ecclesiae universalis, contraria quae videntur exempla singularium Ecclesiarum, accipienda sunt eo sensu, ac modo, qui universae Ecclesiae moribus non sit adversus, ut facile esset ostendere, singula exponendo, si pateretur instituti brevitas.

CAP. III.

Consectaria capitis superioris.

Adv. Ex vera Christi praesentia in Eucharistia multa sequuntur maximi ponderis corollaria, quae hic breviter adstruenda sunt.

PROPOSITIO I.

Non minus sub speciebus panis est Corpus, et Sanguis Christi, quam sub speciebus vini. Est dogma fidei.

Prob. Eucharistia vere, et proprie continet Christi Corpus, quod in caelo est. Atqui Corpus Christi non potest a sangnine sejungi, nec sanguis a corpore, nec anima, et Divinitas Christi a corpore, et sanguine. Ergo si sub speciebus panis est Christi corpus, est etiam ibi sanguis, et anima, et Divinitas: parique ratione si sub vini speciebus est Sanguis Christi, adest etiam Corpus, et anima, et Divinitas. Hinc Concil. Trident. *Sess. XIII. can.* 3. *Si quis negaverit*, inquit, *in Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie totum Christum contineri, anathema sit.* Quod et *Eugenius IV.* decleraverat in *Decreto* his verbis. *Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini.* Ergo. Ceterum, ut iidem Tridentini Patres monent *Sess. XIII. Cap.* 3. solum corpus est sub specie panis, et solus sanguis sub specie vini, si verborum consecrationis, reliqua vero *per concomitantiam*, ut ajunt, seu virtute naturalis, et indissolubilis connexionis.

Rursus cum in Christo inhabitet omnis plenitudo Divinitatis, quia per *circuminsessionem*, de qua diximus *Lib. IV. Cap VIII.* Pater, et Spiritus Sanctus est in Filio, sequitur hinc, tres simul Trinitatis personas esse in Eucharistia.

Dices. Frustra ergo Christus sub duabus speciebus Eucharistiam instituit, si tantum sub una est, quantum est sub ambabus.

R, Neg.

℟. *Neg.seq.* Cum enim Christus hoc sacramentum, et sacrificium instituerit in memoriam mortis suae, in qua sanguis effusus, ac separatus est a corpore; non poterat aptius illud instituere, quam sub diversis speciebus, quae significant, sanguinem a corpore sejunctum in morte Christi, cujus hoc sacramentum commemoratio est.

PROPOSITIO II.

Dogma fidei quoque est, totum Christum contineri in qualibet specierum parte, facta separatione.

Prob. Ecclesia universa consecratum panem frangere consuevit, ac fidelibus distribuere, sicut et consecratum vinum singulis porrigere, exemplo Christi, et tamen semper credidit, ac docuit, singulos totum Christum accipere. Merito ergo Tridentinum *Sess.* XIII. *can.* 3. sic definivit: *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.*

Diximus autem, *separatione facta*, quia dogma fidei non est, Christum totum, etiam ante separationem partium, ita esse totum in toto, et totum in qualibet parte specierum; quamvis communius id affirment Theologi.

PROPOSITIO III.

Dogma fidei est, Eucharistiam cultu latriae esse adorandam.

Prob. Eucharistia ipsum Christum continet, ut supra positum est. Atqui Christus, ubicumque est, cultu latriae est adorandus. Sic eum adoraverunt adhuc infantem Magi *Matth. II.* 11. imo et Angeli ex Apostolo *Heb. I* 6 ubi ait: *Cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: et adorent eum omnes Angeli ejus.* Sic etiam caecus a Christo illuminatus mox ut audivit, eum esse Filium Dei, *procidens adoravit eum*: *Joan. IX.*

 38.

38. Sic denique illum etiam hodie sub speciebus Eucharistiae latentem ipsi Angeli adorant, ut docent Chrysostomus *Hom. in Cap. VI. Isaiae*, et *Lib. VI. de Sacerdotio*. Et Gregorius M. *Lib. IV. Dial. cap. 58. Quis dubium*, inquit, *habere possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem coelos aperiri, Angelorum choros adesse?* Unde Augustinus supra laudatus in *Psal. XCVIII. Nemo*, inquit, *carnem illam manducat, nisi prius adoraverit.* Consonant alii Patres (*a*) ac proinde jure id ut dogma fidei definivit Tridentinum Sess. XIII. can. 6. *Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiae Sacramento Christum unigenitum Dei filium non esse cultu latriae, etiam externo adorandum ..... vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit.*

Dices. Christus Apostolis non genuflexo adorantibus sed recumbentibus Eucharistiam porrexit. Non est ergo adoranda. Ita Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap. 17.* et *Sacramentarii* omnes, quibus etiam Lutherani quidam assentiuntur, ut *Illyricus*, aliique.

℟. *Neg. cons.* Apostoli enim, qui semper cum Christo in forma visibili conversabantur, non poterant utique eum semper genuflexo adorare, sed cum duplex sit cultus, interior, et exterior; interior quidem in Apostolis idem semper erat; at exterior varius pro loci, et temporis varietate. Quapropter cum in coena Apostoli cum Christo visibili recumberent, non oportebat, ut assurgerent, aut genuflecterent, cum Christum ipsum sub speciebus Eucharisticis accipiebant. Pari igitur ratione in Ecclesia Catholica, etsi idem semper fuit Eucharistiae cultus interior, exterior pro temporum varietate variavit.

Q. *Quo tempore publica Eucharistiae expositio, et sollemnis in publicis supplicationibus circumgestatio instituta sit?*

℟.

(a) Origenes *Hom. V. in Evang.* Cyrillus Hieroso. *Cats. ch. V. Myst.* Ambrosius *Lib. III. de Spir. S. cap. 12.* Theodoretus *Dialog. II.* Nazianzenus *Orat. in S. Gorgon.* Dionysius *De Eccles. Hierarch. cap. 5.*

IV. Etsi semper fideles Eucharistiam adorasse, ex Augustino *in Psal. XCVIII.* Theodoreto *Dial. II.* aliisque scimus; tamen post tempora *Berengarii* ad testandam magis fidem verae Christi praesentiae in Sacramento, hostia statim post consecrationem elevari coepit, ut ab adstantibus adoraretur. Quae quidem elevatio in Orientali ecclesia paulo ante communionem antiquitus fieri consuevit, ut ostendit Card. Bona *Lib. II. Rer. Liturg.* sicut etiam in Ecclesia Occidentali servatur adhuc in ea Canonis parte, ubi Sacerdos ait: *est tibi Deo Patri omnipotenti etc. omnis honor, et gloria.* Vide P. le Brun *Tom. I.* et Benedictum XIV. *de Sacrif. Missae.* Deinde paulatim inductum est, ut hostia in vase argenteo, sed per vitrum visibilis super altare exponeretur a fidelibus adoranda. Denique instituta saeculo XIII. sollemnitas in honorem Sacramenti, et publica supplicatio, in qua Eucharistia circumgestatur: *Ut . . . adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universae Ecclesiae laetitia vel debilitati, et fracti tabescant, vel pudore affecti, et confusi, aliquando resipiscant* ut inquit Tridentinum *Sess. XIII. Cap.* 5. Vide Benedictum XIV. *De Festis*, ubi auctores etiam recenset omnes, qui *de Festo Corporis Christi* erudite scripserunt.

Objic. Sunt nonnulla veterum exempla, quae cultui Eucharistiae adversantur. Cyrillus Hieros. *Catech. V.* fidelibus insinuat, ut sumta Eucharistia, digito tangant labia sanguine Christi madentia, eoque liniant oculos, frontem etc. ut sensus suos sanctificent. Refert etiam Augustinus *Lib. III. Op. Imperf. cont. Julianum cap.* 194. mulierem quamdam filio suo aegrotanti *cataplasma* ex Eucharistia confecisse, quo sanatus est puer. Et multo mirabilius est quod ait Nicetas *in vita S. Ignatii C. P.* Episcopos damnationi *Photii* subscripsisse calamo intincto in sanguine Christi: quibus similia narrat Baronius *ad an. DCXLVIII.* de *Theodoro* summo Pontifice. Sed et reliquias Eucharistiae igni tradi consuevisse, scimus ex Esychio *Lib. II. in Levit.* et Concilio Aurelianensi *apud Yvon. Carnot. P. II. Decret. cap.* 22. Quis autem haec hodie non putaret esse sacrilegia? Ergo etc.

R. *Neg. cons.* 1.° quia nihil moramur exempla paucorum, qui ex pietate non secundum scientiam quaedam fecerunt, quae Magistra veritatis Ecclesia non permittit. 2.° quia in his ipsis, quae objiciuntur, exemplis constat, fideles latriae cultum Eucharistiae deferre voluisse, licet in modo erraverint. Ceterum quod ait *Esychius*, et Concilium Aurelianense, intelligendum esse de corruptis Eucharistiae speciebus, docet idem *Yvo Carnotensis* in objectione laudatus, qui ait: *Ut sacrificium sordida vetustate perditum igne comburatur, et cineres juxta altare sepeliantur.*

C A P. IV.

De materia Eucharistiae.

§. I.

De materia Eucharistiae generatim.

Adv. NUnc explicata Eucharistiae natura, quaenam materia sit, ex qua efficitur, oportet expendamus. Qua in re errarunt haeretici, 1.° *Gnostici*, quorum nonnullos ex abortivo infante in mortario contuso Eucharistiam consecrasse, auctor est Epiphanius. *Haeres. XXVI.* 2.° *Artotyritae*, qui panem casco mixtum ad consecrandam Eucharistiam adhibebant; 3.° *Aquarii*, qui solam aquam in calice offerebant, quales *Ebionitae* fuerunt, item *Encratitae*, et *Manichaei*, putantes vinum a malo principio creatum, de quibus vide Epiphanium *Haeres. XLV. XLVII. et L.* et Leonem M. *Serm IV. de Quadrag.* Quibus accesserunt non quidem ex haeresi, sed ex metu ii, qui persecutione urgente, ne a Gentilibus ex vini odore deprehenderentur, solam aquam consecrabant, ut testatur Cyprianus *Epist. LXIII.*

PRO-

PROPOSITIO.

Duplex est materia, et quidem sola, et necessaria, ex qua Eucharistia consecratur; panis scilicet, et vinum. Est dogma fidei.

Prob. I. *ex Script.* Non alia esse potest Eucharistiae materia, nisi quam Christus adhibuit, praecipiens Apostolis, ut idipsum facerent. Atqui Christus Eucharistiam instituens, nonnisi panem, et vinum adhibuit, et consecravit, praecepitque simul Apostolis, ut idipsum facerent, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut docent Evangelistae *Luc. XXII. I. Cor. XI.* Ergo etc.

*Prob.*II. ex communi Traditione Ecclesiae, quae nonnisi panem, et vinum semper obtulit, et consecravit, damnavitque eos, qui aliud offerrent. Hinc Concil. Carthaginiense. III. *can.* 24. *In Sacramento*, inquit, *corporis, et sanguinis Domini non aliud offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et vinum aquâ mixtum.* Et in canonibus, qui dicuntur Apostolici, *Can.* 3. depositionis poena plectitur Episcopus, vel presbyter, qui aliud, quam panem, et vinum obtulerit. Ergo.

Dices. In ipsis Apostolicis Canonibus *Can.* 4. permittitur offerri uvas, oleum, incensum. Ergo.

℟. *Dist. ant.* In usum Clericorum, in subsidium pauperum, et altaris ornatum, *conc.* Ad consecrandam Eucharistiam, *neg.*

Scholion.

Quamvis constet inter Catholicos, panem, et vinum esse solam, ac necessariam, ex qua Eucharistia efficitur, materiam; cum tamen in ipsa haec consecratione destruatur. sive mutetur docent Scholastici, panem, et vinum materiam esse Eucharistiae remotam, non secus ac peccata in Sacramento Poenitentiae delenda Sacramenti illius materia remota dicuntur. Hinc quaenam

sit

sit proxima Eucharistiae materia, anxie quaerunt, ac disputant. Nonnulli enim putant, esse ipsam conversionem panis, et vini in Christi corpus, et sanguinem; alii solas panis, et vini species, quae peracta consecratione remanent, alii ipsum corpus, et sanguinem Christi, quatenus per species panis, et vini sensibile redditur; alii denique utrumque simul, nempe Corpus, et sanguinem Christi, et species panis, et vini; ita ut corpus, et sanguis Christi, et species panis, et vini sint *adaequata*, et integra hujus Sacramenti materia proxima. Nos in hac controversia, quae de nomine potius, quam de re ipsa est, non putamus diutius immorandum.

§. II,

De pane, qui est una Eucharistiae materia.

Nunc singillatim de utraque materia disserendum est. Nam de pane quidem quaeritur, 1.° ex quibus seminibus conficiendus sit, quove liquore subigendus, ut apta ad Eucharistiam materia sit. 2.° Utrum azymus, an vero fermentatus esse debeat. Graeci enim Catholicae Ecclesiae hanc litem intentarunt a saeculo XI. duce *Michaele Caerulario*, quod non *valide* Eucharistiam consecret, eo quod panem azymum adhibeat. Nos utrumque sequentibus thesibus expendemus.

PROPOSITIO I.

Panis ad Eucharistiam necessarius debet esse triticeus, aqua naturali subactus.

Prob. Non alia est Eucharistiae materia, nisi quam Christus definivit. Atqui Christus adhibens panem tamquam Eucharistiae materiam, illumque adhiberi praecipiens verbis illis: *Hoc facite*, non alium certe panem adhibuit, ac definivit, nisi qui in usu erat communi, et qui praecipue panis nomine intelligitur, scilicet Panem triticeum ex aqua naturali confectum. Alii enim panes non simpliciter panis dicuntur, sed cum ad-

juncto, ut puta panis *hordeaceus*, *siligineus*, etc. Ergo solus triticeus panis, naturali aqua confectus, est necessaria Eucharistiae materia.

Corollarium.

Hinc massa cruda non est Eucharistiae materia, quia *moraliter*, sive in communi hominum usu panis non censetur. Farina etiam aqua rosacea, aliove liquore subacta, eandem ob causam Eucharistiae apta non est.

Scholion.

Quoniam nonnulla semina utrum specie a tritico differant, dissentiunt Physici, oritur hinc inter Theologos etiam disputatio, utrum panis ex seminibus illis confectus, Eucharistiae aptus sit. Sic S. Thomas 3 *P.* *Q.* LXXIV *art.* 3. putat, panem ex siligine confectum esse aptam Eucharistiae materiam, eo quod censet, siliginem a tritico quoad *speciem* non differre. Idem docet *Estius* de pane hordeaceo *in IV. Dist* VIII. §. 6. Alii utrumque negant contraria ratione, quia scilicet siliginem, atque hordeum *specie* differre putant a frumento. Quapropter cum numquam liceat materia uti dubia; nisi in sacramentis ad salutem absolute necessariis *necessitate medii* (cujusmodi non est Eucharistia) et quidem in caussa extremae necessitatis, numquam licebit aliam materiam, nisi solum triticeum panem aqua naturali subactum ad Eucharistiam adhibere.

PROPOSITIO II.

Christus Eucharistiam instituens, panem azymum, non fermentatum adhibuit.

Prob. Christus Dominus Eucharistiam instituit ad vesperam primae diei azymorum. Ait enim Matthaeus *XXVI.* 17. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? ... Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim etc.* Cui consonat Marcus *Marc. XIV.* 12. et Lucas *Luc.*

Luc. XXII. 7. Atqui a vespera diei primae azymorum usque ad vesperam diei septimae nullus erat apud Hebraeos fermentati usus, imo nec minimum fermentati habere domi licebat, juxta praeceptum Domini *Exod.* XII. 15. sed solus azymus panis adhibebatur. Ergo Christus ad Eucharistiam instituendam non fermentato, qui nusquam erat apud Judaeos, sed azymo pane usus est.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Vel Christus mortem suam praenoscens una die praevenit Paschae celebrationem, vel Judaei mortem Christi meditantes, illam distulerunt ad sequentem diem. Ergo etc.

℟. *Transeat ant.* quod evidenter falsum esse, ostenditur 1.° quia nec Christus observantissimus legis, cujus figuras implere venerat, praevertere Pascha potuit, nec Judaei illud differre, ut Christum occiderent cum maxima eorum pars mortem Christi ne cogitarent quidem, et qui id cogitabant, occultare potius insidias, quam patefacere satagerent, 2.° quia *Marcus*, et *Lucas*, luculenter dicunt, eadem die Christum cum Judaeis Paschá celebrasse. *Venit dies azymorum*, ait Lucas, *quando necesse erat occidi Pascha.* Et Marcus: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* Sed demus (quod falsum est) aut Christum praevenisse, aut Judaeos distulisse Pascha, non sequitur, Christum in ultima coena adhibuisse fermentatum. Quandocumque enim Pascha celebravit, eos certe ritus servavit, quos lex praescribebat, ac proinde non fermentatum, sed azymum in coena adhibuit.

Objic. II. Christus ultimam coenam fecit *ante diem festum Paschae*, ut refert Joannes *Cap. III.* 1. qui et addit, Judaeos postridie ejus diei *non introisse in Praetorium: ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha Jo. XVIII.* 28. Nondum ergo festum Paschae, atque adeo sollemnitas azymorum coeperat, quando Christus mortuus est, ac proinde multo minus quando Eucharistiam instituit.

℟. *Dist. ant.* Ante diem festum Paschae naturalem, *conc.*

conc. Legalem, *neg.* Legalis, enim dies incipiebat a vespera lunae decimaequartae, et durabat usque ad vesperam diei sequentis, ut constat ex verbis Levitici *Levit. XXIII. 32. A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabata vestra.* At naturalis dies a media nocte ad mediam noctem numerabatur. Ex quo fiebat, ut vespera lunae decimaequartae esset ipse primus dies legalis azymorum jam incoeptus, et tamen ante diem naturalem azymorum. Duplex haec numerandi ratio ex Scripturis est apertissima. Nam ipse Deus qui *Exod.* XII. praecepit, ut inciperent azyma vespere Lunae decimaequartae, tamen ait *Levit. XXIII 6. Quintadecima die mensis hujus sollemnitas azymorum Domini est*; ita ut decimaquarta luna fuerit prima dies azymorum legalis, decimaquinta naturalis. Vide Augustinum *Epist.* XXXVI. *ali.* LXXXVI. Hieronymum *in cap.* XXVI. *Matth.* Chrysostomum *Hom.* LXXXIV. *in Matth.*

Ad illud autem, quod addebatur, Judaeos postridie non introisse in Praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha, sciendum est, nomine Paschae intelligi in Scripturis non solum Paschalem agnum qui prima die azymorum ad vesperam immolabatur, sed victimas omnes, quae per septem illos dies offerebantur. Sic enim habetur *Deuter.* XVI 2. *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus.* Ex his autem victimis comedere immundi non poterant; ac proinde quamvis Judaei agnum Paschalem manducaverint, tamen noluerunt in Praetorium introire, ne contaminati reliquas paschales victimas iis diebus immolandas manducare non possent: nisi dicere velis cum Chrysostomo *Hom.* LXXXV. *in Matth.* solos principes sacerdotum unice eo intentos, ut Christum ea nocte comprehenderent, cujus rei occasionem Judas obtulerat, immolationem agni paschalis ad diem sequentem distulisse.

Objic. III. Quo die Christus crucifixus est, erat *Parasceve Paschae Joan.* XIX. 14. Atqui *Parasceve* erat dies praecedens festum, ideoque Judaei duos dies festos continuos non celebrabant, ne unus esset *Parasceve* alterius. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Non omne enim festum *Parasceve* praecede-

debat; sed tantummodo Sabatum, quo non licebat ne cibos quidem parare, ideoque die praecedenti parabantur: ea autem praeparatio *parasceve* dicitur. In reliquis diebus festis cibos parare licebat. Hinc in eo die Paschae parare licuit cibos, etiam pro sequenti Sabato; ita ut dies Paschae esset etiam *Parasceve* Sabati, licet dicatur a Joanne *Parasceve Paschae* (a), quia Sabatum illud in diebus Paschalibus incidens sollemnius erat. Mos autem ille Judaeorum non servandi duos continuos dies festos a Rabbinis inductus est post mortem Christi.

Objic. IV. Judaei sollicite caverant, ne Christus in die festo occideretur *Matth. XXVI.*.5. *Dicebant autem: non in die festo.* Imo postquam Christus cum latronibus crucifixus est, petierunt a Pilato, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur, *ut non remanerent in Cruce corpora Sabato, erat enim magnus dies ille Sabati Jo. XIX.* 31. ac proinde multo minus passi essent, ut crucifigerentur in ipso die Paschae. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Judaei caverant, ne Christus occideretur in die festo ex motivo religionis, *neg.* Cum enim Christum accusarent blasphemiae, putabant, quolibet die occidi posse, praesertim cum non ipsi eum suis manibus occiderent, sed traderent occidendum Gentilibus, qui legibus Mosaicis non tenebantur. Ex astutia, et metu, *ne forte* scilicet *tumultus fieret in populo*, *conc.* Oblata autem occasione proditionis Judae, hunc metum contemserunt, Deo id permittente, ut in ipso die immolationis agni paschalis veritas figurae succederet, ut docent Patres. Unde idem *Matthaeus*, qui refert, Judaeos cavisse, ne Christus in die festo occideretur, demonstrat, id contra accidisse; ait enim: *Per diem autem sollemnem* (in quo occisus est Christus) *consueverat Praeses populo dimittere unum vinctum quem voluissent.* Porro Judaei, hoc ingenti admisso facinore, non caverunt, quasi pejus esset corpora in cruce re-

(a) Clarius autem Marcus *Marc. XV.* 42. non Parasceven Paschae, sed Parasceven Sabati appellat, *επει ην παρασκευη, ὁ εστι προσαββατον.*

remanere die festo, quam ea die festo crucifigere, in quo mira fuit illorum caecitas.

Objic. V. Si Christus Eucharistiam instituisset primo die azymorum; ac proinde crucifixus esset in ipso die Paschae, profecto Pentecoste eo anno incidisset in diem Sabati. Nam a secunda die azymorum, quo Judaeis praecipiebatur *Levit.* XXIII. 15. offerre spicarum manipulum, numerandi sunt ad Pentecosten dies quinquaginta. Idcirco cum Christus certissime mortuus sit feria sexta; si a sequenti Sabato numeres quinquaginta dies, quinquagesimus est Sabatum. Atqui Ecclesiae traditio est, Pentecosten eo anno incidisse in diem Dominicam. Ergo festum Paschae, sive prima dies azymorum eo anno fuit Sabatum, ac proinde etc.

℟. *Neg. maj.* Non enim praecipitur *Levit.* XXIII. 15. offerri manipulum spicarum, et numerari dies quinquaginta a secunda die azymorum, *sed ab altero die Sabati*, ut indicetur, quod si dies secunda azymorum incideret in Sabatum, quo spicas metere non licebat, offerretur manipulus die sequenti, idest tertia die azymorum. Ceterum certum non est, utrum in numerandis quinquaginta diebus, altera dies azymorum includi debeat, sicut non omnino certum est, Pentecosten eo anno in diem Dominicam incidisse. Quapropter ex his, aut similibus calculis, qui iniri solent etiam ex tabulis astronomicis, aut ex auctoritate privati alicujus Scriptoris posterioris aevi, nihil inferri potest contra testimonium Evangelistarum, qui testes oculati scripserunt, Christum Eucharistiam instituisse *prima die azymorum*: *Quando Pascha immolabant*: *Quando necesse erat occidi Pascha.*

PRO-

PROPOSITIO III.

Dogma fidei est, panem sive azymum, sive fermentatum aptam Eucharistiae materiam esse. Debet tamen Sacerdos Ecclesiae suae sive Latinae, sive Graecae servare disciplinam.

Prob. I. ex Concilio Florentino, in qao pace composita inter Graecos, atque Latinos, inquiunt Patres *Definimus insuper, in azymo, sive in fermentato pane triticeo Eucharistiam veraciter confici, Sacerdotesque in altario ipsum Domini Corpus conficere, unumquemque scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

Prob. II. Cum materia Sacramentorum quoad substantiam non mutatur, *valide* semper adhibetur, ut supra docuimus. Atqui sive azymum, sive fermentatum panem adhibeas, non mutatur quoad substantiam materia panis. Azymus enim panis a fermentato *quoad speciem* non differt; imo uterque simpliciter panis dicitur in Scripturis. Ergo non ad veritatem Sacramenti, sed ad disciplinam pertinet sive azymum, sive fermentatum panem consecrare, ac proinde cum quilibet Sacramenti minister Ecclesiae suae disciplinam servare debeat, sequitur, nec Sacerdotem Latinum in fermentato, nec Graecum in azymo consecrare posse, praesertim cum ita fuerit in Concilio Florentino Ecclesiae universae auctoritate sancitum (a). Quod autem hujus disciplinae violatio gravis culpa sit, patet ex *Cap. Litteras de Celebr. Missar.* ubi Sacerdos Latinus officio, et beneficio exauctoratur, eo quod Missam in fermentato celebraverit.

Prob.

(a) Nec Latinus Sacerdos in Graeca Ecclesia fermentatum, nec Graecus in Latina azymum consecrare potest, idque non solum ex Florentino canone, verum etiam ex Constitutione Pii V. quae incipit *Romani Pontificis*, et Benedict. XIV. *Etsi Pastoralis*, ex quibus contraria quorundam opinio explosa est.

Prob. III. ex praxi universae Ecclesiae, quae pro locorum, ac temporum varietate azymum, et fermentatum panem ad Eucharistiam adhibuit. Primis enim saeculis ex panibus, qui ab ipsis fidelibus offerebantur, qualescumque essent, pars ad Euchatistiam conficiendam adhibebatur, pars in usum Clericorum, et pauperum cedebat. Et in Ecclesia quidem Latina usque ad octavum, vel nonum saeculum nunc azymus, nunc fermentatus panis consecratus est, ut observat Cardinalis Bona *Lib. II. de Reb. Liturg. Cap.* 23. et hoc sensu intelligi potest quod ait Leo IX. *Epist. VI. ad Mich. Caerul.* Ecclesiam a tempore Apostolorum consecrasse azymum, hoc est ita consecrasse fermentatum, ut azymum non rejecerit. Demum a saeculo IX. in Ecclesia Latina semper azymus panis consecratus est: in Graeca semper fermentatus. Putat autem S. Thomas *in IV. Dist. XI. q.* 3. aliique veteres Scholastici, olim in Ecclesia ab Apostolorum aetate consecratum azymum in Oriente, et Occidente. Deinde in odium *Ebionitarum*, qui azymorum usum servabant ex Lege Mosaica, fermentatum invaluisse. Demum ea haeresi extincta, Latinos ad azymum rediisse, Graecos retinuisse fermentatum. Hodie vero etiam in Oriente in azymis consecrant Maronitae ex Morino *Praef. ad Ordin. Maron.* Armeni ex Demetrio Cyziceno (*De Haeres: Jacob.*) Ecclesia Hierosolymitana ex Card. Humberto *ap. Baron Tom.* et Alexandrina ex ipso Caerulario *ap. eund. Baron. ibid.* Ergo si universalis Ecclesia azymum, et fermentatum nullo discrimine ad Eucharistiam adhibuit, utrumque Eucharistiae aptum est; et unusquisque Sacerdos Ecclesiae suae disciplinam servare debet.

Solvuntur Objecta.

Objic. I: *contra fermentatum.* Ille solus adhibendus est panis, qui a Christo est adhibitus. Atqui azymus adhibitus est a Christo, ut supra ostendimus. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Ille solus quoad substantiam, *conc.* Ille solus quoad *accidentales* qualitates, *neg.* Neque enim omnia, quae Christus fecit, etiam quoad *accidentales* circumstantias in lege posita sunt; alioquin Eucharistiam post coenam consecrari, et ministrari oporteret; sed salva rei substantia, reliqua judicio, et prudentiae Ecclesiae relicta sunt.

Objic. II. contra azymum. Sicut sola aqua naturalis ad Baptismum est idonea, quia illa est precipua aquae species, quae communi usu nomine aquae intelligitur, ita solus panis fermentatus Eucharistiae aptus est, quia ille est praecipua panis species, quae communi usu nomine panis intelligitur. Quod et confirmatur ex ipsa nominis origine. Dicitur enim Graece *αρτος* ab *αειρω* sive attollo, quia elevatur dum coquitur. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* et retorquetur in adversarios argumentum. Sicut enim aqua naturalis etsi in accidentalibus qualitatibus immutata, semper tamen aqua est, et baptismo idonea; Sic panis triticeus, qui simpliciter panis appellatur, etsi in accidentalibus qualitatibus immutatus semper tamen panis est, et panis simpliciter dicitur *Luc.* XXIV. et Eucharistiae idoneus. Nec quidquam etymologia nominis incommodat, tum quia etiam in Scripturis *Deut. XVI. ap. LXX.* panis azymus dicitur *αρτος*; tum quia etsi concedamus *αρτος* dictum ab *αειρω*, quod quidem incertum est, cum hujusmodi *etymoligiae* plerumque cerebro Grammaticorum confictae sint: tamen dici potest *etymon* deductum ab eo, quod ut plurimum accidit in confectione panis.

Addunt etiam Graeci veteres nonnullos canones, qui vetant azyma comedere more Judaeorum; sed nemo non videt, ibi eos tantum damnari, qui azyma comederent ex superstitione, quasi adhuc Mosaica lex vigeret (*a*).

Q.I.

(a) Scripserunt fusius de hoc argumentum Jac. Sirmondus *in Disquisitione de azymo* Mabillonius *Dissert. de azymo.*

Q. I, *Utrum panis consecrandus fuerit olim studio praeparatus.*

℟. Primis saeculis communes panes a fidelibus oblati consecrabantur. Deinde cautum, ut consecrandus panis singulari studio pararetur; unde Concil. Toletanum XVI. anno DXCIII. Presbyteros reprehendit, qui ex communi pane praecisas in rotunditatem particulas consecrabant. Et Cardinalis *Humbertus* (scribens contra *Michaelem Caerularium*) testatur, sua aetate Clericos sacris indutos vestibus inter Psalmorum cantus panem consecrandum confecisse. Imo ipse S. Carolus *in Concil. Mediol. IV. P.* 2. vetat, laicos panem Eucharisticum parare. Figura autem orbicularis antiquissima est, cum ejus meminerit Epiphanius *in Ancor. n.* 56. et Gregorius M. *Lib. IV. Dial.* licet olim grandior, saeculo demum XI. ad formam breviorem redacta sit.

Q. II. *Utrum saltem, azymo pane deficiente, possit Latinus Sacerdos fermentato uti pane, ut viaticum moribundo porrigat.*

℟. Minime. Non est enim praeceptum sumendi viaticum, cum accipi secundum Ecclesiae leges non potest, quae nusquam hanc exceptionem faciunt de moribundo. Ita docent *Collet*, *Antoine*, *Ligorius*, quamvis non desint, qui contrarium affirment *Casuistae*.

---

mo Leo Allarius *ad Greygthen Dissert. VI.* Ciampinus *in Dissertatione de azymo.* Edm. Martene, Cardinalis Bona, Natalis Alexander, etc.

§. III.

De vino, quod est altera Eucharistiae materia.

Adv. Nunc de altera Eucharistiae materia quaerendum est, 1.° quale vinum Eucharistiae conficiendae aptum sit, 2.° utrum ei aqua admisceri debeat.

PROPOSITIO I.

Vinum Eucharistiae aptum debet esse ex vite. Est dogma fidei.

Prob. Vinum esse Eucharistiae materiam, supra probatum est. Atqui nomine vini praecipua vini species intelligenda est, quod scilicet ex vite est eductum; unde Christus vinum, quod in ultima coena adhibuit, *genimen vitis* appellat. Ergo etc.

Hinc sequitur, aptam non esse ad Eucharistiam. 1.° Cerevisiam, vulgo *birram*, quia ex uvis non conficitur, 2.° Succum ex acerbis uvis expressum, quia vinum non censetur; sicut nec succus ex decoctis, sive siccatis uvis eductus, 3.° Spiritum vini, et acetum, quia specie a vino differunt. Si autem vix incipiat vinum acescere, *valide* quidem, sed non sine gravi culpa, ob sacramenti reverentiam, consecraretur, 4.° Uvam ipsam; nondum enim vinum dicitur, nisi cum ex ea liquor est expressus. Ceterum mustum ex uvis mox expressum consecrationi aptum esset, quia jam vinum est, licet nondum satis maturum; ideoque sine necessitate non consecrandum.

PRO-

PROPOSITIO II.

Aqua naturalis vino consecrando admiscenda est ex praecepto Ecclesiae.

Hanc disciplinam ab Apostolorum aevo institutam negarunt 1.° *Armeni* Eutychiani, qui teste Nicephoro *Lib. XVIII. Hist. Cap.* 53. ne per aquam, et vinum duas in Christo naturas significare viderentur, vinum merum offerunt, quem abusum Concilium Trullanum *Can.* 32. merito reprehendit. 2.° *Lutherus*, qui aquae, et vini mixturam, ut figmentum humanum rejecit, quamquam ejus discipuli post *Kemnitium* eam inter *adiaphora* reponant.

Prob. itaque 1.° *pars.* 1.° Justinus *Apolog. II. Affertur*, inquit, *praecipuo fratri panis, et calix aqua dilutus*: 2.° Cyprianus *Epist. LXIII.* totus est, ut probet, nec vinum merum, nec aquam solam in calice offerendam, sed utrumque mixtum, idque ait esse Dominicam traditionem: 3.° Hieronymus *in Cap. XIV. Marc. Format*, inquit, *sanguinem suum in calice vino, et aqua mixtis.* 4.° Idem praecipiunt omnes *Liturgiae* tum occidentalis, tum orientalis Ecclesiae. 5.° Idipsum statuerunt plura Concilia, ut Carthaginiense III. *can.* 24. ubi ait: *In Sacramento corporis, et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et vinum aqua mixtum.* Trullanum *can.* 32. Florentinum, sive *Eugenius IV.* in *Decreto*, et tandem Tridentinum *Sess. XXII. can.* 9. ubi *Lutheri* audaciam damnans, ait: *Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo; eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.*

Prob. 2.° *pars*, contra eos, qui contendunt, eam a. quae mixtionem aut necessariam esse ad Sacramenti valorem, aut saltem esse ex praecepto divino, 1.° ex verbis Tridentini *Sess. XXII. Cap.* 7. *Monet sancta synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut a-*

Atqui hoc non exprimitur, si non admisceatur aqua. Hinc Cyprianus *Epist. LXIII.* tantae necessitatis esse ait mixtionem vini, et aquae, ut asserat, calicem Domini non esse aquam solam, neque vinum solum, sed utrumque simul, ex quo sequi videtur, ut sicut *invalide* consecraretur aqua sola, ita etiam vinum solum, imo addit, quod sicut non potest consecrari farina sola sine aqua, ita nec vinum solum sine aquae mixtura; quae comparatio maximam arguit necessitatem. Ergo etc.

℟, *Neg. ant. Ad Confirm. dist. maj.* Et haec conjunctio, etiam aqua non admixta, adhuc explicaretur, quamvis minus clare, *conc.* Nullatenus explicaretur, *neg.* Omne enim sacrificium, quomodocumque olim offerretur in lege sive naturae, sive scripta, etiam sine mixtione aquae significabat, homines offerre semetipsos Deo una cum victima, quae mactabatur. Hoc autem ut explicetur clarius, praecepit Ecclesia, aquam vino in calice misceri. *Cyprianus* autem disputat contra eos, qui aquam solam metu persecutionum offerebant, contra quos optime probat, omnino necessarium esse vinum, et ad hoc valet ejus comparatio inter farinam sine aqua, et aquam sine vino. Sed non nimis comparationes urgendae sunt, quasi aequalis necessitatis ait vinum, et aqua.

Scholion.

Graeci praeter aquam vino mixtam ante consecrationem, fervidam iterum Calici infundunt ante communionem, quem morem immerito a nonnullis improbatum, Graeci in Florentino Concilio propugnarunt. Vide Goarium *in Euchol.* et Le Brunium *Tom. III. Liturg.*

§. IV.

§. IV.

Expediuntur nonnullae quaestiones circa materiam Eucharistiae.

Q. I. *Quantum panis, et vini consecrandum sit?*

℟. Cum Eucharistia ad communionem fidelium ordinata sit, manifestum est, non majorem panis, et vini consecrandam esse copiam, quam quae sumentibus sufficere prudenter judicatur. Hinc peccaret Sacerdos, qui magnam panis copiam, quae a fidelibus religiose sumi non posset, consecraret. Ceterum cum Christus materiae consecrandae non definiverit mensuram; sive in exigua, dum tamen visibili, sive in magna copia consecratio valet: quamvis non desierint Theologi, qui irritam putarent fore consecrationem, si Sacerdos immensam panis, aut vini copiam, qualis est *ex. gr.* in furno, aut in dolio consecrare vellet; eo quod, inquiebant, potestatem a Christo accepit in aedificationem, non in destructionem.

Q. II. *Quid si populus non sumat Eucharistiam, quae ad ejus usum consecrata, et reservata erat in Sacrario?*

℟. Jam in Synodis uniuscujusque dioecesis cautum, ut hieme quidem semel in hebdomada; aestate vero bis in hebdomada Eucharistia renovetur in sacrario; hoc est sumatur a Sacerdote celebrante, quod in pixide reliquum est, et novae hostiae consecrentur.

Q. III. *Quid si ex negligentia Sacerdotum non renovata Eucharistia, species putrescant?*

℟. Si putrefactio sit tantum incheata, cum adhuc sit sub panis speciebus Corpus Christi, a Sacerdote sumi poterit. Quod si species omnino computruerint: ita ut amplius non sint panis species, comburendae, et in sacrarium projiciendae sunt. Vide Collet *Tom. V.*

Q. IV. *Quantum aquae vino sit admiscendum?*

℟. *In Cap. Perniciosus De celebr. Missar.* reprehenduntur, qui plus aquae, quam vini immittunt in calicem. Aquam non debere tertiam vini partem excedere, statutum est in Concil. Triburiensi. *Eugenius IV. in* De-

Decreto vult, esse *modicissimam*, non tamen unam guttam, ut nonnulli faciunt.

Q. V. *Aqua vino mixta mutaturne et ipsa in Christi sanguinem?*

℟. Thomistae olim putabant, aquam ante consecrationem natura sua in vinum verti. Sed hac a physcis explosa opinione, gravis est inter Theologos controversia, utrum aqua illa per consecrationem in sanguinem Christi una cum vino transmutetur. Innocentius III. *Cap. Cum Mariae De celebr. Miss.* eam controversiam definire noluit; etsi affirmantem sententiam probabiliorem esse ait; et merito, quia Patres vinum aqua mixtum, idest totum, quod in calice est, in Christi sanguinem converti docent. Ceterum cum res non pertineat ad fidem, disputari in utramque partem potest.

Q. VI. *Utrum materia consecranda debeat Sacerdoti esse praesens?*

℟. Necesse est, ut praesens sit saltem *moraliter*; id enim exigunt pronomina *Hoc*, *Hic*, quae rem praesentem designant. Hinc consecrari non potest hostia, vel pone parietem posita, vel in tabernaculo clausa. Ceterum necessaria non est praesentia *physica*; talis scilicet ut materia sensibus percipiatur, ac proinde hostiae, quae sub aliarum cumulo in *corporali* sunt, vel clausae in pixide super corporali posita, quam Sacerdos ex oblivione non aperuit, consecratae censentur. Quae vero vel inscio Sacerdote appositae sunt, vel extra *corporale* in cornu altaris relictae, sicut et vini guttae extra calicem adhaerentes, non consecrantur; quia licet *moraliter* praesentes, eas Sacerdos consecrare voluisse non censetur.

CAP.

CAP. V.

De forma Eucharistiae.

Adv. I. Aliud est quaerere, quibus verbis Christus, qui non erat formulis alligatus sacramentorum, Eucharistiam consecraverit, aliud, quibus verbis Apostolis praeceperit consecrandam. Prior illa quaestio non est adeo inter Theologos explorata. Sunt enim qui putent, Christum ipsa sua benedictione consecrasse. Sed in altera quaestione graviter errarunt Novatores, putantes, quibuscumque verbis, quae ad fidem excitandam apta sint, Eucharistiam confici.

II. Inter Catholicos licet ratum sit, Eucharistiam consecrari illis Christi verbis: *Hoc est Corpus meum etc.* disputatur tamen, utrum haec sola sufficiant. Graeci enim putant, verba illa: *Hoc est corpus meum*, historico more a Sacerdote proferri: Eucharistiam autem consecrari precibus, quae in *Liturgia Chrysostomi* sequuntur: *Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui immutans spiritu tuo etc.* et in Liturgia Latina praecedunt: *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, etc.* Hanc sententiam *Ambrosius Catharinus* duobus ea de re scriptis libellis propugnavit, nec eam damnavit Concilium Tridentinum, cui *Catharinus* adfuit. P. Le Brun *Tom. III. et IV.* pluribus conatur ostendere, Eucharistiam consecrari tum precibus Sacerdotis, tum verbis Christi: *Hoc est corpus meum.* Quam sententiam *Christophorus a Capite fontium* acriter propugnaverat in Tractatu *De necessitate Theolog. Scholast. reform.* Putat etiam *Scotus*, verba illa praecedentia; *Qui pridie quam pateretur*, licet historica, necessaria tamen esse ad valorem consecrationis, ut scilicet Sacerdos in persona Christi loqui censeatur; alioquin, inquit, verba illa: *Hoc est corpus meum*, non corpus Christi, sed ipsius Sacerdotis significarent. Communis tandem Catholicorum sententia est, sola illa Christi verba; *Hoc est corpus meum*: *Hic est sanguis meus*, ad consecrationem sufficere; licet nonnulli putent, in consecratione calicis etiam sequentia verba. *Novi, et aeterni*

ni testamenti etc. ad valorem sacramenti esse necessaria. Nec defuere obscuri nominis auctores, quorum meminit S. Thomas 3. *P.Q. LXXVIII.art.*6. qui assererent, consecrationem panis non perfici, nisi prolata etiam, et absoluta forma consecrationis vini.

PROPOSITIO I.

Eucharistia conficitur Christi verbis a Sacerdote prolatis Hoc est corpus meum etc. ideoque ea sunt forma Eucharistiae.

Prob. Certum est ex tribus Evangelistis, et Apostolo *I. Cor XI.* Christum Dominum in instituenda Eucharistia verba illa protulisse. Atqui Ecclesia semper intellexit, verba illa a Christo prolata formam esse Eucharistiae, sicut ex iis Christi verbis: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* semper intellexit, et docuit, formam baptismi esse, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ait enim Iraeneus *Lib. V. Cap.* 2. *Panis, et vinum percipientia verbum Dei fiunt Eucharistia.* Et Chrysostomus *Hom. II. in Epist. II. ad Tim. Quemadmodum verba, quae loquutus est, eadem sunt, quae Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita et oblatio eadem est.* Et *Hom. de prod. Jud.* relatis iis verbis: *Hoc est corpus meum.* ait: *Hoc verbo proposita consecrantur.* Praeterea Ambrosius *Lib. IV. de Sacramentis Cap.* 4. *Ubi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Quomodo potest quod panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis fit, et cujus sermonibus? Domini Jesu.* Idem docent alii Patres, quos secutus *Eugenius IV.* in *Decreto*, ait: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit Sacramentum.* Liturgiae autem omnes non alia habent Christi verba, nisi illa. *Hoc est Corpus meum etc.* Ergo si Patres docent, consecrari Eucharistiam per verba Christi, profecto verba illa sunt necessaria consecrationis forma.

PRO-

PROPOSITIO II.

Probabilius est, sola illa Christi verba: Hoc est Corpus meum etc. esse formam Eucharistiae.

Prob. I. Patres supra laudati docent, confici Eucharistiam verbis Christi: Atqui sola illa verba sunt verba Christi, non alia, quae profert Sacerdos. Ergo illis solis Eucharistia consecratur. Accedit *Tertulliani* testimonium, qui tamquam apud omnes certissimum ponit, per ea sola verba Christum consecrasse, ait enim *Lib. IV. cont. Marcion. Cap. 40. Acceptum panem . . . corpus suum illum fecit; Hoc est corpus meum dicendo.* Et Eusebius Emissenus *Hom. in Ram. Palmar. Qui dixit tunc per se, modo dicit per suos ministros; Hoc est Corpus meum: et tanta est ejus verbi virtus, et efficacia, ut statim fiat quod dicitur.* Ergo.

Prob. II. Verba Sacramentorum efficiunt quod significant. Atqui ea sola verba significant *transubstantiationem.* Ergo sola eam efficiunt.

Prob. III. Contraria sententia Graecorum, *et Catharini*, licet nulla notata sit censura, semper tamen Ecclesiae displicuit. In Concil. enim Florentino inter alia Graecis objectum est, quod post verba Christi *Hoc est Corpus meum*, adhuc in *Liturgia* peterent mutari panem in Corpus Christi, quasi verba illa non sufficerent ad consecrationem. Nec antea pronunciavit Pontifex: *Fide conjuncti sumus*, quam Graeci huic objectioni *per canonicam responsionem* satisfecissent, respondentes scilicet, ut testatur *Goarius* (nam in Actis Concilii quae fuerit canonica illa responsio non refertur), se non aliud petere, nisi ut Corpus Christi jam praesens prodesset fidelibus, quod etiam Latina Ecclesia post consecrationem petit. In Concilio autem Tridentino multi censebant, *Catharini* sententiam esse damnandam, etsi Concilium id facere noluit, utpote ad Haereticorum errores damnandos coactum, non ad definiendas controversias catholicorum. Ergo cum in duobus hisce Conciliis oecumenicis, quinam fuerit communis catholicorum sensus, satis demonstratum sit; probabilius

lius est, sola illa verba: *Hoc est Corpus meum etc.* ad consecrationem sufficere. Contraria tamen *Scoti*, *Lebrunii*, aliorumque doctrina, quae gravibus etiam est innixa rationibus, nulla censura notari potest.

Diluuntur objectiones.

Objic. I. Apostolus *I. Cor. X.* 16. ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Ergo benedictione, seu oratione conficitur Eucharistia, non verbis illis: *Hoc est Corpus meum etc.*

℟. *Neg. cons.* Apostolus enim non ait benedictione consecrari calicem. Est quidem in tota Liturgia benedictio, oratio, gratiarum actio, unde et nos dicimus: *Calix benedictionis, cui benedicimus*: sed non hinc sequitur, ipsa benedictione Eucharistiam consecrari.

Inst. Patres docent, ipsa benedictione, et precibus Sacerdotum consecrari Eucharistiam. *Ad quorum* (Sacerdotum) *preces Christi Corpus, sanguisque conficitur*, inquit *Hieronymus*. Et Origenes *Hom. XV. in Matth. Sanctificatur*, inquit, *Eucharistia per verbum Dei, et orationem.* Ergo.

℟. *Neg. cons.* Formae enim Sacramentorum, etsi deprecationis modo non proferantur, recte tamen dicuntur orationes; quia cum Sacerdos non agat virtute sua, sed Christi, cujus minister est, in ipsa Sacramenti forma *implicite* continetur oratio, qua Dei virtus invocatur. Hinc forma Baptismi, quamvis indicativo modo proferatur a Latinis, dicitur tamen ab Augustino deprecatio: *Quomodo exaudivit* (Deus) *homicidam deprecantem* ... *super aquam baptismi?*

Objic. II. Veteres Graecorum *Liturgiae*, ut *Basilii*, et *Chrysostomi* post prolata verba: *Hoc est Corpus meum, etc.* habent orationem, qua Spiritus Sanctus invocatur, ut immutet panem in corpus Christi, et vinum in sanguinem. Ergo credidit semper Ecclesia Graeca, per illa sola verba non consecrari Eucharistiam.

℟. *Transeat ant.* Non enim constat, *Liturgiis illis*, quae nomine *Basilii*, et *Chrysostomi* apud Graecos receptae sunt, nihil postea fuisse adjectum. *Neg. cons.* 1. quia Graeci ipsi in Concilio Florentino, postulati a Lati-

tinis, dixerunt, illis orationibus, quas post consecrationem fundit Sacerdos, non peti, ut tunc Corpus Christi, et sanguis fiat, sed ut fiat sumentibus, seu ut fideles unum fiant cum Christo corpus vivum. 2.° Quia solet Ecclesia ad excitandam fidem res praeteritas sistere praesentes fidelium oculis, et mentibus, sicut tempore *Adventus* orat, ut nubes pluant Justum, et terra germinet Salvatorem, quod a multis saeculis jam factum esse novimus; quidni ergo etiam facta panis, et vini *transubstantiatione* postularet, ut Corpus, et Sanguis Christi fiat?

Inst. In Liturgia *S. Basilii* panis, et vinum ante illam orationem, quae post verba Christi profertur, dicuntur *antitypa* corporis, et sanguinis Christi. Atqui Damascenus *Lib. IV de Fide, Cap. 14.* ait, Patres numquam Eucharistiam vocasse *antitypa*. Ergo ante orationem illam nondum Eucharistia consecrata est.

℞. *Dist. mim.* Patres numquam Eucharistiam dixere *antitypa* in sensu *Damasceni*, aliorumque Patrum contra Iconomachos disputantium, hoc est signum vacuum; *conc.* Numquam vocarunt *antitypa* in sensu Catholico, hoc est signum continens rem, quam significat, sicut nunc catholici Eucharistiam dicunt *Sacramentum* corporis, et sanguinis Christi, *neg.* *Nazianzenus* enim ait, *Gorgoniam* procubuisse *ante antitypa*, sive Eucharistiam, quam domi habebat.

Objic. III. Si Eucharistia non conficeretur precibus quae apud Latinos praecedunt, apud Graecos sequuntur verba Christi, falsa esset illa propositio: *Hoc est corpus meum*, sed dicendum esset: *Hoc sit corpus meum.* Pronomen enim *Hoc* rem praesentem significat, sive panem; falsum autem est, panem esse corpus Christi. Ergo verisimilior est sententia Graecorum, scilicet verba illa historico more a Sacerdote pronuntiari, *transubstantiationem* vero perfici per preces, quae in Latina Ecclesia praecedunt; in Graeca vero sequuntur.

℞. *Neg. ant.* In propositionibus enim *practicis*, quae efficiunt quod significant, non est necesse, ut antequam propositio dicatur, res talis sit, qualis pronunciatur, sed sufficit, ut talis sit cum ultima propositionis verba proferuntur. Pronomen autem *Hoc* non significat

pa-

panem, sed confuse quod est in manu Sacerdotis esse corpus Christi; quod verissimum est cum ultima propositionis syllaba pronunciatur.

Objic. IV. Si verbis illis; *Hoc est corpus meum*, non addantur ea, quae in *Liturgia* praecedunt, quaequae indicant, Sacerdotem loqui in persona Christi, jam verba illa non Corpus Christi, sed ipsius Sacerdotis significabunt. Ergo sola non sufficiunt.

℟. *Neg. ant.* Sicut enim verba illa: *Ego te baptizo* ex ipsa loquentis intentione significant non corporis, sed animae ablutionem: ita verba ista: *Hoc est corpus meum*, per circumstantias, et intentionem proferentis Corpus Christi indicant.

Q. I. *Utrum omnia, et singula verba consecrationis ad formae substantiam pertineant.*

℟. Minime. Nam consecratio panis valeret adhuc, si omitteretur particula *Enim*. In consecratione autem vini constaret adhuc sensus formae, si omisso verbo *Calix*, diceretur *Hic est sanguis meus*. Sed controversia est inter Theologos, utrum verba, quae sequuntur: *novi, et aeterni testamenti* usque ad illa *in remissionem peccatorum*; ad formae substantiam pertineant. Thomistae enim affirmant, eamque sententiam Auctores *Catechismi Romani* secuti sunt. Alii verisimilius negant, quia etiam iis omissis, satis verba: *Hic est sanguis meus* explicatur *transubstantiatio* vini in Christi sanguinem. Sed cum non liceat in Sacramentis conficiendis opinionem sequi probabilem, relicta tutiore, ut *Innocentius XI.* definivit, constat, omnia religiosissime proferenda esse verba; imo gravis peccati reus esset Sacerdos, si vel unum verbum etiam ad formae substantiam non pertinens, voluntarie omitteret.

Q. II. *Quid si pro verbo* Hoc *diceretur* istud, *aut* illud, *et pro verbo* Corpus *diceretur* Caro?

℟. *Hoc*, et *istud* eundem habent sensum, ideoque pronomen *istud* formae substantiam non vitiat. *Illud* vero sensum mutat, quia non indicat rem praesentem, sed absentem. Nomen *carnis* secundum multos Theologos formae sensum immutat, quia minus significat caro, quam corpus. Sed cum ipse Christus dixerit: *qui manducat meam carnem etc.* putant alii, valere etiam

for-

formam, si non *corpus*, sed *caro* diceretur. Dubia igitur consecratio esset.

Q. III. *Quomodo verba formae proferenda sint.*

℟. Submissa voce, reverenter, et devote, ut tantum decet mysterium, non tamen separatim, sed ita continuata oratione, ut propositio moraliter censeatur una, nec tanta contentione animi, ut nonnulli faciunt ex nimia anxietate, qui scandalo sunt potius, quam aedificationi fidelium.

Scholion.

Absurda autem illorum opinio, qui asseruerunt, consecrationem panis non perfici, nisi pronunciata etiam tota forma consecrationis vini, facile refellitur; tum quia si res ita se haberet ante vini consecrationem falsa esset forma illa, qua dicitur: *Hoc est corpus meum*; tum quia statim post panis consecrationem Sacerdos hostiam elevat a populo adorandam.

C A P. VI.

De ministro Eucharistiae,

Adv. Cum Eucharistia sacramentum sit permanens potest alius eam consecrare, alius distribuere fidelibus. Hinc isthaec quaestio de Ministro Eucharistiae bipartita est; de ministro scilicet ejus consecrandae, et distribuendae.

§. I.

De ministro Eucharistiae consecrandae.

Adv. Gnostici olim etiam mulierculis Eucharistiae consecrandae potestatem faciebant, teste Irenaeo *Lib. I. Cap.* 13. *Waldenses* cuilibet laico; modo probus sit, jus consecrandi tribuunt, cum contra negent, Sacerdotem improbum *valide* consecrare. Lutherus *Lib. de Capt. Babyl.* omnes Christianos ait habere consecrandi

po-

potestatem, quamvis ea, ob rectum disciplinae ordinem, uti non possit, nisi qui est ad hoc legitime vocatus, excepta necessitatis caussa. Quibus similia tradit Zuinglius *Lib. de ver. et fal. relig.* Ab eo autem errore recedit Calvinus *Lib. IV. Insit. Cap.* 22. ubi a solo pubblico ministro Eucharistiam confici posse docet; sed cum publicus apud Calvinistas minister etiam laicus sit, ejus sententia parum ab errore Lutheranorum abludit. Ceterum Grotius *Lib. de coenae administ. ubi non sunt Pastor.* asserit cum *Luthero*, deficientibus Pastoribus, cuilibet e plebe potestatem a Christo datam consecrandae Eucharistiae. Quem librum *Petavius* fuse confutavit.

PROPOSITIO.

Soli Sacerdotes rite ordinati sunt ministri conficiendae Eucharistiae. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Script. Christus Dominus solos alloquebatur Apostolos, cum Eucharistiam instituens ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo soli Apostoli, eorumque in Sacerdotio successores Eucharistiae consecrandae potestatem a Christo acceperunt, alioquin cum verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, praeceptum contineant, si ad omnes fideles pertinerent, sequeretur, omnes fideles non solum posse, verum etiam debere Eucharistiam conficere, quod nemo sanus dixerit, nec ipsi adversarii concedunt.

Prob. II. ex Traditione, quae verba Christi ita semper intellexit ut nonnisi ad solos sacerdotes potestas consecrandi pertineat. Sic *Tertullianus* inter haereticorum errores recenset, quod laicis sacerdotalia munia concedunt *Lib. de Praescript. Cap.* 41. Et Concilium Nicaenum *Cap. XVIII.* vetat, Diaconos Presbyteris Eucharistiam ministrare, *quod nec canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi*, ac proinde si ipsi Diaconi, qui Sacerdotibus proximi sunt, offerendi, sive consecrandi potestate carent, multo magis ceteri clerici, et laici. Quod et confirmat Hieronymus *cont. Luci-*

ciferian., ubi ait, *Hilarium* diaconum Luciferianum nullam potuisse Ecclesiam colligere, *quia*, inquit, *nec Eucharistiam conficere potest, Episcopos et Prebyteros non habens.* Idem tradunt Basilius *Lib. II. de Bapt. q.* 8. Epiphanius *Haeres.* LXXIX. aliique Patres. Adde his, Diaconos, si quando eo audaciae pervenerunt, ut Eucharistiam consecrare tentarent, ab Ecclesia exauctoratos; ut videri potest apud Duguetum *Dissert.* XXXIX. Hinc merito Tridentinum *Sess. XXII. Cap. I. et can.* 2. *Si quis dixerit*, inquit, *illis verbis Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, ut offerrent Corpus, et Sanguinem suum, anathema sit.* Praeiverat Concil. Lateranense IV. *Can. I.* et Eugenius IV. in *Decreto.*

Objecta Diluuntur.

***Objic.* I.** Etsi Christus Apostolis dixerit *Matt.* XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos*, tamen ad omnes fideles urgente necessitate baptizandi potestas facta est. Ergo pariter, etsi Christus Apostolis dixit. *Hoc facite in meam commemorationem*, non excluduntur tamen ab eo munere, saltem in necessitate, fideles reliqui.

℟. *Neg. cons. et parit.* Traditio enim, verborum Christi interpres, ita semper docuit, baptizandi munus ad omnes fideles in necessitatis causa pertinere, ut contra munus offerendi solis Sacerdotibus commissum esse tenuerit, quique contra fecerint, aut docuerint, eos judicaverit haereticos. Dissimilitudinis autem ratio est 1.° quia Christus sic voluit; 2.° quia non tantae necessitatis est absente Sacerdote consecrari Eucharistiam, quantae necessitatis esse potest absente Sacerdote ministrari baptismum; 3.° quia hoc sacramantum, et sacrificium longe augustius est, quam ut a quovis fideli celebrari possit. Si enim in veteri lege certos homines Deus elegit, per quos sacrificia offerrentur, quae erant umbrae futurorum, multo magis id in nova facere oportuit.

Inst. Quod ait Christus: *Hoc facite etc.* Apostolus *1. Cor.* XI. 26. ad omnes fideles pertinere docet. Recitatis enim illis verbis *Hoc facite in meam commemorationem*, ait. *Quotiescumque ergo manducabitis panem hunc, et calicem bibetis; mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ergo verba illa Christi non sunt ad solos Sacerdotes coarctanda.

℟. *Dist. ant.* Aliquo modo, sumendo scilicet Eucharistiam, *conc.* Omni modo, scilicet consecrando, atque sumendo, *neg.* Cum itaque Eucharistia sit sacrificium, quo victima offertur ipse Christus, et sacramentum, quo victima oblata manducatur; ab omnibus quidem tum offerentibus, tum manducantibus mors Christi annuntiatur, sed modo dispari. Porro Traditio semper docuit, ad solos Sacerdotes pertinere, ut mortem Christi annuntient offerendo simul, et sumendo, ad omnes vero fideles, ut eam sumendo tantum annuntient.

Objic. II Apostolus Petrus I. *Petr.* II. 9. ad omnes fideles ait: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Unde Tertullianus *Lib. De Exhortat. Castit. cap.* 7. *Nonne*, inquit, *et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos, et Sacerdotes Deo, et Patri suo fecit* Apoc. I. 6. *Differentiam inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo, ubi Ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers, et tingis et Sacerdos es tibi solus.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Omnes fideles sunt regale sacerdotium sive Sacerdotes improprie ad offerendum sacrificium improprie dictum, scilicet preces, laudes, gratiarum actiones, *conc.* Sunt Sacerdotes proprie ad offerendum sacrificium proprie dictum, *neg.* Ipse enim *Petrus* explicat, quo sensu omnes fideles Sacerdotes dixerit: *Ipsi*, inquit, *super aedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum ibid. v.* 5. Ipsum vero Eucharistiae sacrificium omnes fideles offerunt, sed per Sacerdotem, cum quo unum corpus morale censentur. Ceterum cum *Petrus* utrumque conjungat, regnum scilicet, et sacerdotium, sicut omnes fideles nonnisi im-

proprie reges dicuntur, ita nonnisi improprie sacerdotes.

Ad *Tertullianum* quod attinet, cum eum librum jam Montanista scripserit contra catholicos, non magni facienda ejus est auctoritas. Unde Hieronymus *Lib. cont. Helvid. De Tertulliano*, inquit, *nihil respondeo, quam Ecclesiae hominem non fuisse* praesertim cum aperte contrarium scripserit *Lib. de Praescriptionibus*. Sed si eum excusare volumus, respondere possumus, omnes fideles aliquo sensu esse Sacerdotes, ad offerendas scilicet hostias spiritales, ex quo tamen male collegit *Tertullianus*, cum soleat undique infirma argumenta corradere in malae causae patrocinium, eandem requiri in Sacerdotibus, et laicis disciplinam. Quo sensu autem dixerit, differentiam inter ordinem, et plebem ex auctoritate Ecclesiae constitutam, alibi expendemus.

Objic. III. Olim Diaconi regendis Ecclesiis, sive Paraeciis praeficiebantur; ut manifestum est tum ex Concilio Eliberino *Can.* LXXVII tum ex Epistola Cypriani *Epist.* XI. Cujus rei etiam hodie vestigium superest; quid enim aliud sunt Cardinales Diaconi, nisi veteres Diaconi Ecclesiis regendis praepositi? Ergo etiam Eucharistiam offerre, et consecrare poterant.

℟. *Neg. cons.* Deficientibus enim presbyteris, praeficiebantur quidem Paraeciis Diaconi, sed ut ea tantum obirent munia, quae Diaconorum erant, scilicet praedicandi, baptizandi, et Eucharistiam a Sacerdote consecratam distribuendi, non vero consecrandi contra universae Ecclesiae traditionem.

Inst. 1.° Concilium Ancyranum *Can.* 2. Diaconis, qui in persecutione lapsi essent, potestatem aufert offerendi. *Diaconi*, inquit, *similiter qui immolaverunt, honorem quidem habeant; cessare vero ab omni sacro ministerio, sive a pane, sive a calice offerendo, vel praedicando debent.* Habebant ergo offerendi jus, et potestatem, ac proinde consecrandi Eucharistiam.

℟. *Dist. ant.* Concilium Ancyranum Diaconis lapsis potestatem aufert offerendi panem, et vinum Sacerdoti celebranti, et Eucharistiam fidelibus, quo sensu *Cyprianus* ait, Diaconum calicem *praesentibus offerre* (*Tract. de Lapsis*) *conc.* Offerendi sacrificium, *neg.* Cum ergo Dia-

Diaconorum esset accipere populi oblationes, ex iis materiam ad Eucharistiam seligere, et simul cum Sacerdote orationem illam fundere, quae in offerendo calice hodie etiam fit, ab ea potestate diaconos lapsos prohibuit Concilium Ancyranum.

Inst. 2.° Sanctus *Laurentius* Diaconus videns *Sixtum* pontificem ad martyrium duci, sic eum allocutus est, teste Ambrosio *Lib. I. de Offic. cap.* 41. *Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis Consecrationem. Cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas?* Ergo etiam Eucharistiae consecratio ad Diaconos pertinebat.

R. Neg. cons. Consecratio enim *Dominici sanguinis* apud veteres aliquando usurpatur sensu *concreto* pro sanguine Domini consecrato, quod et hodie in usu est in Latina Liturgia, in qua particulam hostiae in calicem immittens Sacerdos dicit: *Haec commixtio, et consecratio Corporis, et Sanguinis Domini*. Vide PP. Benedictinos in hunc *Ambrosii* locum. Adde, alias editiones *Ambrosii* habere: *Cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem*, quae lectio totum destruit argumentum.

§. II.

De ministro Eucharistiae distribuendae.

Adv. Eucharistiae jam consecratae minister vel ordinarius est, vel extraordinarius.

PROPOSITIO I.

Ordinarius Eucharistiae distribuendae minister divino jure est Sacerdos.

Prob. Iis verbis, quibus Christus Eucharistiam consecrandi potestatem dedit Apostolis; etiam dispensandi potestatem dedit. Dicens enim: *Hoc facite*, praecepit, ut facerent quod ipse fecit, ipse autem non solum Eucharistiam consecravit, sed et Apostolis distribuit.

buit. Ergo Concilium Tridentinum *Sess. XIII. Cap. 8.* rectissime docet: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos tamquam ex Apostolica traditione descendens, jure, ac merito retineri debet*: ac proinde haec ordinaria Sacerdotum potestas a divino jure proficiscitur, et ad fidem pertinet.

Scholion.

Sacerdotes autem, quibus Eucharistiae dispensandae jus est, sunt primo Pastores animarum, quibus Sacramentorum administratio commissa est; imo ipsi Eucharistiam dispensare petentibus, praesertim aegrotantibus, tenentur. Nec alii, nisi ex eorum venia, viaticum infirmis deferre valent; et si id *Regulares* attentaverint, excommunicationem *latae sententiae* incurrunt ex *Clementina Religiosi. De Privileg.* nisi forte absint, aut injuste renuant Pastores. Deinde Eucharistiam dispensare possunt omnes Sacerdotes celebrantes; optat enim Ecclesia, ait Tridentinum *Sess.* XXII. *Cap.* 8. ut singulis missis adstantes fideles communicent, exceptis iis, qui in Oratoriis privatis ex privilegio celebrant. in quibus conditiones privilegii servandae sunt. Utrum autem teneatur Sacerdos celebrans, qui curam animarum non habet, Eucharistiam postulantibus dispensare, disputatum est inter Theologos. Et verosimilior est affirmans sententia, tum quia omnes qui sacrificio adsunt, jus habent, ut ex eo participes fiant, tum quia scandalo esse solet populo denegata a Sacerdote communio.

PROPOSITIO II.

Extraordinarii Eucharistiae dispensandae ministri sunt Diaconi.

Prob. ex praxi Ecclesiae tum orientalis, tum occidentalis. De Ecclesia orientali testis est Justinus *Apol. II. Qui apud nos, inquit Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt, panem, et vinum, et aquam*; De occidentali Cyprianus *Lib. de Lapsis*: *Ubi vero sollem-*

lemnibus adimpletis, *calicem Diaconus offerre praesentibus coepit.* Idem omnes veteres Patres, et canones testantur. Sic Concil. Carthaginiense IV. *Diaconus*, inquit, *praesente presbytero*, *Eucharistiam Corporis Christi*, *si necessitas cogat*, *jussus eroget.* Ex quibus vides, non sine gravi aliqua necessitate posse Diaconis Eucharistiae dispensationem mandari, imo in nonnullis Ecclesiis Episcopi venia petenda est. Ceterum, ut concedit *Habert.*, necessitas tanta esse potest, ut non expectato Episcopi, vel Presbyteri jussu, possit diaconus Eucharistiam ministrare, ut si viaticum moribundo ministrari debeat, ita absente Episcopo, atque Presbytero, ut adiri nulla ratione possint.

PROPOSITIO III.

Clerici minores numquam Eucharistiam in Ecclesia minisrarunt. Illam tamen ad absentes, *deficiente diacono*, *aliquando detulerunt.*

Prob. 1a. *pars.* Quia nulla suppetunt vetustatis exempla, quibus a minoribus clericis aliquando in Ecclesia Eucharistia ministrata sit. Imo quando Subdiaconi id tentarunt, in ordinem redacti sunt, ut constat ex Concil. Laodiceno *Can.* 25.

Prob. 2a. *pars.* ex Actis passionis S. *Tarsicii* Acolythi, quem constat a Paganis occisum, dum Eucharistiam ad absentes deferret. *Vide. Rom. Martyrol. die XV. Augusti.* Idem constat ex Epistola *Innocentii. I.* Singularis vero est historia *Serapionis* apud Eusebium *Lib. VI. Histor. Cap.* 34. Cum enim ille senex, nondum expleto poenitentiae tempore, morti proximus misisset ad Presbyterum, rogans, ut ei viaticum deferret, Presbyter prae morbo accedere non valens, puero Eucharistiam dedit, qui domi madefactam in os senis infudit.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Etsi olim laici Eucharistiam a Sacerdote acceptam domum deferrent, ibique seipsi communicarent; hodie tamen soli Sacerdoti celebranti seipsum communicare licet.

Prob. 1a. pars. Quod laici olim Eucharistiam in manu acciperent, ibique seipsos in Ecclesia communicarent, patet tum ex Basilio, qui *Epist. ad Caesariam* ait: *Sacerdos partem porrigit, quam qui suscipit, cum omni potestate retinet, et ori admovet propria manu:* tum ex Cyrillo Hierosolym. *Cath. V. Myst.* Ambrosio *ap. Theodoretum Lib. V. Cap* 18. aliisque; nisi quod viri nuda manu, mulieres in mundo linteamine, quod *Dominicale* dicibatur, Eucharistiam suscipiebant. Quod autem illam domum deferrent, ibique seipsos communicarent, manifestum est ex Tertulliano *Lib. ad uxor.* Cypriano *Lib. de Lapsis*, Ambrosio *Lib. de excessu Satyri*, Nazianzeno *Hom. XI.* aliisque veteribus.

Prob. 2a. pars. Concilium Caesaraugustanum *Can.* 3. et Toletanum I. *Can.* 14. vetant, laicos Eucharistiam manu acceptam deferre domum; idque etiam ex universali Ecclesiae occidentalis consuetudine receptum est. Apud Graecos enim viget etiam hodie apud nonnullos mos antiquus, qua de re videre potes Arcudium *Lib.* III. *De Eucharist.* Posset autem hoc privilegium rationabili ex causa summus Pontifex concedere laico, sicut *Mariae* Scotorum Reginae, dum in carcere detineretur, a Pio V. concessum esse, legimus. Quod autem Sacerdoti celebranti seipsum communicare liceat, probatur tum ex definitione Tridentini *Sess.* XIII. *can.* 10. *Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit*; tum exemplo Christi, qui seipsum communicavit, ut Patres docent: tum denique ex perpetua Ecclesiae consuetudine, et praxi ab Apostolis derivata.

Diximus autem *Sacerdoti celebranti* Nam Sacerdotem non celebrantem ab alio Sacerdote Eucharistiam accipere, consuetudo est Ecclesiae. Ceterum si non adsit,

nisi Diaconus, posse Sacerdotem aegrotantem seipsum communicare, recte docent Durandus *in IV. Distin. XIV. q.* 4. Suarez 3. *P. Q. XXXII.* §. 3.

C A P. VII.

De Subjecto Eucharistiae, et dispositionibus in ea necessariis.

Adv. Expendendum modo est, quibusnam Eucharistia dari possit, aut debeat. Quaestio autem esse potest de infidelibus, seu nondum baptizatis, de infantibus, amentibus, energumenis, peccatoribus, et ultimo supplicio damnatis. Deinde quaenam ad accipiendam Eucharistiam dispositio requiratur.

P R O P O S I T I O I.

Subjectum Eucharistiae suscipiendae capax est homo baptizatus, viator, compos rationis.

Prob. 1a. pars. Baptismus est omnium Sacramentorum janua; qui enim corpori Christi mystico, quod est Ecclesia, conjunctus non est per baptismum, ad recipienda alia sacramenta jus nullum habet. Ergo.

Prob. 2a. pars. Corpus Christi in Eucharistia per modum cibi, ac potus praebetur; *Accipite, et comedite; Accipite, et bibite*, ait Christus Eucharistiam instituens. Atqui hujusmodi actus soli capaces sunt homines viatores; unde in Concilio Carthaginiensi III. *Can.* 6. et Trullano *Can.* 83. damnatus est ille mos, qui apud nonnullos ex devotione, non secundum scientiam, invaluerat, immittendi scilicet Eucharistiam in ora defunctorum quo nihil est a Christi institutione magis alienum. Vide de eo more Albaspinaeum *Lib. I. Observat.* Cabassutium *Dissert. V. ad II. Saec.* Ergo etc. Priores hae duae prop. partes ad fidem pertinent.

Prob. 3a. pars. Rationis compotes non sunt infantes, amentes, energumeni. 1.° Infantibus quidem olim apud La-

Latinos Eucharistia dabatur statim post baptismum, et confirmationem, quod et nunc apud Graecos viget, ut constat ex Libris Graecorum ritualibus. Vide Arcudium *Lib.* III. *de Sacr. Euchar, Cap.* 40. Sed apud Latinos mos iste exolevit Saeculo XII. unde S. Thomas 3. *P. Q.* LXXX. *art.* 9 ait, infantibus non esse dandam Eucharistiam. Quae quidem hodierna Latinae Ecclesiae consuetudo a Concil. Tridentino confirmata, et sancita est *Sess.* XXI. *Cap.* 4. ad majorem sacramenti reverentiam, tepescente fidelium charitate, et fide.

2.° Amentes a nativitate, qui nulla habent *lucida* rationis *intervalla*, ab infantibus non differunt, ideoque Eucharistia illis danda non est. Si vero lucida aliqua habent intervalla rationis, possunt in iis Eucharistia refici. Quod si quando compotes rationis erant, Eucharistiam petierint; deinde in morbum, et amentiam lapsi morti videantur proximi, possunt viaticum accipere, nisi forte periculum *vomitus*, *aut expuitionis* timeatur ut ait S. Thomas 3. *P. Q.* LXXX. *art.* 9. Idque etiam Concilium Carthaginiense IV. *Can.* 76. statuit.

3.° Energumeni a communione, imo et ab ipsa missa fidelium cum catechumenis, et poenitentibus arcebantur, ut constat ex Canonibus Apostolicis *can.* 78. et ex *Lib. Constit. Apost. Lib.* VIII. *Cap.* 7. Ceterum, ipsis in mortis articulo viaticum dari concedit Concil. Eliberitanum *can.* 37. Imo si lucida, et quieta habent intervalla, in iis Eucharistiam etiam extra mortis periculum suscipere eos posse, docet idem S. Thomas *cit. Q.* LXXX. *art.* 9. Ergo.

Dices. Ecclesia per duodecim priora saecula, in quibus tot, tantique floruere Patres doctrina, et sanctitate nobilissimi, non putavit indecorum, sed maxime pium, et utile dare parvulis Eucharistiam. Atqui ab surdum est dicere, nos veteres illos sanctitate, et reverentia erga Sacramentum superare. Ergo merito Graeci Latinos arguunt, quod veterem Ecclesiae morem hac in parte immutaverint.

R. *Dist. maj.* Ecclesia non putavit olim indecorum dare parvulis Eucharistiam, spectata ejus temporis pietate, et disciplina, *conc.* Spectata posteriorum saeculorum infirmitate, et disciplina, *neg.* Primo enim tanta

ta erat primis saeculis fidelium interior pietas, et charitas erga Sacramentum, ut etiam ex aliquo exterioris reverentiae defectu nihil detrimenti acciperet. At posterioribus saeculis frigescente fidelium pietate, ac fide, aliter statuendum erat. Deinde dabatur tunc laicis Eucharistia etiam sub specie vini, ideoque facile erat eam infantibus praebere, infundendo eorum ori vel unam vini guttam, quam naturaliter deglutiebant, At ex quo laicis Eucharistia sub una specie panis dari coepit cum id difficilius fieri posset erga infantes, sponte sua mos exolevit dandi illis Eucharistiam, quae cum non sit parvulis necessaria *necessitate medii* ad salutem, immerito Graeci hac de causa Latinam Ecclesiam calumniantur, cum disciplina variare possit.

Scholion.

Utrum pueris jam septennibus viaticum dari possit, aut debeat, Theologi disputant. In affirmantem potius cum *Colleto* inclinarem sententiam, nisi lex obstet, aut fixa consuetudo. Muti autem, et surdi a nativitate, si peccata vitare studeant, et poenitentiae, ac devotionis signa praeferant, Eucharistiam accipere possunt. Quod si de eorum dispositionibus dubitetur, Episcopum consulere satius est. Semifatuos vero, urgente praecepto, et in mortis articulo, Eucharistia fraudari non oportet, ut ex S. Thoma monet *Colletus Tom. V.*

PROPOSITIO II.

Peccatori publico petenti Eucharistia neganda est, occulto vero publice petenti concedenda, privatim petenti deneganda, nisi forte peccatum ex Sacramentali confessione sciatur.

Prob. 1*a. pars* 1.° Quia ipse Christus Apostolis praecepit *Matth. VII. 6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* 2.° quia peccato alterius *cooperari* non licet. Hinc gravissima illa Chrysostomi sententia ad Eucharistiae ministros *Hom. LXXXIII. in Matth. Non parva vobis imminet ultio; si*

si quemquam ullius culpae conscium, hujus mensae participem esse concedatis. Sanguis ejus de manibus vestris exquiretur. Sive quis dux militiae sit, sive praefectus, sive princeps diademate coronatus, indigne ne accipiat, prohibe. Majorem illo potestatem habes. Hoc vestra securitas est, hoc omnis corona. Hinc publici usurarii, histriones, concubinarii, meretrices ab Eucharistia arcendi sunt.

Prob. 2a. pars. 1.° Quia ipse Christus Judae occulto proditori Eucharistiam praebuit, ut fere omnes tradunt Patres. 2.° quia ita semper Ecclesia egit, et docuit, ut testatur Augustinus *Hom. L. inter L. 3.°* quia non licet occultum peccatorem prodere, atque infamia aspergere. 4.° quia innumera inde sequerentur scandala.

Prob. 3a. pars. Quia peccator nullum jus habet ad Eucharistiam accipiendam; privatim autem, et sine teste petens, nullum subit infamiae periculum ex repulsa.

Prob. 4a. pars. Quae Sacerdos ex Sacramentali confessione novit, ea ita habenda sunt in omnibus vitae actibus, tamquam si ignorarentur omnino, ut suo loco dicemus. Non desunt tamen magni nominis Theologi, (*a*) qui etiam in ea specie, si nullus adsit testis, negari Eucharistiam posse, docent. Certe si peccator cui Sacerdos absolutionem negavit, videatur ex simplicitate, ac rusticitate potius, quam ex malitia communionem privatim, et sine teste petere, verisimilius est, posse Sacerdotem cum a tanto sacrilegio deterrere, saltem interrogando, utrum in confessione absolutus fuerit (*b*).

IV.

(a) S. Thomas *in IV. dist. IX. q. un. art. 5. q. 15.* Bonaventura, Durandus, S. Antoninus, Petrocorensis, Vasque, Halensis Paludanus, Hadrianus Sambovius, Natalis Alexander, et alii.

(b) Hac ratione Lud. Habert *Tom. V.* (quem nemo hactenus laxioris, impiae, aut minus sanae moralis auctorem doctrinae accusavit) S. Thomae, aliorumque, quos in superiori nota laudavi, sententiam temperat: ita ut valde miratus sim, quod mihi a nonnullis significatum est, hanc doctrinam aliquibus novam videri potuisse,

Q. I *Quinam publicus censendus sit peccator.*

℟. Peccator censetur publicus vel *jure*, vel *facto*. Jure quidem, si in judicio crimen confessus, vel damnatus sit. Facto vero, cum tanta est criminis evidentia, atque in vulgus diffamatio, ut nulla jam tergiversatione celari possit, aut excusari.

Q. II. *Quid de damnatis ultimo supplicio?*

℟. In Galliis quidem olim iis negabatur, et absolutio, et communio. Postea ex Edicto *Caroli VI.* anno 1376. absolutio quidem conceditur, at Eucharistia negatur, sicut et in Hispania. Vide Morinum *Lib. X. de Poeniten. Cap. I.* Sotum *in IV. Dist. XII. Q.* 2. In Italia vero utrumque eis sacramentum ministratur, Poenitentiae scilicet, et Eucharistiae, quod et S. Carolus in Concilio V. Mediol. *Constit. Part. I.* §. 9. servandum statuit. Unusquisque morem Ecclesiae suae sequatur.

PROPOSITIO III.

Dispositiones in subjecto necessariae ad suscipiendam utiliter Eucharistiam sunt, in anima quidem status gratiae sanctificantis, immunitas ab affectu venialium peccatorum, et devotio: in corpore jejunium a media nocte, et puritas.

Prob. I. generatim. Sacramentum Eucharistiae institutum est per modum cibi, et potus, ut significetur, esse illud spirituale animae alimentum, sicut cibus materialis est alimentum corporis. Ergo sicut ad sumendum utiliter cibum requiritur 1.° ut corpus sit vivum, 2.° ut sit sanum. 3.° ut cibum appetat, 4.° ut non comedat more belluarum, sed ut hominem decet; ita ad accipiendam utiliter Eucharistiam necesse est, ut anima vivat per gratiam sanctificantem; ut immunis sit saltem ab affectu venialium peccatorum, quae sunt ut

---

quae tot insignes tum ex benignioris, ut aiunt, tum ex sanioris Ethicae auctoribus, patronos habet. Si cui tamen hoc etiam ipsum displicet, petat is a poenitente in hac causa loquendi veniam.

ut spirituales animae morbi: ut devote, et reverenter suscipiat, denique ut etiam corpore ita se habeat, ut decet corporis Christi puritatem.

Prob. II. singillatim 1a. *pars*, quae est dogma fidei definitum a Tridentino contra Novatores, asserentes, solam fidem, etiam cum conscientia peccati mortalis, satis esse ad accipiendam Eucharistiam. Apostolus *I. Cor. XI.* 28. *Probet autem*, inquit, *seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit, non dijudicans corpus Domini*, Quae verba Tridentinum expendens, ait *Sess. XIII. Cap. 7. Diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, et sanctitate ad id percipiendum accedat, praesertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit. Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus praeceptum: Probet seipsum homo Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod a Christianis omnibus haec S. Synodus servandum esse decrevit.* De Sacerdote autem peccati conscio, quem celebrandi necessitas urgeat, statuit, ut si copia Sacerdotis desit, a quo absolvi possit, elicito primum contritionis actu, et peracto sacrificio *quamprimum confiteatur*, hoc est, non *quando suo tempore confitebitur*, sed quamprimum poterit, ut declaravit *Alexander VII.* contrariam damnans doctrinam. Porro verba illa Apostoli *judicium sibi manducat, et bibit*, gravissimum indicant sacrilegium. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* Etsi peccata venialia Eucharistiae fructum non impediunt, imo per ipsam Eucharistiam, ut infra dicemus, delentur: affectus tamen ad illa peccata non exiguus est erga sacramentum reverentiae defectus; cum enim minuat charitatem, atque animum creaturarum amore illectum a Deo avocet, contrarius utique est immensae charitati, quam Christus in Eucharistia exhibet. Quapropter licet multi contra *S. Bo-*

naventuram, *Alensem*, *S. Antoninum*, aliosque gravissimos Theologos contendant, affectum ad peccata venialia non omnem omnino impedire Eucharistiae fructum, certum tamen est, illum maxima ex parte minuere. Hinc Gregorius *in Lib. I. Reg. Sap.* 1 *Non saturantur*, inquit, *nisi famelici, qui a vitiis perfecte jejunantes divina sacramenta percipiunt . . . . et quia sine peccato electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi ut a peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, evacuari quotidie conentur . . . hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait: Probet seipsum homo.* Similia docent alii Patres.

Prob. 3a. pars. Quia in hoc Sacramento, inquit S. Bonaventura *Tract. de Praep. ad Miss. praesens est divina majestas, debet recipi cum honore, hoc est attente, atque devote.* Et *Breviloq. Part. VI. Cap.* 9. *Quod aliquis digne accedat, oportet, quod spiritualiter comedat, et ut sic Christum per recordationem fidei masticet, et per devotionem amoris suscipiat. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote, et inconsiderate accedit, judicium sibi manducat, et bibit.* Dixerat etiam Chrysostomus *Hom. LXX. Nemo accedat cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes, et excitati.* Ergo.

Prob. 4a. pars. Ecclesia semper, et ubique jejunium naturale a praecedenti media nocte, ut necessariam communicandi dispositionem praecepit. Unde Augustinus *Epist. CXVIII. ad Jan. Placuit*, inquit, *Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam reliqui cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* Quem morem ab ipso Apostolo institutum putat, qui *I. Cor. XI.* 34. de Eucharistiae usu loquens, ait: *Cetera cum venero disponam.* Licet enim Christus post coenam Eucharistiam instituerit, tamen prudentiae Ecclesiae reliquit, ut hanc circumstantiam, irrepente abusu, qui certe sub ipsis Apostolorum temporibus inceperat, immutaret. Hanc autem jejunii legem concilia variis saeculis agnoverunt, et confirmarunt; ut Carthaginiense III. *can.* 1. Toletanum VII. *can.* 2. etc.

Prob.

Prob. 5a. pars. Tum quia puritas corporis a nocturna pollutione, etiam sine culpa, maxime puritatem corporis Christi decet, tum quia plerumque ea corporis impuritas mentem etiam obnubilat, ac devotionem tertio loco requisitam perturbat. Vide Basilium *Reg. brev. ad interrog.* 309. Cassianum *collat.* XXII. *Cap.* 4. Excipiendum tamen est ex S. Thoma 3. *P. Q. LXXX. art.* 7. si ex circumstantiis prudenter judicetur, ex diaboli fraude accidisse, ut hominem a communione revocaret.

Nunc nonnullae expediendae quaestiones circa ea, quae in propositione dicta sunt.

Q. I. *Utrum qui mox in grave peccatum lapsus est, possit statim a Confessione Sacramentali ad Eucharistiam accedere.*

℟. 1.° Expendendum imprimis, utrum ille ad absolutionem sacramentalem sit dispositus, qua de re in Tractatu de Poenitentia disserendum.

℟. 2.° Quamvis ille ad absolutionem rite dispositus credatur, imo et absolutus sit; tamen plerumque non expedit, eum ad Corpus Domini sumendum mox a confessione accedere; quia saepe, etsi quis remissionem peccati consecutus est, remanet tamen quaedam mentis hebetudo, praesertim in venereis, quae devotionem impedit, ligat animi affectus, ne ad res divinas assurgant. Hinc S. Thomas *in IV. Distin. IX. art.* 4. *q.* 1. *Non est consulendum*, inquit, *alicui, quod statim post peccatum mortale, etiam contritus, et confessus ad Eucharistiam accederet; sed deberet, nisi magna necessitas urgeret, per aliquod tempus propter reverentiam abstinere.* Quae doctrina Sanctorum Patrum praeceptis consentanea est (a).

Q. II. *Utrum expediat aliquando, ob venialia peccata, etiam sine affectu ad illa, Communionem differre.*

℟. Id aliquando utile esse, exempla Sanctorum nos edocent, qui aliquando leves etiam maculas prius poenitentia, et pietatis operibus eluere sategerunt, quam

(a) Tractat haec fusius Arnaldus in Opere *Della frequente communion.* In quo quidem multa sunt erudita, sed caute legendum est.

communionem acciperent, ut scilicet puriores ad Sacramentum accederent, ut videre est apud Palladium *Vit. Chrysos.* Bernardum *Vit. S. Malach.* aliosque. Sed aliquando id non expedit in iis, quos prudenter judicamus, hoc spirituali cibo indigere, vel quos nimia animi anxietas, et scrupulosa conscientia perturbat, ac dejicit.

Q. III. *Quandonam deesse censeatur copia Sacerdotis, ut quis, sola contritione praemissa, celebrare, vel comunicare valeat.*

℟. Deest, vel quando omnino adiri non potest Sacerdos habens jurisdictionem, etiam in peccatum, cujus poenitens conscius est, si forte sit reservatum; vel quando non potest sine incommodo valde gravi, quod quantum esse debeat, generatim definiri nequit, sed viro prudenti, spectatis omnibus circumstantiis, definiendum est.

Q. IV. *Quaenam censeri debeat celebrandi, vel communicandi justa necessitas.*

℟. Omissis caussis illis levioribus, quas molliorîs Ethicae magistri pro gravibus venditant, Tridentinum *urgentem necessitatem* requirit, qualis censetur esse 1.° instans mortis periculum, puta si viaticum moribundo sit deferendum, aut ipse Sacerdos, nisi celebret occidendus sit, modo id non fiat in religionis contemtum. 2.° Scandalum, vel infamia certo subeunda, si a celebrando, vel communicando abstineas. Statuit autem Rubrica Missalis *Tit. VIII. de defect. disp. an. Si ante consecrationem Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, vel excomunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, et non timeatur scandalum, debet missam inceptam deserere.* Hoc tamen scandalum semper, aut fere semper timendum est, praesertim si Sacerdos publice celebret, et adsint aliqui sacro.

Q. V. *Quid agendum, si quis ante communionem recordetur peccati, cujus sine culpa in sacramentali confessione oblitus est.*

℟ Etsi magna Theologorum pars censeat, eum communicare, aut celebrare non posse, nisi peccatum illud prius confiteatur; verosimilior tamen est eorum opinio, qui putant, eum communicare posse, vel celebra-

brare; cum justificatus jam sit et peccatum postea suo tempore confiteri; nisi forte tale sit peccatum, quod si confessus fuisset, negata ei fuisset absolutio. Vide Collet *Tom. V.*

Q. VI. *Quali, et quarum rerum sumtione solvitur naturale jejunium Eucharistiae praemittendum.*

℟. Quidquid in stomacho naturaliter mutari potest, in quantulacumque parte sumatur per actionem, quae vera sit comestio, aut potatio, jejunium illud solvit, ut omnes docent Theologi, ideoque quod quis per modum salivae, aut respirationis non deliberate deglutierit, a communione non impedit. Vide Pontas *Diction. Cas. Consc.* Collet *ibidem*, aliosque (* Utrum autem quod in stomacho naturaliter mutari non potest, sumitur autem, ac deglutitur modo cibi aut potus, naturale illud jejunium solvat, atque Eucharistiae sumtionem impediat, quaestio est inter Theologos. Vide *Sylvium in 3. P. Q. LXXX. art. 8.* *)

Q. VII. *An possit aliquando Eucharistia sumi ab eo qui jejunus non est.*

℟. Sumi posse 1.° a moribundo per modum viatici. 2.° cum Sacerdos, inchoata Missa, se non esse jejunum recordatur, nec sine scandalo potest recedere. 3.° Cum peracta consecratione, non potest Sacerdos ulterius prosequi, tunc enim, deficiente Sacerdote jejuno, absolvi Missa, et sumi Eucharistia potest a Sacerdote non jejuno 4.° Cum Sacerdos post calicis sumtionem advertit non vinum, sed aquam, aut aliam materiam consecrationi ineptam fuisse calici infusam, debet apta materia consecrari ad perfectionem Eucharistiae, et sumi, quamvis Sacerdos jam ex sumtione aquae non sit jejunus. 4.° Cum post sumptionem ablutionis calicis observantur fragmenta quaedam hostiae in *corporali*, vel *patena*. 6.° Cum periculum est, ne hostia pereat, aut ab infidelibus indigne tractetur. Haec apud omnes Theologos explorata sunt.

CA-

CAP. VIII.

De usu Eucharistiae.

Adv. I. Tria hic in controversiam veniunt 1.° utrum Eucharistia omnibus sit necessaria *necessitate medii* ad salutem; 2.° utrum necessitate praecepti; 3.° utrum necessario sub utraque specie panis, et vini sumenda sit.

II. Quod ad primum attinet, Graeci nonnulli, ut *Simeon Thessalonicensis*, *Nicolaus Cabasilas*, aliique apud Arcudium *Lib. III. De Sacr. Euchar. Cap.* 40 contendunt, Eucharistiam omnibus, etiam parvulis, ad salutem esse necessariam: atque hanc fuisse veterum pene omnium, praesertim *Augustini* sententiam, *Aubertinus*, *Dallaeus*, aliique docent; quibus aliquo pacto adhaeret Maldonatus *Comment. in Cap. VI. Joan.* Ex catholicis nonnulli putant, Eucharistiam neque in re, neque in voto esse necessariam *necessitate medii*, alii vero docent, illam necessariam esse in voto, saltem implicito in ipsa baptismi susceptione.

III. Quoad alterum vero, expendendum est, utrum extet divinum sumendae Eucharistiae praeceptum; utrum praeceptum ecclesiasticum; et quam frequens esse debeat communio.

IV. Denique quod ad tertium caput attinet, primi omnium *Petrus Dresdensis*, et *Jacobellus Misnensis* saeculo XIV. docere, et praedicare coeperunt, calicis usum omnibus a Christo praeceptum esse, quos secutus *Joannes Hus*, et *Bohemi* Germaniam diro Schismate, bello, caedibus vexarunt. *Carlostadius* Lutheranis proprio marte communionem sub utraque specie laicis restituit. *Lutherus* primo id tamquam non necessarium neglexit, deinde tum ipse, tum *Calvinus*, et Novatores omnes calicis usum ita ex praecepto divino necessarium docent, ut Ecclesiam Catholicam vehementer errasse calumnientur, eo quod dimidiatum, ut ipsi dicunt, Sacramentum Laicis ministret. In Concilio Tridentino, postulantibus Imperatoris, et *Ludoci* Galliarum Regis oratoribus, ut calicis usus Laicis re-

stitueretur, constanter respondere Patres, reservandum Summo Pontifici, ut si ei videretur, alicui Regno, aut Provinciae usum calicis concederet. At cum id *Pius IV.* quibusdam Germaniae populis, rogante Imperatore *Ferdinando*, indulsisset, experientia compertum est, id non expedire; quapropter privilegium illud *Pius V.* revocare coactus est. Vide de his Pallavicinum *Lib. XXIV. Histor. Cap.* 12.

V. Illud etiam inter Theologos disputatum est, utrum plus gratiae accipiat qui Eucharistiam sub duabus, quam qui sub una specie accipit. Affirmarunt in Tridentina Synodo *Melchior Canus*, aliique Theologi, quibus etiam *Vasquez, Lugo*, et alii adhaeserunt. At communis hodie Theologorum sententia negat. Vide Suarez *Disp. LXIII. sect.* 6.

PROPOSITIO I.

Eucharistia actu sumta, non est necessaria necessitate medii ad salutem. Est dogma fidei.

Prob. Illud, sine quo salus obtineri potest, non est necessarium *necessitate medii.* Atqui sine Eucharistia *actu* sumta, potest salus per solum baptismum obtineri. Ait enim Apostolus *Rom. VIII.* 1. de baptizatis: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; et *Galat. III.* 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*; et Tit. III. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Unde Patres Graeci pariter, ac Latini docent, solo baptismate omnia ablui peccata, ac proinde hominem salvum fieri. Sic *Augustinus*, quem praecipue patronum laudant adversarii *Lib. I. de pec. merit. Cap.* 19. *Si percepto*, inquit, *baptismate de hac vita migraverit* (infans) *soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum, justificatum praesentia creatoris illuminat.* Merito igitur Tridentinum *Sess. XXI. can.* 4. *Si quis*, inquit, *dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.*

Dices. Sicut illa Christi verba *Joan III.* 5. *Nisi quis* re-

renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei: nec non illa Luc. XIII. 3. Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis probant, baptismum esse necessarium necessitate medii, sicut et poenitentiam; ita et illa Joan. VI. 54. Nisi manducaveritis carnem filii hominis . . . . non habebitis vitam in vobis, probant, Eucharistiam necessariam esse necessitate medii. Ergo.

℟. Neg ant. et parit. 1.° Quia verba illa Nisi manducaveritis dicta sunt adultis praecepti capacibus; illa vero: Nisi quis renatus fuerit, generatim prolata, neminem excipiunt, sicut et ista: Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis, omnes peccatores sine ulla exceptione comprehendunt. 2.° Quia ipsa diversa materia diversam interpretationem requirit; in baptismo enim, et poenitentia agitur de prima gratia accipienda; in Eucharistia vero de secunda gratia, sive gratiae augmento. Non potest autem quis salvus fieri sine prima gratia, qua a peccatis solvatur, sed potest salvus esse jam renatus, licet gratiae augmentum nondum acceperit.

Inst. Patres ex illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, etc. ejusdem necessitatis esse volunt baptismum, et Eucharistiam. Sic Augustinus *Lib. I. cont. Julian. Cap.* 4. laudat *Innocentium I.* qui in Epistola ad Patres Concilii Milevitani definierat, parvulos ipsos, nisi manducaverint Corpus Christi, salvos esse non posse. *Sancto*, inquit, *Innocentio vide quid respondeas . . . . qui parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse*; quam sententiam *Gelasius* etiam *Epist. VII. ad Episc. per Picenum* confirmat his verbis: *Ipse Dominus Jesus Christus coelesti voce pronunciat: qui non manducaverit carnem filii hominis etc. ubi neminem utique videmus exceptum, nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc sacramento salutari ad vitam aeternam posse perduci* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Patres docuerunt, non minus quam baptismum necessariam esse Eucharistiam *spiritualiter* sumtam, seu in voto, quod in ipsa susceptione baptismi implicitum est, *conc.* Reipsa, et ore manducatam,

 neg

neg. Cum Eucharistia perfectam conjunctionem cum Christo capite, et corpore ejus, quod est Ecclesia significet, et efficiat; haec profecto conjunctio ad salutem necessaria est. Qui autem baptizatur, jam Christi, ejusque corporis membrum efficitur, et quamvis *actu* Eucharistiam non sumserit, quae conjunctionem illam perfectiorem reddit, tamen vel eo ipso, quod baptismum suscipit, jam ad eam sumtionem ordinatur, eamque *implicite* desiderat, vel propria voluntate, si adultus est, vel voluntate Ecclesiae, si parvulus. *Ex hoc ipso quod pueri baptizantur*, inquit S. Thomas 3. *sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam, et per consequens recipiunt rem ipsius.* Hanc esse *Augustini* doctrinam *Fulgentius* exponit (*Epist. ad Ferrandum*) his verbis: *Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari doctoris Augustini sermone firmatam, nec quidquam aliquatenus esse ambigendum, tunc unumquemque fidelium participem corporis, et sanguinis Christi fieri, quando in Baptismate membrum Corporis Christi efficitur, nec alienari ab illo panis consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus discedat.* Quod probat *Fulgentius* ex ipso Augustino *Ser. CCLXXII. al. XVI. de Divers.* et *Tract. XXVI. in Joan. Hoc est ergo*, inquit, *manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere.* Idem ergo de *Innocentio*, *Gelasio*, aliisque veteribus sentiendum est. Neque vero umquam *Augustinus*, aut alii asseruerunt, parvulos, si post baptismum ante acceptam Eucharistiam obierint, damnari, imo constanter affirmant, parvulos statim post baptismum decedentes salvos fieri *V. Lib. de Dono persev. Cap.* 12. Sed cum Pelagiani distinguentes inter regnum caelorum, et vitam aeternam assererent, parvulos non baptizatos carere regno caelorum, non autem vita aeterna, eos refellunt illis Christi verbis: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Cum enim parvulus non baptizatus neque *spiritualiter*, neque reipsa manducaverit carnem Christi; carebit utique et regno caelorum, et vita aeterna un-

de

de perspicuum est, Patres, qui docuerunt, parvulos, qui non manducaverint carnem Christi, carere vita aeterna, de parvulis non baptizatis esse locutos (*a*).

PROPOSITIO II.

Est praeceptum divinum omnes adultos obligans, et praeceptum Ecclesiasticum omnibus fidelibus ratione utentibus impositum, sumendi Eucharistiam.

Prob. 1a. pars. Illa Christi verba *Joan. VI. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sine dubio praeceptum explicant, omnes adultos obligans, etiam infideles, quales erant Capharnaitae, non quidem ad accipiendam Eucharistiam *immediate*, sed prius suscepto baptismo. Ergo etc.

Cum autem non sit in hoc divino praecepto definitum, quo tempore Eucharistia accipienda sit, putandum est, tunc obligare, cum necessarius est animae effectus, ad quem Eucharistia instituta est, nempe in mortis articulo, cum maxima eget homo virtute ad vincendas diaboli incursiones; et pluries, in vita, cum eget spiritali animae alimento, et virtutum incremento; eget autem saepissimae.

Prob. 2a. pars ex Concilio Lateranensi IV. *Cap. Omnis utriusque. De Poenit. et Remis.* in quo sic est definitum: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum nisi forte de consilio proprii Sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum, alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.* Hoc

(a) Vide haec fusius apud *Norisium in Vindiciis August.* Lib. IV. §. 3. *et Perronium in Responsion.*

praeceptum ex Concilio Tridentino *Sess. XIII. can.* 9. confirmatum, omnes fideles, qui judicio Pastoris ad Eucharistiam judicantur apti, obligat ad communionem a proprio Parocho, vel ab alio ex ejus venia accipiendam intra dies quindecim, hoc est a *Dominica Palmarum* usque ad *Dominicam in Albis*: neque huic praecepto satisfit per sacrilegam communionem. Familiares Regularium in locis exemtis praecepto satisfaciunt, accipientes in Paschate ab ipsis Regularibus Eucharistiam. Ceterum qui intra quindecim Paschales dies communicare non potest, debet vel tempus praevertere, si impedimentum praevidet, saltem ultra annum duraturum vel statim cessante impedimento communicare. Praeceptum enim duplex est; alterum, ut communicetur semel in anno; alterum, ut id fiat in Paschate. Quam sententiam post *Benedictum XIV. Tournely, Suarez*, aliosque Theologos defendit etiam *Ligorius*.

Q. *Utrum communio frequens, an rarior esse debeat?*

℟ S. Thomas 3. *P. Q. LXXX. art.* 10. *Circa usum hujus Sacramenti duo possunt considerari, unum quidem ex parte ipsius Sacramenti, cujus virtus est hominibus salutaris, et ideo utile est quotidie ipsum sumere... alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut magna cum devotione, et reverentia ad hoc Sacramentum accedat, et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat ... sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter indispositionem vel animae, vel corporis, non est utile omnibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenit paratum.* Hac generali regula rite adhibita, facile pro varia hominum conditione, statu, pietate, vel frequentiorem, vel rariorem Eucharistiae usum concedere.

PRO-

PROPOSITIO III.

Non est praeceptum fidelibus non sacrificantibus Eucharistiam accipere sub utraque specie. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Scripturis, quae tantumdem effectum, ac virtutem tribuunt Eucharistiae sub una specie, quantum sub utraque. Christus enim ipse, qui dixit *Joan. VI.* 55. *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam*; idem de solo pane Eucharistiae ait *v.* 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ergo.

Prob. II. ex traditione, ex qua discimus 1.° Eucharistiam sub sola panis specie servatam infirmis, ut testantur Eusebius *Lib. VI. Hist. Cap.* 34. et Cyrillus Hieros. *Catech. V.* 2.° Saeviente infidelium persecutione consuevisse fideles Eucharistiam sub una panis specie domum deferre, ut eam sine periculo sumerent, ut testatur Tertullianus *Lib. II. ad exor.* 3.° In ipsis sacris conventibus liberum fuisse fidelibus, Eucharistiam sub una, vel sub utraque accipere specie. Testatur enim Hieronymus *Epist. XXII. ad Eustochium*, quosdam adeo abstemios Romae extitisse, ut ab ipsa Eucharistia sub vini specie abstinerent; ideoque Manichaei vinum tamquam a malo principio creatum exhorrentes, facile irrepebant in coetus catholicorum, accipientes Eucharistiam sub una specie panis, ut testatur Leo M. *Serm VI. de Quadrag.* 4.° In Missa *praesanctificatorum*, quae a Latinis quidem sola *Feria VI. Parasceves* celebratur, a Graecis vero tota Quadragesima, exceptis tantum ex Trullana Synodo *Can. LII.* Sabbatis, Dominicis, et festo Annunciationis, ipse Sacerdos Eucharistiam sub una panis specie sumit. Quod enim nonnulli veteres dicunt, in ea Missa vinum consecrari ex commixtione consecrati panis in calicem immissi, intelligendum de sanctificatione vini ex contactu corporis Christi. Merito ergo sic definit Tridentinum *Sess. XXI. can.* 1. *Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis omnes, et singulos Christi fideles utram-*

que

quo speciem sanctissimi Eucharistiae sacramenti sumere debere, anathema sit.

Prob. III. ratione. Sub specie panis non solum corpus, sed et sanguis est Christi, ut supra docuimus. Ergo qui Eucharistiam sub una accipit specie, corpus simul, et sanguinem Christi sumit. Neque inde inferas, frustra instituisse Christum sub duplici specie Eucharistiam, tum quia sub utraque specie constat ratio sacrificii, ut infra dicemus, et repraesentatur mors Christi, tum quia sub utraque specie sumitur a sacrificantibus; tum denique quia sub utraque specie sumi potest etiam a Laicis, quando id expedire judicaverit Ecclesia.

Corollaria.

I. Si ergo Christus non praecepit fidelibus singulis, ut Eucharistiam sub utraque specie sumerent, relictum est id dispensationi, et prudentiae Ecclesiae, ut cetera, quae praecepta a Christo non sunt, et ad disciplinam pertinent, quae pro temporum, locorum, et hominum varietate mutari potest.

II. Cum ergo Ecclesia in iis ordinandis, quae ad religionem pertinent, a Spiritu Sancto regatur, eam justis de caussis usum calicis laicis, clericisque non sacrificantibus interdixisse, putandum est. *Si quis dixerit*, inquit Tridentinum *Sess. XXI. can. 2. Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, et rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret aut in eo errasse, anathema sit.* Praeiverat Constantiense *Sess.* XIII. et Basileense *Sess.* XXX. quae duo Concilia morem communicandi sub una specie laicos, et clericos non sacrificantes, qui mos a saeculi XII. sensim ipso usu fidelium invaluerat, ut constat ex *Halensi, S. Thoma, et S. Bonaventura*, qui floruerunt, Saec. XIII. pro lege habendum statuerunt (a).

Caus-

(a) Varium Ecclesiae usum accurate et erudite illustrat *Grancolas, Historie de la Communion sous une seule especa*

Causae autem, cur Ecclesia hanc legem statuerit, fuerunt hae. 1.° Ipsa fidelium consuetudo, quae in rebus ad disciplinam pertinentibus vim legis habet. 2.° Pertinacia haereticorum, qui contendebant, errasse Ecclesiam, quae consuetudinem illam probaverat. 3.° Periculum effusionis sanguinis, quae in magna populi frequentia vitari vix poterat. 4.° Nonnullorum horror ab ipso vini odore; aliorum vero repugnantia gustandi ex calice, unde alter biberit. 5.° Vini in aliquibus regionibus penuria.

Objectiones.

Objic. I. Christus ipse ait: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis.* Ergo sub utraque specie sumenda est Eucharistia.

℟. 1.° Mirum est, haec objicere Calvinistas, qui mordicus tenent, in eo *Joannis* loco non agi de Eucharistia.

℟. 2.° *Neg. conseq.* 1.° Quia qui solam panis speciem accipit, simul corpus, et sanguinem quoad substantiam sumit. 2.° quia licet concederemus, hic praeceptum esse etiam sumendi modum, non sequitur, praeceptum omnibus utrumque modum, cibi scilicet, et potus; particula enim conjungens *et* saepe in scripturis pro disjunctione *vel* usurpatur, ut in illo *Exod. XXI.* 15. *qui percusserit Patrem, et matrem morte moriatur.* In hoc autem *Joannis* loco pro distinctione positam esse, patet ex traditione Ecclesiae, quae Eucharistiam aliquando sub una specie panis ministravit, ut supra vidimus, aliquando etiam sub sola specie vini, ut infantibus ex Cypriano *Lib. de Lapsis.*

Objic. II. Christus ipse Eucharistiam instituens praecepit Apostolis, ut biberent omnes: *Bibite ex eo omnes.* Ergo omnibus praeceptum est ex Calice Eucharistico bibere, alioquin si verba ista: *bibite ex eo omnes*, non ad omnes pertinerent fideles, neque illa verba: *accipite, et manducate*, pertinerent ad omnes; atque ideo nullum esset praeceptum laicis impositum Eucharistiam accipiendi.

Neg.

Neg. cons. Verba enim illa: *manducate, bibite,* solis dicta sunt Apostolis. Neque inde sequitur, non esse praeceptum omnibus fidelibus, saltem sub specie panis Eucharistiam sumere. Praeceptum enim illud extat *Joan. VI. 54. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Inst. Gelasius Papa *apud Gratianum De Consecr. Dist. 2. can. 12.* haec habet: *Comperimus, quod quidam sumta tantummodo Corporis sacri portione, a calice abstineant, qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione videantur adstricti, aut integra sacramenta percipiant; aut ab integris arceantur. Divisio enim istius mysterii sine grandi sacrilegio non admittitur.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Illud ita statuit *Gelasius* (si vera refert *Gratianus*; apud *Gelasium* enim ista non habentur) contra Manichaeorum superstitionem, *conc.* Secus, *neg.* Manichaei enim, ut supra ex *Leone M.* observavimus, a calice abstinebant ex superstitione; et tamen in coetus irrepebant catholicorum, quia nonnulli etiam e catholicis a calice abstinebant. Ideo *Leo M.* et *Gelasius* ejus successor hanc superstitionem damnantes, statuunt, ad detegendos Manichaeos, ut sub utraque specie fideles communicent. Divisio enim hujus mysterii ex superstitione profecta, non sine grandi sacrilegio fiebat.

Obj. III. Fideles communicando passionem, et mortem Christi recolunt, dicente Apostolo *I. Cor. XI. 26. Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Atqui passio, et mors Christi repraesentatur per utramque speciem; per ipsas enim exhibetur sanguis a corpore effusus. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Passio, et mors Christi repraesentatur per utramque speciem in sacrificio, *conc.* In samtione sacramenti, *neg.* Etenim vel eo ipso, quod quis accipit solum corpus, quod in sacrificio separatum est a sanguine, jam manducat victimam, ut occisam. Est igitur utraque species sacrificio necessaria, ut mors Christi repraesentetur: sed peracto sacrificio, in quo victima exhibetur, ut mortua, sive quis solam panis, sive solam vini speciem accipiat, mortem Christi commemorat; sicut etiam in veteribus sacrificiis anima-

lium

lium; quisquis solam edebat carnem sine sanguine, sacrificio satis communicabat.

Inst. Negari non potest, clarius repraesentari passionem, et mortem Christi per utriusque speciei sumtionem; unde Sacerdos sacrificans utramque debet speciem accipere. Ergo satius est, sub utraque specie ab omnibus accipi Eucharistiam.

℟. *Trans. ant. Neg. cons.* Non enim tenentur omnes eadem ratione mortem Christi repraesentare, ac Sacerdos sacrificans; cum species vini ad sacrificium necessaria sit, non vero ad sacramentum accipiendum, ut paulo ante diximus.

Objic. IV. Christus ipse fidelibus potestatem fecit sumendi de calice sanguinem suum. Non potuit ergo Ecclesia illis hoc Christi beneficium extorquere, alioquin Dominus quidem fuisset liberalis, servi avari.

℟. *Dist. ant.* Dedit potestatem subjectam dispositioni, et prudentiae Ecclesiae, *conc.* Nulli subjectam, *neg.* Declarat enim Tridentinum *Sess. XXI. Cap.* 2. *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret.*

Inst. 1.° Potestas Ecclesiae data est in aedificationem, non in destructionem. Atqui si Ecclesia posset fideles usu calicis interdicere, potestas ejus esset in destructionem. Sunt enim Theologi, ut supra diximus, qui tenent, plus gratiae conferri iis, qui utramque speciem, quam iis, qui unam accipiunt, qua uberiori gratia Ecclesia fideles fraudaret. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Quamvis enim daremus, plus gratiae conferri in utriusque speciei sumtione, quae tamen sententia communi Theologorum doctrinae, imo, et rationi Theologicae adversatur, cum totus Christus tam sub una, quam sub duabus speciebus contineatur; non inde tamen potestas Ecclesiae in destructionem vergeret. Consuluit enim Ecclesia venerationi Sacramenti, et bono communi, cum laicos usu calicis prohibuit, cujus praeceptis fideles humiliter obtemperantes, si quam

forte gratiam ex calicis sumtione accepturi fuerant, per obedientiam cumulatius resarciunt.

Inst 2.° Neque Christus, neque Ecclesia per duodecim saecula ullam habuit rationem aut periculi effusionis sanguinis Christi, aut aliorum incommodorum, quae praetenduntur a Catholicis, ut negent laicis usum calicis. Ergo nulla ratione laici beneficio Christi fraudantur.

℟. *Dist. ant.* Nullam habuit rationem illorum incommodorum, quia nondum invaluerant, *conc.* Secus, *neg.* Nondum enim eo tempore in tantum refriguerat fidelium pietas, nondum consuetudo abstinendi a calice ab ipsis fidelibus erat inducta, nondum orti erant haeretici, qui dicerent, errasse Ecclesiam, quae consuetudinem illam probaverat, eo quod usum calicis ex praecepto divino necessarium assererent contra apertissima veteris Ecclesiae exempla. Quid ergo mirum, si nullam habuerit rationem rerum, quae nondum erant? Mutata autem rerum facie, mutari oportuit disciplinam. Quod si iterum vetusti mores, et pietas, et religio redeat, restituet Ecclesia veterem disciplinam. De communione sub utraque specie scripserunt fusius praeter *Gersonem*, *Gropperum*, *Bellarminum*, *Druen*, aliosque Theologos, *Bossuetus in Tract. De Commun. sub utr. spec.* Cardin. *Bona Lib. II. Rer. Liturg. Mabillonius in Praef. ad III. Sacc.* Bened. *Leo Allatius De perp. consen. Eccl. occid. et or. etc.*

C A P. IX.

De Effectibus Sacramenti Eucharistiae.

Adv. I. Unicum, vel praecipuum Eucharistiae effectum Novatores esse volunt remissionem peccatorum, eo quod, ut ipsi asserunt, fides sola, qua quis certo credat, peccata sibi remissa esse, justificet, sacramentaque omnia ad hanc fidem excitandam instituta sint. Ex quo horrendam illam, et vix in homine rationis compote, nedum Christiano, credibilem sententiam inferunt, optimam ad Eucharistiam dispo-

sitionem esse conscientiam peccati mortalis. *Optima dispositio, qua pessime es dispositus*, inquit Lutherus *Lib. De praepar. ad Euchar.* Et Calvinus eo dementiae prolapsus est, ut scripserit *Lib. IV. Inst. Cap. 17. n. 42*, hoc sacramentum non prodesse justis. *Meminerimus*, inquit, *has sacras epulas aegrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem, quae sane justis, et divitibus, si qui reperiri possent, nullum afferrent operae pretium*; ibique Catholicos homo inurbanus, ac perfrictae frontis imprudentissime proscindit, quod gravium criminum reos ab Eucharistia arceant.

II. Hac infami rejecta doctrina, quatuor a Catholicis enumerantur Eucharistiae effectus, quos recenset *Eugenius* in *Decreto*, scribens, *Effectus hujus Sacramenti, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum, et quia per gratiam Christo incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, omnemque effectum, quem materialis cibus, et potus quoad vitam agunt corporalem (sustentando, augendo, reparando, et delectando), Sacramentum hoc quoad vitam operetur spiritualem*: ita ut effectus Eucharistiae sit augmentum gratiae, perseverantia in bono, reparatio virium, sive remissio venialium, et delectatio spiritualis. Quae omnia singillatim tractanda sunt.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, nec unicum, nec praecipuum Eucharistiae effectum esse remissionem peccati mortalis.

Prob. I. ex Script. Christus ipse *Matth. XXII. 13.* docet, hominem ad coenam invitatum, qui sine veste nuptiali accubuerat, projectum in tenebras exteriores; et *Joann.* XIII. antequam discipulis Eucharistiam porrigeret; eorum pedes lavit. Et Apostolus *I. Cor. XI. 28. Probet*, inquit, *seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Porro haec loca unanimi consensu Patres docent, significare munditiem, quae in anima requiritur, antequam Sacramentum accipiat. Ergo. *Prob.*

Prob. itaque II. ex Patrum traditione, apud quos nihil est luculentius, et exploratius, quam peccatores non posse sine sacrilegio corpus Christi manducare unde in omnibus Conciliis statuti canones, quibus peccatores a communione prohiberentur, donec post dignam absoluti fuissent poenitentiam: et instante communione inclamabat Diaconus: *Sancta Sanctis.* Haec autem traditio ab ipso Apostolorum tempore, imo ab ipsis Apostolis sumsit exordium, cum ipse Apostolus Paulus incestuosum Corinthium ab Ecclesia, ideoque a communione rejecerit. Hinc 1.° Justinus *Apol. II. Nulli*, inquit, *alii participare licitum est, nisi ei, qui ita vivit, ut Christus tradidit.* 2.° Cyprianus *Epist. IX.* invehitur in presbyteros, qui peccatoribus communionem dabant, *nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu ab Episcopo, et clero eis imposita, cum scriptum sit, qui ediderit panem, vel biberit indigne etc.* 3.° Chrysostomus *Hom. LXXXIII. in Matth. Nullus itaque Judas assistat, nullus avarus; nam tales mensa non suscipit.* Infiniti esset operis recensere omnes, ut mira sit *Calvini* impudentia, vel potius amentia, qui de tali Patrum doctrina ita pronuntiat. *Certe Diabolus nullo majori compendio homines perdere poterat, quam sic eos infatuando.*

Prob. III. ratione. Eucharistia ad modum alimenti spiritalis instituta est. Sicut ergo corporis alimentum mortuo dari nequit, sic nec Eucharistia animae per peccatum mortuae.

Merito igitur Tridentinum *Sess. XIII. can. 5. Si quis dixerit, vel praecipuum fructum sanctissimae Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea alios effectus non provenire, anathema sit.*

Objic. Christus Eucharistiam instituens ait: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* Unde Ecclesia in orationibus, quas in ipsa Liturgia fundit, Deum precatur: *Haec nos communio purget a crimine, sit ablutio scelerum*: et Patres Eucharistiam esse docent remissionem peccatorum, ut Chrysostomus *Hom. IV. in Matth.* Ambrosius *in Ps. CXVIII.* aliique. Denique Eucharistia dare dicitur vitam spiritalem *Joan. VI. 58. 54. Qui manducat me, vivet propter*

pter me. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Ergo remissio peccatorum primarius est effectus Eucharistiae.

℟, *Dist. cons.* Eucharistiae, ut est sacrificium, *conc.* Ut est Sacramentum, *Subdist.* Est remissio peccatorum venialium, *conc.* mortalium, *neg.* Christus enim non ait, sanguinem suum bibi in remissionem peccatorum, sed effundi, hoc est, fideles bibere sanguinem, qui ad remissionem peccatorum in sacrificium fusus est. Patres autem, et Ecclesia docent, communionem esse remissionem peccatorum, non utique mortalium, cum constanter contrarium doceant, ut supra vidimus, sed venialium; ut infra dicemus. Dicitur porro Eucharistia vitam animae tribuere, non quia animam mortuam vivificat, sed quia vitam animae servat, roborat, auget.

Scholion.

Etsi remissio gravium peccatorum non est proprius, nec primarius Eucharistiae effectus, *per accidens* tamen Eucharistiam aliquando producere primam gratiam, jam supra diximus *Par. I. Cap.* 3.

PROPOSITIO II.

Primus Eucharistiae effectus est gratiae sanctificantis augmentum. Est dogma fidei.

Prob. I. Christus ipse *Joann.* VI. 56. ait; *Caro mea vere est cibus*, non utique corporis, sed animae. Ergo sicut cibus corporeus vitam auget animalem, ita Eucharistia vitam spiritalem, quae in gratia sanctificante sita est.

Prob. II. ex Patribus. 1.° Ignatius *Epist. ad Smyrnens.* vocat Eucharistiam, *pharmacum immortalitatis, antidotum, ne moriamur, sed vivamus perpetuo per Jesum Christum.* 2.° Chrysostomus *Hom.* XLVI. *in Joan. Tamquam leones igitur*, inquit, *ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles.* Similia docent omnes Patres, qui ajunt, Corpus Christi animam alere, ac nutrire, Calicem Domini inebriare spiritum. Unde

Tri-

Tridentinum *Sess. XIII Cap.* 2. *Sumi autem voluit, Christus hoc Sacramentum tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius; qui dixit: Qui manducat me et ipse vivet propter me.*

Prob. III ratiocinatione S. Thomae. Si cera igni exponatur, vix emollitur; si propius admoveatur, liquescit; si in ignem conjiciatur, protinus accenditur. Atqui in hoc Sacramento anima Deo ipsi conjungitur, qui *ignis consumens* dicitur in Scripturis *Deut IV.* Ergo nisi ipsa objicem culpa sua ponat, *ex* hoc Sacramento penitus charitate flagret, necesse est.

Dices. Multos videmus quotidie communicantes, etiam Sacerdotes, quos tamen non videmus in charitate crescere; tum quia crescentis in eis quotidie charitatis opera non videmus; charitas autem cum magna est, magna operatur, aut si operari renuit, charitas non est; tum quia videmus, eos vitam agere semper eodem modo carnalem, cum contra crescens charitas contrariam carnis cupiditatem compescat, ac minuat. Ergo etc.

R. 1.° Multi sunt, quibus vere dici potest illud *Apoc. III.* 1. *Nomen habes quod vivas, et mortuus es*; qui licet in graviora peccata exterius non labantur, sunt tamen *sepulcra dealbata*; ideoque si in peccato, quod nec ipsi (culpa sua) advertunt, Eucharistiam accipiunt, mirum non est illos in charitate non proficere, cum contra judicium sibi manducent, et bibant.

R. 2.° Si illi justi sunt, ex affectu tamen ad venialia peccata, et reverentiae defectu saltem veniali, vel omni fructu Eucharistiae se fraudant, ut *S. Bonaventura*, *S. Antoninus*, aliique tenent: vel saltem remissione peccatorum venialium, quorum amore ligati sunt, et fervore charitatis, seu auxiliis efficacibus, quae sunt ad manifestandum exterius per bona opera augumentum gratiae sanctificantis necessaria.

PRO-

PROPOSITIO III.

Alter Eucharistiae effectus est peccatorum venialium remissio.

Prob. I. ex PP. 1.° Ambrosius *Lib. IV. de Sacr. Cap.* 6. *Si quotiescumque*, inquit, *effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere qui semper pecco; debeo semper habere medicinam.* 2.° Augustinus *Epist. LIV. al.* CXVIII. *Cap.* 3. *Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur; non se debet a quotidiana medicina Dominici Corporis separare.* 3.° Chrysostomus *Homil.* XLV. *in Joan. Hic sanguis nostrarum animarum salus est, hoc lavatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur: mundat squallorem, et sordem.* Idem alii docent; unde Tridentinum *Sess.* XIII. *Cap.* 2. *Sumi voluit Christus, hoc Sacramentum, quo liberamur a culpis quotidianis.*

Prob. II. Eucharistia instituta est ad modum cibi, et potus, ut significetur, id fieri per illam in spiritu, quod per sensibilem cibum in corpore. Atqui materiali cibo deperditae corporis vires quotidie reparantur. Ergo per Eucharistiam spiritualis vigor, venialibus peccatis hebetatus, restituitur.

Corollarium.

Ergo Eucharistia ut Sacramentum est, non quidem directe, et *ex opere operato*, sed *indirecte*, et *ex opere operantis* poenam temporalem peccatis debitam remittit. Remittendo enim peccatorum venialium culpam, poenam etiam *indirecte* solvit; et augendo charitatis fervorem, hominem incitat ad opera *sasisfactoria*.

Dices. Vel omnia venialia peccata, vel aliqua tantum Eucharistia delet. Si dixeris, delere omnia, contradicis Apostolo I. *Joan.* I. 8. qui de omnibus, etiam Eucharistia pastis, pronunciat: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Si dixeris, delere aliqua, nulla ratio esse videtur, cur unum potius, quam aliud deleat.

℞. Per Eucharistiam ea peccata venialia deleri, de quibus justus sincere dolet, saltem imperfecte, quod si de omnibus doleat, omnia delentur; neque id contrarium est Apostolicae sententiae, quae non aliud significat, quam totam hominis etiam sanctissimi vitam venialibus maculis non carere. Quod quidem non obstat, quominus ad breve tempus possit justus sine macula inveniri, ut diximus *Lib VII. Cap.* 13.

PROPOSITIO IV.

Tertius Eucharistiae effectus est perseverantia in bono.

Prob. 1.° Ipse Christus manducantibus carnem suam permanentem vitam pollicetur *Joan. VI.* 57. *Qui manducat meam carnem . . . in me manet, et ego in illo.* Ex quibus verbis etiam hanc doctrinam ad fidem pertinere, perspicuum est. 2.° Patres docent, Eucharistiam esse antidotum ne moriamur, nec rursus in pristinam peccatorum foveam incidamus; unde *Cyprianus*, instante persecutione, reficiendos esse docet Eucharistia fideles, etiam e numero poenitentium; *Quia non est idoneus*, inquit, *ad martyrium*, *qui ab Ecclesia non armatur ad praelium*, *quia mens deficit*, *quam recepta Eucharistia non erigit*, *et accendit*. 3. denique sicut sensibilis cibus animalem vitam, ita spiritalis iste cibus vitam servat spiritalem.

Ergo, inquies, omnes, qui Eucharistiam sumunt, perseverant, quod evidentissime falsum est.

℞. *Neg. cons.* Tum quia multi indigne, et ad mortem sumunt sacramentum, quod ad vitam institutum est; tum quia multi sua culpa objicem opponunt effectibus sacramenti, tum quia multi etsi aliquando Eucharistiam digne sumserint, ab eo tamen caelesti igne diu recedentes, frigescunt paulatim, donec in peccatum prolabantur.

PRO-

PROPOSITIO V.

Quartus Eucharistiae effectus est spiritalis sancta delectatio.

Prob. 1.° Cyprianus *Epist LXV. Calix*, inquit, *Domini bibentes inebriat.* Et Auctor sermonis *in Coena Domini* inter opera ipsius Cypriani: *Quam praeclarus est calix iste! quam religiosa hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, non habentes sensum hujus mundi .... a sapientibus hujus saeculi judicamur amentes ... vident haec sacramenta pauperes spiritu, et hoc uno contenti ferculo omnes hujus mundi delicias aspernantur, et possidentes Christum, aliquam hujus mundi possidere suppellectilem dedignantur.* 2.° Clemens V in Concilio Viennensi: *in hoc Sacramento habetur omne delectamentum, et omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur.* 3.° Cum Christus sub cibi, et potus symbolis hoc Sacramentum instituerit spiritualem afferat delectationem, necesse est.

Ceterum haec spiritalis delectatio non semper sensibilis est, sed in parte animae superiori percipitur. Imo plerumque Sancti, Deo sic disponente ad humilitatis exercitationem, nullum omnino delectamentum ex hoc Sacramento percipere sibi videntur, cum tamen ex effectibus constet, magis eos in parte superiori de hoc spirituali cibo delectari, quam qui sensibilem quandam delectationem in communione percipientes, carnalibus tamen, et mundanis oblectamentis inhiare non desinunt. Illi vero nullam, ne in parte quidem superiori, delectationem in hoc Sacramento sentire possunt, qui nauseantes, aut male etiam affecti accedunt. *Praeoccupatum nempe saecularibus desideriis animum delectatio sancta declinat* ut inquit Bernardus *Serm. V de Ascens. Dom.*

PROPOSITIO VI.

Ultimus *Eucharistiae effectus est vita aeterna tum animae, tum corporis*: Est dogma fidei.

Prob. 1.° Christus ipse *Joan. VI.* 55 *Qui manducat meam carnem*, inquit, *et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.* 2.° Ignatius *Epist. ad Ephes.* Eucharistiam vocat *pharmacum immortalitatis.* 3.° Augustinus *Tract. XXVI in Joan. Eos*, inquit, *a quibus sumitur, immortales, et incorruptibiles facit.* Utrum autem hunc effectum Eucharistia producat *directe*, an *indirecte* tantum, praestans scilicet homini perseverantiam, cujus praemium est vita aeterna, inter Theologos disputatur.

Scholion.

I Sicut cibus non prodest nisi manducantibus, sic Eucharistia ex *opere operato* non prodest, nisi accipienti; potest tamen communio, sicut et caetera opera bona Deo offerri pro aliis, ut illis ex opere operantis prosit, si tamen id largiri velit Deus, qui numquam promisit Eucharistiam aliis, quam sumentibus profuturam. Quapropter merito sub *Alexandro VIII.* Sacra Cardinalium congregatio damnavit eorum opinionem, qui communionem pro defunctis, tamquam prorsus inutilem irridebant.

II. Effectus autem recensitos Eucharistia in ipsa manducandi actione producit; ac proinde qui Eucharistiam ore acceptam non deglutiret, is nullum sacramenti fructum perciperet. Contra qui Sacramentum jam in stomachum trajectum diutius servat, non majus inde emolumentum capiet. Hinc reprehendenda est eorum religio, qui ut uberiores gratiae fructus percipiant, majores hostias sumere satagunt, quasi diutius in stomacho manentibus speciebus Eucharisticis, plus gratiae recipiant. Ceterum non minus culpanda est eorum temeritas, ne dicam impietas, qui statim post Eucharistiam acceptam, manente adhuc in ipsis Christi Corpore,

vel

vel ab Ecclesia se proripiunt, vel vana de rebus inutilibus miscent colloquia, vel negotia pertractant, quo tempore in oratione, et gratiarum actione permanendum est.

SECTIO ALTERA

De Sacrificio Eucharistiae

Eucharistia, ut sacrificium est, variis apud veteres nominibus appellari solet. 1.° *Liturgia*, seu publicum officium, quia scilicet pro omnibus offertur. 2.° *Synaxis*, sive adunatio. 3.° *Collecta*, sive populi congregatio. 4.° *Dominicum*, sive divinum opus. 5.° *Oblatio*. 6.° *Mystagogia*. 7.° *Hierurgia*. 8.° denique apud Latinos *Missa*, quod nomen nonnulli ab Hebraico *Missah*, quod *Deut. VI.* oblationem significat, alii melius a mittendo deducunt, quia scilicet missio fit catechumenorum, poenitentium, denique fidelium. Unde Isidorus *Lib. VI. Orig. Cap.* 19. *Missa*, inquit *tempore sacrificii est quando catechumeni foras mittuntur*; *et inde Missa.* Latini enim sequioris aevi *missam* pro *missione* dixerunt, sicut Cyprianus *remissam* pro *remissione*. Quamvis autem in Eucharistia prius ratio sacrificii attendenda sit, quam fidelium communio, cum, ideo victima manducetur, ut sacrificio communicetur perfectius; tamen nulla est hujus tractatus pars, in quam vehementius debacchati sint Novatores, qui licet in aliis secum ipsi bellum gerant, in hoc tamen misere consentiunt, ut Eucharistiam verum novae legis sacrificium esse negent, ut videre est apud *Lutherum*, *Melanchtonem*, *Illyricum*, *Brentium*, *Calvinum*, *Bezam*, *Petrum Martyrem*, aliosque (*a*) inter quos Lutherus *Lib. de Missa priv.* fatetur, se a diabolo fuisse edoctum, ut Missae sacrificium abrogaret (*b*). CA-

(a) Luther. *Lib. Di Captiv. Babylon. et de abrog. Miss. priv. et al. passim.* Melanchton in *Loc. commun. Cap. de Sacrif.* Brentius in *Confes. Wittemberg. Cap. de Euchar.* Illyricus *Apolog. Confess. Antuerp. cap* 15. Kemnitius *Exam Conc. Tridentin Par.* 2. Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap.* 18. Beza *in Confes. Cap.* 7. Petr. Martyr *in Cap.* 4. *et* 10. *I. ad Cor. et alii.*

(b) Vide Librum inscriptum, *Conference du Diable avec Luther.*

CAP. I.

Quid, et quotuplex sit Sacrificium et qui status quaestionis inter Catholicos, et haereticos.

Sacrificium duplici significatione potest intelligi, proprie scilicet, sive strictius, et improprie, seu latius. Sacrificium latius, et improprie dictum, *est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus*, ut inquit Augustinus *Lib. X. de Civ. Cap.* 6. quo sensu dicitur *Psal. XLIX. Sacrificium laudis honorificabit me.* et *Psal. L. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Strictius vero, et proprie acceptum sacrificium a ceteris operibus bonis distinguitur, ut *Oseae VI.* 6. *misericordiam volui, et non sacrificium.* Definitur autem: *Oblatio externa soli Deo facta, qua ad agnitionem humanae infirmitatis, et divinae majestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis, et permanens ritu mystico consecratur, et mutatur.* In qua definitione *oblatio externa* genus est, in quo conveniunt oblationes omnes, quibus res nostras Deo dicamus, consecratio vero, et mutatio differentia; qua sacrificium a reliquis oblationibus discernitur; cetera definitionis verba finem explicant, et ministrum sacrificii.

II. Cum autem quadruplici ratione nostram infirmitatem, et divinam Majestatem profiteri possimus, hinc quadruplex est sacrificium stricte, et proprie sumtum, *Latreuticum* scilicet, quo supremum Dei in res omnes dominium agnoscimus, et profitemur; *Eucharisticum*, quo ei pro beneficiis gratias agimus; *Impetratorium*, quo nova ab eo beneficia postulamus; et *Propitiatorium*, quo veniam ab eo peccatorum petimus. Hae autem quatuor sacrificiorum species in lege veteri non omnes in unoquolibet sacrificio reperiebantur, sed quatuor distinctae sacrificiorum species institutae sunt, ad quatuor illa erga Deum officia obeunda. At in nova lege, ut dicemus inferius, unum sacrificium, quod ab omnibus illis Mosaicae legis sacrificiis significatum fuerat

rat, quatuor illa simul sacrificiorum genera complectitur.

III. Porro in omni sacrificio proprie dicto duo necessario requiruntur, et sufficiunt: oblatio, et conseeratio cum mutatione conjuncta. Sive autem oblatio consecrationem, et mutationem praecedat, ut passim in veteribus sacrificiis fiebat, sive consecratio, et mutatio oblationem, ut fiebat in sacrificio illo *Levitic. XVI.* quo Pontifex semel in anno extra sanctuarium mactabat victimam, deinde ingressus in *Sancta Sanctorum* sanguinem ejus offerebat, id nihil refert, modo oblatio, et mutatio non quidem *physicè*, sed *moraliter* conjunctae actionem constituant unam, quae sacrificium est.

IV. His ita explicatis, constat, in Eucharistia esse consecrationem, et mutationem victimae. Corpus enim Christi jam Deo consecratum est, et mactatum in Cruce; imo in ipsa Eucharisiae consecratione *mystice* mutatur, tum quia sub speciebus Eucharisticis positum novo modo existit, ut concedunt Lutherani, et nos supra ostendimus contra *Sacramentarios*, tum quia vi verborum consecrationis sanguis a corpore *mystice* separatur, ac proinde ipse Christus *mystice* moritur. Igitur controversia tantum restat cum haereticis, utrum praeter consecrationem, et mutationem sit in Eucharistia oblatio victimae, hoc est utrum Corpus Christi non solum a Deo nobis offeratur manducandum, verum etiam a nobis offeratur Deo. Hinc Novatores toto conatu hanc oblationis rationem destruere aggressi sunt, ut videre est non solum in eorum scriptis *loc. sup. cit.* verum etiam in eorum liturgiis, in quibus quidquid oblationem sonat, magno studio abolere studuerunt. Quapropter si obtineamus, revera corpus, et sanguinem Christi in Eucharistia a nobis offerri Deo, transacta res est.

C A P. II.

Eucharistiam esse verum, et proprie dictum novae legis sacrificium, ostenditur.

Adv. Nunc dogma fidei contra haereticos stabiliendum est ex Scripturis, Traditione, et ratione Theologica.

PROPOSITIO I.

Ex Scripturis veteris, novique Testamenti ostenditur, Eucharistiam esse verum, et proprium sacrificium.

Prob. 1.° Malachias *Mal.* I. 1.° praedicit, fore in nova lege oblationem, quae in toto terrarum orbe, rejectis sacrificiis legalibus, saerificabitur. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* Atqui oblatio haec non alia est, nec esse potest, quam Eucharistia. Nam 1.° non potest esse ipsum sacrificium crucis, quia sacrificium illud si *spiritaliter* accipiatur, ab origine mundi oblatum est, si vero *materialiter*, non utique offertur omni in loco. 2.° Nec possunt esse bona opera, tum quia vox Hebraica *Mincha*, qua usus est Propheta, veram, atque sensibilem oblationem significat, tum quia ipsi Novatores contendunt, nullum esse opus bonum, quod sit mundum a peccato, ac proinde dici non potest a Novatoribus oblatio munda. 3.° Constans, et perpetua Patrum Traditio a Tridentino etiam Concilio comprobata *Sess. XXII. Cap.* 1. de sola Eucharistia verba Malachiae semper, et ubique intellexit, ut videre est apud Justinum *Dial. cum Tryph.* Irenaeum *Lib. IV. Cap.* 32. Tartullianum *Lib.*

Lib. III. cont. Marcion. Augustinum *Lib.XVIII. de Civit. cap.* 35. aliosque (*a*). Ergo etc.

2.° In Psalmo CIX. praedicitur Christus futurus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *Juravit Dominus, et non paenitebit eum: tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* Atqui non alibi clarius se gessit Christus sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quam in institutione Eucharistiae, in qua obtulit hoc ipsum, quod Melchisedech obtulerat, panem, et vinum, suum scilicet corpus, et sanguinem sub panis, et vini speciebus, ut omnes Patres, et Concil. Tridentinum *loc. cit.* interpretati sunt (*b*). Sufficiat unum pro omnibus proferre Cyprianum, qui *Epist. LXIII. ad Caecilium*: *In Sacerdote,* inquit, *Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum praefiguratum videmus, secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit: Melchisedech protulit panem, et vinum ... Quod Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus Sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: Tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod panem, et vinum obtulit .... Num quis magis Sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem, et vinum, suum scilicet Corpus, et sanguinem.*

3.° Ipse Christus Eucharistiam instituens professus est, corpus, et sanguinem suum non solum discipulis tradi ad manducandum, et effundendum in cruce, verum etiam in ipsa Eucharistiae institutione pro ipsis tra-

---

(a) Cyprianus *Lib I. cont. Jud. Cap.* 16. Hieronymus in *Malach.* Theodoretus *ib.* Chrysostomus *Orat. IV. cont. Judaeos*, Damascenus *lib IV. Cap.* 14.

(b) Cyprianus *lib. II. Epist.* 3. Eusebius *lib. V. Demonstr Evang. Cap.* 3. *et lib. VIII. Cap.* 2. Ambrosius *lib. IV. de sacr. Cap* 3. *et lib. de initiandis Cap.* 9. Epiphanius *Haeres.* 55. Hieronymus *Quaest. in Gen. cap.* 14. Chrysostomus *Orat IV. cont. Jud.* Augustinus *lib XVI. de Civ. cap* 35, et alibi passim. Arnobius, Beda, Damascenus, et alii,

tradi, et effundi. *Luc. XXII.* 19. *Hoc est,* inquit, *corpus meum, quod pro vobis datur*: pro quo Apostolus *I Cor. XI.* clarius ait: *quod pro vobis frangitur. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis funditur*, ut habetur in Graeco textu apud tres Evangelistas; imo manifestum est a Graeco textu Lucae (a), relativum illud *qui* referri ad calicem; hoc est ad sanguinem Christi, non quatenus in cruce erat fundendus, sed quatenus continebatur in calice, qui dicitur pro nobis fundi, ac proinde non solum nobis offerri bibendus, sed etiam pro nobis effundi, et offerri. Quapropter quamvis cum *Vulgata* legas verbum futuri temporis *effundetur*, semper tamen constat, Christi sanguinem, non solum quatenus in morte fundendus erat, verum etiam quatenus in calice consecrandus, vere Deo pro hominibus fundi, sive offerri. Accedit quod comparando verba Christi cum iis, quae protulit Moyses in sacrificio vituli *Exod.* XXIV. 8. dicens: *Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum*, patet, Christum ideo dixisse: *Hic est sanguis meus novi testamenti*, ut ostenderet, se novum instituere sacrificium ad novum foedus sanciendum. Ergo.

4.° Apostolus *Hebr. XIII.* 10. *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Quodnam autem sit hoc altare, explicat *I. Cor. X.* 18. ubi comparans mensam Eucharisticam cum altari, in quo Judaei, et Gentiles sacrificia offerebant, ait: *Videte Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?... Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum Non potestis calicem Domini bibere, et calicem daemoniorum. Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae de-*

mo-

(a) Τουτο το ποτηριον, η καινη διαθηκη εν τω αιματι μου, το υπερ υμων εκχυνομενον. Suam autem prodit *Erasmus* vel improbitatem, vel inscitiam, cum ita vertit) *Hoc poculum novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur*, cum το εκχυνομενον referatur ad το ποτηριον.

moniorum Ubi manifestissime docet, in altari Judaeorum, et Gentium offerri Sacrificia, quorum participes sunt, qui edunt victimas: in mensa autem Eucharistica offerri corpus, et sanguinem Christi in sacrificium, cujus participes sunt fideles, quos simul sacrificii Christi, et sacrificii daemoniorum participes fieri vetat. Ergo etc.

5.° *Act*.XII. 2. ait Lucas de Prophetis, et Doctoribus Ecclesiae Antiochensium: *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus etc.* At ministrare Domino non aliud ibi est, nisi sacrificare, ut constat ex Graeco vocabulo λειτουργούντων, quo Lucas utitur etiam in Evangelio *Cap.I.* 8: ad verum sacrificium significandum, quo etiam sensu idem verbum Graeci omnes usurpant, unde Liturgiae nomen ad significandum sacrificium deductum est. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Unum ex praecipuis, quae ex Scriptura proferuntur, argumentis, pro Sacrificio Eucharistiae, est ex Sacerdotio *Melchisedech*. Atqui hoc nullius momenti est. Nam primo Melchisedech *Genes*.XIV. 18. non obtulit sacrificium Deo, sed protulit panem, et vinum, ut habet textus Hebraicus, versio LXX. Vulgata, et Josephus *Antiquit. Lib.I. Cap.* 11. idque ad reficiendum Abraham, ejusque servos ex praelio, et itinere fatigatos; neque id, quod subjungitur, *erat enim Sacerdos Dei altissimi*, innuit tunc obtulisse sacrificium; in Hebraeo enim legitur: *et erat Sacerdos Dei altissimi*, et apud LXX. *Erat autem Sacerdos*: particulae vero conjunctionis *et*, *autem*, non significant, caussam, cur Melchisedech protulit panem, et vinum, fuisse ejus Sacerdotium. Praeterea Apostolus *Heb* VII. explicans, quo sensu Christus Sacerdos sit secundum ordinem Melchisedech, id non repetit ex eo, quod obtulit corpus, et sanguinem suum sub panis, et vini speciebus, sed ex dignitate personae *Melchisedech*, qui fuit Rex Salem, Sacerdos non ex stirpe

stirpe Aaron, sine patre sine matre, sine genealogia, assimilatus Filio Dei. Ergo.

R. Neg. min. Quod enim attinet ad primam rationem, non tanti est, ut evertere valeat perpetuam, et constantissimam universae Ecclesiae Traditionem, quae tenet, *Melchisedech* in pane, et vino verum obtulisse sacrificium, cujus Abraham, ejusque socii participes facti sunt comedendo rem oblatam, quamvis non indigerent pane, qui praeda onusti revertebantur ex praelio. Unde quod *in Genesi* dicitur: *proferens panem, et vinum* idem est ac offerens; ut patet ex contextu: *proferens panem, et vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* Quod autem in textu Hebraico, dicitur, *et, erat Sacerdos*; nihil incommodat. Solet enim particula conjunctionis *et*, pro *enim* apud Hebraeos usurpari, ut *Is. LXIV. 5. Ecce tu iratus es, et peccavimus.* Gen. XXII. 12. *Nunc, cognovi quod timeas Deum, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Quapropter *Hieronymus* sensum secutus vertit: *erat enim Sacerdos Dei altissimi.*

Quod vero pertinet ad alterum, advertendum est, Apostolum eo loci non de qualitate sacrificii, sed de dignitate Sacerdotis sermonem instituisse, ideoque non referre ad ejus scopum; quid *Melchisedech*, et Christus obtulerint, sed quantum *Melchisedech* major fuerit *Abrahamo*, ejusque nepote *Aaron*. Ex quo Christum Sacerdotem secundum ordinem *Melchisedech* longe antecellere *Aaronem*, ejusque successores, ostendit. Ceterum esse aliam sublimiorem rationem, qua Christus Sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, ibidem declarat, dicens: *De quo* (Melchisedech) *nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.*

Objic. II. Idem Apostolus *Heb. VII. IX, et X.* pluribus docet, rejectis omnibus sacrificii, abolito veteri Sacerdotio, unum oblatum esse semel sacrificium crucis, quod valeat in sempiternum sanctificare homines, unum Sacerdotem Christum, qui sacrificium, quod semel in cruce obtulit, perpetuo offert in coelis sedens ad dexteram Dei. Ergo nullum aliud est in nova lege [illegible] ge-

ge sacrificium, nullus Sacerdos praeter Christum Sacerdotem, et sacrificium crucis.

℟. *Dist. ant.* Apostolus docet, unum esse sacrificium cruentum ad redemtionem omnium semel oblatum, et unum Sacerdotem primarium, *conc.* Unum esse sacrificium incruentum ad applicandam hominibus virtutem sacrificii illius cruenti, et unum Sacerdotem sine ullis omnino ministris, *neg.* Vult ergo Apostolus, vetera sacrificia utcumque repetita non valuisse ad remissionem peccatorum; Sacerdotes autem, quia mortales erant, unum alteri successisse. Christum vero unica oblatione cruenta sui ipsius in cruce pretium obtulisse superabundans ad omnium hominum peccata exhaurienda, et quia immortalis est, sempiternum habere sacerdotium, nullosque sibi in sacerdotio successores. Sed sicut unica illa oblatio non obstat, quominus ipse Christus in caelum ingressus, tamquam in *Sancta Sanctorum* offerat Deo Patri sanguinem suum, ad derivandam in homines virtutem sacrificii cruenti; ita non obstat, quominus ipse Christus per alios Sacerdotes, non tamquam successores suos, sed tamquam ministros offerat in terris Deo Patri illud ipsum sacrificium, quod cruentum obtulit in cruce. Nam sicut unica, et cruenta Christi oblatio non efficit, ut nulla sint sacramenta, per quae illius oblationis nobis applicetur virtus, ac meritum; ita non efficit, ut nullum sit sacrificium incruentum, per quod etiam sacrificii crucis in nos virtus derivetur.

Objic. III. Ipse Christus *Joan.* IV. 21. docet, in nova lege nullum fore externum sacrificium, sed internum in spiritu, et veritate. Interroganti enim Samaritanae, utrum in monte Garizim, an Ierosolymis liceret offerri Deo sacrificia, respondet: *Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem ... Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate ... Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Docet, nullum fore sacrificium Mosaicum uno in loco celebrandum, *conc.* Docet, nullum omni-

omnino fore sacrificium externum, sed internum dumtaxat, *neg.* Quaestio ergo erat inter Samaritanos, et Judaeos; utrum Mosaica sacrificia in uno Jerosolymorum templo offerri possent, an etiam in monte Garizim, in quo Patriarchae ante Moysen Deo sacrificaverant. Respondet autem Christus, advenisse tempus, quo neque Jerosolymis, neque in monte illo sacrificia offerantur Mosaica, sed ubique terrarum adoretur Deus in spiritu, et veritate, quae quidem adoratio cultum externum non destruit; alioquin etiam sacramenta abolenda essent. Quod ergo ait Christus: *Neque in monte hoc, neque in Jerosolymis*, intelligitur de mosaicis sacrificiis, quae cessare omnino debebant, oblato Christi sacrificio, cujus erant figurae. [Sed si contentiose ad omne sacrificium velis extendere, sensus erit, neque in monte illo solum, neque Jerosolymis solum, sed ubique terrarum offerendum esse non solum externum sacrificium; sed etiam internum in spiritu, et veritate.

PROPOSITIO II.

Eucharistiam esse verum, et proprium sacrificium, ex Traditione demonstratur.

Prob. I. ex Conciliis generalibus. 1.° Concilium Nicaenum hac de causa vetat, Diaconos Presbyteris Eucharistiam ministrare, *Can.* XVIII. *Quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab illis, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant.* Ex quibus est apertissimum, esse in Ecclesia ministros, qui Christi corpus offerunt, diaconos vero, etsi potestatem haberent ministrandi Eucharistiam, non tamen habere potestatem offerendi; ideoque patet, offerendi vocabulum in eo canone non significare Eucharistiae distributionem, sed oblationem Deo factam; alioquin diaconi etiam potestatem habuissent offerendi. Illud etiam est ex eo canone manifestum, Eucharistiam non dici a veteribus Sacrificium, quia fiebant in celebratione coenae a fidelibus eleemosynae, orationes, gratiarum actiones, ut somniavit *Kemnitius*,

tius, hoc enim sensu omnes fideles potestatem habuissent tales hostias spiritales offerendi. 2.° Ephesinum *in Declarat. Anathemat. XI. Sanctum*, inquit, *ac vivificum, incruentumque in Ecclesiis peragimus sacrificium, corpus quod proponitur, et pretiosum sanguinem.* 3.° Chalcedonense supplicem probavit libellum, in quo contra *Dioscorum* dicebatur, ejus culpa, qui omne frumentum coëmerat, *neque terribile, et incruentum sacrificium celebratum esse.* 4.° Tridentinum *Sess. XXII. de Sacr. Mis. can. 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium sacrificium ... anathema sit.* Longum esset Provincialia Concilia recensere omnia. Ergo etc.

Prob. II. ex Patribus. 1.° Cyprianus *Epist.* LXIII. *ad Caecil. Sacerdos*, inquit, ... *Sacrificium verum, et plenum tunc offert in Ecclesia, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* Quid luculentius? 2.° Ambrosius *in Cap. I. Luc. Nobis sacrificium deferentibus Christus adsistit, Christus immolatur* idemque *Lib. I. De offic. Cap.* 41. refert ea verba *S. Laurentii* Martyris ad *Sixtum* Pontificem: *Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas tuo? Numquam sine ministro Sacrificium offerre consueveras.* 3.° Augustinus *Lib X. de Civ. Cap.* 20 de Eucharistia loquens: *Huic summo, veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.* 4.° Basilius *Lib. II. de Bapt. ad quaest.* 2. ait, *tanto magis impium esse eum, qui inter sacrificandum audeat impuris manibus tractare Corpus Domini; quanto unigeniti Filii Dei corpus excellentius est arietibus, et tauris.* Omnes alii in idem consentiunt, quos singulos hic proferre, nimis esset operosum, atque ab instituto alienum; imo prorsus inutile, cum fateatur Lutherus *Lib. de Missa priv.* Calvinus *Lib. IV. Institut. Cap.* 18. §. 12. aliique, Traditionem ipsis adversari, imo Kemnitius *Part.* II. *Exam. Conc. Trident.* ingenue dicat: *Negari non potest, veteres quando loquuntur de celebratione Coenae Domini, usurpare vocabula sacrificii, immolationis, oblationis, hostiae, victimae, item uti verbis offerre, sacrificare, immolare.* Ergo etc.

Prob. III. ex Liturgiis, quibus universa semper usa est Ecclesia tum in oriente, tum in occidente, in qui-

bus

cramento differat a sacrificio crucis, *conc.* Non negat ergo *Augustinus*, Eucharistiam esse sacrificium; contrarium enim affirmat tum loco a nobis supra laudato, tum alibi saepissime, sed quaerit dumtaxat, quomodo Christus immolari dicatur in altari, cum semel immolatus sit in Cruce, nec rursus immolari, sive mori possit. Respondet autem, in ipsa consecratione repraesentari mortem Christi per *mysticam* sanguinis a corpore separationem; et quia sacramenta earum rerum, quas repraesentant, nomina accipere consueverunt; idcirco separationem hanc mysticam sanguinis a corpore Christi appellari ipsius Christi immolationem. Hanc autem *mysticam* separationem verum esse habitum a Patribus sacrificium, inde patet, quod licet in baptismo etiam mors Christi repraesentetur ex Apostolo *Rom.* VI. 3. numquam tamen Patres Baptismum appellavere sacrificium, ut appellarunt Eucharistiam. Quod autem ajunt, unum esse in novo Testamento sacrificium crucis, eodem id sensu explicandum est, quo supra locum Apostoli in Epistola ad Hebraeos explicavimus. Gentiles autem nostrae religionis mysteria complura ignorabant ex *disciplina arcani* tunc vigente. Sed fuisse apud Christianos altaria, constat ex *Cypriano*, aliisque. Esto nondum altaria fuerint metu persecutionum lapidea.

PROPOSITIO III.

Ex Theologica etiam ratione demonstrari potest, Eucharistiam esse verum sacrificium.

Prob. I. Non est vera religio, quae nullum habet sacrificium. Nam ut *Lib. I.* demonstravimus, officium religionis est non solum interior, verum etiam exterior Dei cultus, qui praecipue in sacrificio est positus. Hinc omnes gentes, ipsa duce natura, sacrificia obtulerunt vel vero Deo, ut *Abel*, *Cain*, *Noe*, *Abraham*, vel iis, quos falso Deum putabant, ut idololatrae. Ipse Deus in veteri lege sacrificia instituit. Si ergo Christiana religio vera est, verum etiam habere debet sacrificium. Quaerant autem haeretici, quodnam aliud esse possit praeter Eucharistiam; quod si non inveni-

ant, concedant necesse est, Eucharistiam verum esse sacrificium.

Prob. II. Ubicumque Christus est, ibi semetipsum Deo Patri offert, interpellans pro nobis, atque offerens Deo Patri sanguinem, quem in cruce pro nobis effudit; ut late prosequitur Apostolus in Epistola ad Hebraeos. Ergo si Christus in Eucharistia praesens est, ut concedunt Lutherani, et nos luculenter ostendimus contra Calvinistas, sequitur, Christum etiam in Eucharistia semetipsum Deo Patri offerre pro nobis, quod ad sacrificium sufficit, ut supra observavimus. Viderunt hoc ipsi Calvinistae, qui mirantur, Lutheranos veram Christi praesentiam in Eucharistia agnoscere, et tamen negare, eam esse sacrificium. Vide Bossuet *Histor. Variat.* Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Eucharistia Sacramentum est. Ergo non potest simul esse sacrificium. In sacramento enim Christi corpus a Deo nobis datur: in sacrificio vero Christi corpus Deo a nobis offertur; repugnat autem, idem a Deo nobis exhiberi, et a nobis Deo.

℟. *Dist. ant.* Est sacramentum cum sacrificio tam arcto nexu junctum, ut ab illo sejungi nequeat, *conc.* Secus, *neg.* Sicut enim in veteribus sacrificiis ideo offerentes de victimis immolatis comedebant, ut sacrificii essent participes, ita et in Eucharistia ideo fideles Christi corpus, et sanguinem sumunt, ut sacrificii perfectius sint participes, unumque corpus cum Christo, atque ejus membris effecti, Deo semetipsos offerant. Hinc in Eucharistia sacramenti ratio pendet a sacrificio. Quod autem dicitur, non posse idem a Deo nobis exhiberi, et a nobis Deo, id falsum est; quidquid enim Deo a nobis offertur, a Deo ipso nobis datur, *quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Rom.* XI. 36. (a).

Ob-

(a) Unde et Ecclesia in Liturgia ait: *Haec dona haec munera etc.* Et mox: *Offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis, ac datis Hostiam puram etc.*

Objic. II. Ad veram religionem sufficit sacrificium laudis, gratiarum actionis, orationis; imo Deus in Scripturis haec sacrificia se postulare dicit *Psal. XLIX. Immola Deo sacrificium laudis.* Et *Psal. L. Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Adde eleemosynas, et perfecta erit religio, ut *Jacobus* Apostolus nos docet *Jac. I. 27 Religio munda, et immaculata apud Deum, et Patrem haec est: visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo.* Ergo ex eo, quod religio Christiana vera est, perperam infertur, Eucharistiam verum, et proprium debere esse sacrificium.

℟. *Neg. ant.* Sunt enim illa quidem verae religionis munia, unde recte *Jacobus* officia charitatis ait, esse religionem mundam, et immaculatam apud Deum; sed non ait, ista sufficere. Quod vero Deus in Scripturis haec praesertim sacrificia bonorum operum exposcit, id non excludit vera sacrificia, quae ipse Deus offerenda praecepit, sed carnales Judaeos redarguit, qui externis sacrificiis unice intenti, de praecipuis erga Deum, et proximum officiis parum solliciti, in nefaria scelera ruebant, ut et apud Isaiam legitur *Cap. I.*

Objic. III. Ad verum, et proprium sacrificium necessaria est victimae mutatio, hoc est occisio, si victima vivens est. Atqui *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur Rom VI* 9. ideoque mutari non potest. Non est ergo Eucharistia verum sacrificium

℟. Ut ab hac difficultate se expedirent Theologi, varias iniere vias. 1.° *Magister Sententiarum* videtur docuisse, Christum eo sensu in Eucharistia mactari, quod repraesentatur ejus occisio in cruce facta; solent enim signa nomen rei significatae sortiri. Hanc sententiam *Franciscus Courayerus* avide arripiens docuit, etiam rejecta reali Christi praesentia in Eucharistia, constare posse sacrificium, cum etiam sine illa mors ejus representari possit, ideoque posse Anglos, aliosque Calvinistas agnoscere verum in Eucharistia sacrificium. In eum sensum trahere conatur Chrysostomum *Hom. XVII. in Epist. ad Hebr.* aliosque Patres,

imo et *Bossuetum*, aliosque Theologos, qui docent, Eucharistiam memoriam esse sacrificii crucis. Sed licet Eucharistiam esse memoriam cruenti illius sacrificii, cum omnibus Catholicis fateamur, idque ipso auctore Christo, qui ait; *hoc facite in meam commemorationem*; non tamen sola commemoratio ad veri sacrificii rationem sufficit, alioquin, inquit Estius *in* IV. *Dist.* XII. §. 12. pictura, vel actio scenica, Christi passionem repraesentans, proprie sacrificium diceretur.

2.° Alii cum *Estio* docent, in eo constare mutationem victimae in Eucharistia; quod consecratione panis, et vinum in corpus, et sanguinem Christi mutatur; neque vero inde sequi, panem, et vinum esse hujus sacrificii victimam, cum in hac mutatione spectandum potius sit id, in quod fit mutatio, quam id ex quo fit. Sed hoc durius videtur; ipsa enim res oblata, atque in agnitionem divinae majestatis destructa, victima sacrificii est, ideoque panis potius, quam corpus Christi victima esset sacrificii nostri, quod absurdum est.

3.° Alii docent, non esse necessariam ad sacrificium mortem victimae, cum etiam in veteri lege sacrificia incruenta similae, farinae, aliarumque rerum instituta sint. Haec tamen sententia stare non potest; licet enim in rebus inanimis constare sacrificium possit sine sanguine, non tamen sine alia destructione, cujus res illa capax est. At in victima vivente mutatio ad sacrificium necessaria nonnisi mors est ipsius victimae.

4.° Alii putant, sufficere ad verum sacrificium mysticam Christi mortem in Eucharistia. Etenim vi verborum consecrationis corpus a sanguine sejunctum ponitur in altari, in quo Christus exhibetur non ut vivens, sed ut occisus, ita ut si Christus posset, revera in Eucharistia moreretur. Quemadmodum, inquiunt, si Sacerdos in veteri lege talem victimae ictum inflixisset, qui illam posset occidere, jam verum sacrificium obtulisset, quamvis per miraculum victima non esset mortua. Sed verum, et reale Sacrificium, inquit *Bellarminus*, veram, et realem mortem, aut destructionem rei immolatae desiderat; ita ut si Sacerdos lethale vulnus victimae infligeret, quae tamen non moreretur, tunc non diceretur peracta reipsa occisio, sed voluntate sola.

5.°

5.° Ipse Bellarminus *Lib. I. de Sacr. Mis. Cap.* 27. in eo constituit sacrificium Eucharistiae, quod panis in corpus Christi mutatur, non quidem simpliciter (hoc enim non sufficere fatetur), sed in formam cibi, ideoque ad destructionem, seu ad *comestionem*, ut ait, dispositum. Quae quidem sententia non multum arridet: *Comestio* enim victimae sacrificium jam peractum sequitur, idque tantum praestat, ut fideles sacrificii participes perfectius fiant.

6.° Quapropter melius, nostra quidem sententia, respondent qui docent, veram quidem victimae occisionem, et mortem ad verum sacrificium esse necessariam, sed non item necesse esse, ut eodem simul temporis momento fiant oblatio, et *mactatio*, dummodo haec duo *moraliter* conjungantur sive oblatio antecedat, sive sequatur occisionem. Hoc posito, quod a nemine videtur negari posse, dicunt, veram Christi *mactationem* factam esse in cruce, ac proinde non esse necessarium, ut iterum victima occidatur, sed tantum, ut in altari sistatur, Deoque offeratur per actionem quae moraliter cum praecedenti mactatione conjuncta sit. Hoc autem fit consecratione, quae cum repraesentet corpus a sanguine sejunctum, moraliter conjuncta est cum occisione victimae. Itaque unicum sacrificium a Christo in cruce oblatum per Eucharistiae celebrationem fit perpetuum, a morte scilicet Christi usque ad consummationem saeculi.

Objic. IV. Si Eucharistia sacrificium esset, ipse Christus in ultima coena sacrificium obtulisset; idque omnes Catholici fatentur. Atqui hoc videtur absurdum; nam si tunc Christus sacrificium obtulisset, jam tum per sacrificium illud Deo Patri pro hominibus satisfecisset, ideoque supervacaneum fuisset sacrificium crucis; at Catholici omnes docent, Christum non per Eucharistiam, sed per crucem redemisse mundum. Ergo etc.

℟. *Neg. min.* Licet enim Christus quacumque oratione sua, utpote valoris infiniti, mundum potuisset redimere; tamen voluit, tum reliquas actiones, tum ipsum Eucharistiae sacrificium in ultima coena peractum pendere a sacrificio crucis, per quod genus humanum re-

redimere decreverat. Imo ex responsione paulo ante explicata, oblatio illa, quae in ultima coena facta est, praecessit occisionem, quae paulo post in Cruce facienda erat, et cum illa *moraliter* conjuncta fuit. Ceterum licet certum sit apud Catholicos, Christum in ultima coena sacrificium obtulisse, idque etiam Concilium Tridentinum declaraverit *Sess. XXII. Cap* 2. tamen non est aeque exploratum, utrum sacrificium illud fuerit propitiatorium, an Eucharisticum dumtaxat, qua de re acris extitit in eo Concilio controversia, quam definire Patres noluerunt, ut Pallavicinus *Lib. XVIII. Hist. Cap.* 2. auctor est.

Corollaria.

I. Ex dictis in responsione ad 3m. *Object.* facile est definire, in quanam Liturgiae parte potissimum natura sacrificii Eucharistiae sita sit, qua de re varia Theologi opinati sunt. Cum enim quatuor sint praecipuae Liturgiae partes, oblatio panis, consecratio, fractio hostiae, et communio; constat 1.° Sacrificii naturam non esse positam in oblatione, nam oblatio, quae consecrationem praecedit, non est sacrificium, cum nondum praesens sit Christi corpus, quod in hoc sacrificio offertur, sed tantum sacrificii praeparatio ab Ecclesia instituta; quae vero consecrationem sequitur oblatio, nullam in victima mutationem facit. Constat 2.° nec in hostiae fractione positum esse sacrificium, quia etsi hostia ante fractionem casu in calicem deciderit ratum tamen sacrificium est. Constat 3.° nec in communione naturam sacrificii sitam esse, licet ea ad integritatem sacrificii pertineat, et jure divino, et Ecclesiastico. Sacerdoti celebranti praecepta sit: communio enim non sacrificium, sed sacrificii jam peracti participatio est. Restat ergo, ut in sola consecratione sacrificium Eucharistiae positum sit. Per eam enim victima in altari Deo sistitur, eique offertur, scilicet Christus ipse non verbis, sed reipsa *mystice* mutatur, cum corpus a sanguine vi verborum separetur; per hanc autem *mysticam* separationem oblatio haec, quae in consecratione fit, *moraliter* conjungitur cum vera, ac reali *mactatione*, quae in cruce facta est. Reliquae Liturgiae partes ad integritatem quidem sacrificii per-

tinent, non ad essentiam. Hinc Gregorius Nyssenus *Orat. I. de Resurr. Christi*: *Cum corpus*, inquit, *suum discipulis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit, agni sacrificium jam esse peractum. Nam victimae corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum corpus edendum, et sanguinem bibendum discipulis exhibuit, jam arcana, et non aspectabili ratione corpus erat immolatum.* Idem docent Chrysostomus *Homil. de prod. Jud.* Irenaeus *Lib. IV. Cap.* 32.

II. Ergo Missa *Praesanctificatorum*, quae apud Latinos in die *Parasceves*, apud Graecos toto ferme Quadragesimae tempore celebratur, verum sacrificium non est, sed hesterni sacrificii complementum, ideoque sacrificium dicitur vel improprie, vel per relationem, quam habet ad sacrificium pridie oblatum.

III. Unum est ergo sacrificium, nempe sacrificium crucis, unus Sacerdos, nempe Christus, qui sacrificium illud perpetuo offert ipse per se in caelis, in terris vero per manus, et os Sacerdotum, quibus tamquam ministris utitur ad sistendum in altaribus seipsum in cruce immolatum. Deus ergo unus, unus Sacerdos, hostia una, unum sacrificium, una Ecclesia. Hinc Concilium Trident. ait *Sess. XXII. Cap.* 2. Sacrificium Missae esse idem cum sacrificio crucis, *sola offerendi ratione diversa*, et in sacrificio Missae Christum esse primarium offerentem, quia ejus virtute mutatio fit panis in Corpus, et vini in Sanguinem suum; ita ut sicut in sacrificio crucis, sic et in Missa Christus sit Sacerdos et victima.

IV. Disputatum est inter Theologos, utrum utriusque speciei consecratio ad sacrificium necessaria sit. Et quidem de necessitate praecepti divini nulla potest esse controversia, cum Christus Apostolis praeceperit: *Hoc facite*, quod scilicet ipse fecit. In hoc Theologi omnes consentiunt, paucis exceptis, ut est *Hadrianus, Major, Claudius Sanctesius*, qui volunt, utriusque speciei consecrationem esse necessariam ex praecepto tantum Ecclesiastico. Sed quaestio est, utrum necessaria sit ad naturam et valorem sacrificii. Affirmant *Sylvius, Tournely, Habert*, aliique recentiores post S. Thomam 3. *P. Q. LXXX. art.* 12. *ad* 3. *et al.* eo

quod

quod consecratio utriusque speciei perfecte repraesentet sacrificium crucis, in quo sanguis a corpore Christi separatus est. Negant vero *Jueninus*, aliique. Porro ex iis, quae dicta sunt, videtur res non adeo certa. Nam etiam per unius speciei consecrationem corpus Christi sistitur praesens in altari, ideoque Deo offertur, et repraesentatur saltem imperfecte mors Christi, cum vi verborum corpus sine sanguine exhibeatur.

V. Quoniam in consecratione posita est sacrificii natura; sacrificium autem jure divino debet esse perfectum, hinc sequitur, multa, quae Sacerdotem praecepto Ecclesiastico a celebrando impediunt ante consecrationem; consecratione tamen peracta, non impedire quominus usque ad finem prosequatur. Sic si quis, inchoata missa, meminerit, se non esse jejunum, ante consecrationem cessare debet (modo absit populi scandalum); perfecta consecratione prosequi. Si excommunicatus vitandus sacro adsit, nec expelli possit, ante consecrationem cessandum est, post consecrationem minime. Si Sacerdos morbo correptus absolvere Missam nequeat, si id ante consecrationem accidat, non est Missa ab alio Sacerdote absolvenda; si post consecrationem, missa omnino ab alio Sacerdote, etiam non jejuno (si jejunus haberi non possit) perficienda est. Si post consecrationem Sacerdos advertat, aquam, aliumve liquorem consecrationi ineptum pro vino esse calici infusum, omnino apponi debet vinum, consecrandumque, incipiendo ab iis verbis: *Simili modo etc.* quodsi id advertat post sumptionem calicis, S. Thomas 3 *P. Q. LXXXIII. art.* 6. *ad* 4 censet, rursus aliam hostiam, et vinum apponendum esse, resumendumque sacrificium ab iis verbis: *Qui pridie quam pateretur.* Sed si id sine populi scandalo fieri non possit, uti poterit sententia Scoti *in IV. Dist. VIII. q.* 4. hoc est, apposito tantum vino, illud offerre, consecrare, et sumere. Vide Benedictum XIV. *De Sacrif. Miss. sect. II. Cap.* 5. idque Rubricae Missalis sub *Clemente VIII.* editae agendum docent.

CAP.

CAP. III.

Quale Sacrificium sit Eucharistia.

Adv. CUm Sacrificium quadruplex sit, ut supra diximus, *Latreuticum*, *Eucharisticum*, *Propitiatorium*, *Impetratorium*, facile concederent Novatores, Eucharistiam dici sacrificium latreuticum, et Eucharisticum, latiori tamen significatione, cum in celebratione Sacramenti Deo exhibeatur honos, eique gratiae a fidelibus pro tanto beneficio agantur. Sed propitiatorium, et impetratorium dici sacrificium omnino negant.

PROPOSITIO I.

Eucharistiae Sacrificium propitiatorium, et impetratorium esse, dogma fidei est.

Prob. 1a. pars. I. ex Scripturis. Ipse Christus Eucharistiam instituens ait *Luc. XXII. 19. Hoc est corpus meum, quod pro nobis datur. Matth. XXVI. 28. Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo sacrificium a Christo in ultima coena peractum revera propitiatorium fuit, licet pendens a sacrificio crucis, ideoque etiam sacrificium, quod in novo testamento a Sacerdotibus offertur; cum Christus Apostolis id faciendum praeceperit, quod ipse fecit.

Prob. II. ex PP. Cyrillus Hieros. *Catech. V. Mystag. Confectum est*, inquit, *illud spiritale sacrificium, et ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia ... Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis, et illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.* Idem docent Ambrosius *Lib. I. de Off. Cap. 48.* Augustinus *Quaest. LVII in Levit.* nec non Liturgiae omnes. Ergo si qua restaret ratio dubitandi, utrum sacrificium a Christo in coena oblatum fuerit propitiatorium, quod Tridentini Patres definire noluerunt; ex traditione tamen

men constat, illud a Christo ita institutum, ut ab Ecclesia tamquam propitiatorium offerretur.

Prob. III. ratione. 1.° Sacrificia legis tum naturae, tum Mosaicae sine dubio propitiatoria erant, eo quod sacrificium crucis adumbrabant. Ergo a fortiori Sacrificium Eucharistiae quod est in nova lege unicum, ne aut majora fuisse dicamus in lege veteri adjumenta salutis, aut umbras magis valuisse, quam veritas. 2.° Concedunt Novatores, Eucharistiam in remissionem peccatorum etiam gravium institutam esse; atqui talis non est ut Sacramentum, ut supra ostendimus; ergo ut sacrificium. 3.° Ubicumque Christus est, propitiator est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi *I. Joan. II. 2.* Sed in Eucharistia Christus est Sacerdos, et victima Ergo etc.

Hinc merito Tridentinum *Sess. XXII. Cap. 2. Et quoniam*, inquit, *in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet Sancta Synodus, Sacrificium istud vere esse propitiatorium, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, et recta fide, cum metu, et reverentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in tempore opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, et donum poenitentiae concedens, crimina, et peccata, etiam ingentia dimittit.* Et *Can. 3. Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis, et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis, et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Prob. 2a pars ex perpetua Ecclesiae traditione. 1.° Tertullianus *Lib. ad Scapul. Cap. 2. Sacrificamus*, inquit, *pro salute Imperatoris.* 2.° Cyrillus Hieros. *Catech. V. Mystag. Postquam confectum est illud spiritale sacrificium ... obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro sociis, pro aegrotis, pro afflictis; et in summa pro iis omnibus, qui egent auxilio.* 4.° Idem ha-

bent Liturgiae omnes Ecclesiae universae, tum orientalis, tum occidentalis. Ergo etc.

Dices 1.° Haec doctrina injuriosa est sacrificio crucis, cujus proprium est, et singulare, ut sit *propitiatorium*, et *impetratorium*. Quod si dicas, per sacrificium Missae virtutem in nos sacrificii crucis derivari, id inutilia reddit Sacramenta, quae ob id a Christo instituta sunt, ut fructus passionis ejus ad nos perveniant. Ergo etc.

℟. *Neg. ant.* Quod enim ad primum attinet, sacrificium Missae a sacrificio crucis vim propitiationis, et impetrationis accipit, cum sit idem sacrificium crucis perpetuo oblatum ad derivandum in homines illius fructus. Quod vero spectat ad alterum, 1.° voluit Christus, ut multiplex passionis ejus fructus diverso modo derivaretur in homines per sacramenta, ac per sacrificium; illa enim tantummodo sumentibus prosunt; hoc etiam absentibus. 2.° tantum abest, ut sacrificium inutilia reddat sacramenta, quin potius per illud impetratur gratia, homines disponens ad recipienda utiliter sacramenta.

Dices 2.° Absurdum est, et contra rectum ordinem, rem infinitae dignitatis offerre ad rem viliorem consequendam. At quidquid per Christi oblationem a Deo postulamus, minus est Christo, praesertim si sint bona temporalia. Ergo.

℟. *Neg. min.* Non enim aliud a Deo postulamus, si recte postulamus, nisi ipsum Deum, ad quem pervenire exoptamus per gratiam, aliaque adjumenta, etiam temporalia, si id saluti nostrae expediat.

Scholion.

Cum in peccato duo spectari possint, culpa, et reatus poenae; quoad culpam quidem sacrificium Eucharistiae propitiatorium non est eo sensu, quasi *ἀμέσως immediate* illam remittat, et deleat; hoc enim proprium est Baptismi, et Poenitentiae; sed quod hujus sacrificii oblatione placatus Dominus gratiam contritionis concedit, qua homo justificatur. Poenam vero Sacrificium

eium, hoc immediate remittit, non quidem totam, sed pro hominum dispositione.

PROPOSITIO II.

Est etiam Sacrificium Missae Latreuticum, et Eucharisticum. Est dogma fidei.

Prob. Non potest melius supremum Dei in res omnes dominium ostendi, nec melius ei pro beneficiis gratia referri, quam offerendo illi Unigenitum ejus filium infinitae dignitatis. Atqui etc. Ergo etc.

CAP. IV.

De valore, seu virtute Sacrificii Missae, ejusque effectu.

Adv. I. Valor, seu virtus sacrificii est potentia, quam ex natura sua habet spiritales effectus producendi. Valor itaque sacrificii ab ejus effectu distinguendus est.

II. Quaeritur ergo inter Theologos, utrum valor sacrificii Eucharistiae infinitus sit, an finitus. Et quidem certum est, ipsam Sacrificii hostiam; Corpus scilicet, et sanguinem Christi infinitae esse dignitatis, sed in eo vertitur disputationis cardo, utrum voluerit Christus, ut ipsa actio, per quam Corpus suum offertur, infiniti valoris esset, ita ut quantumcumque augeatur eorum numerus, pro quibus offertur, et quantumvis eorum perficiatur dispositio, majorem semper effectum possit producere, an vero voluerit, ut finitus sit ejus valor, ita ut minus efficiat, si pro pluribus, ac si pro uno offeratur. *Scotus*, et post eum *Suarez Disp. LXXIX Sect.* 12. aliique contendunt, Sacrificii valorem esse finitum. *Cajetanus Richardus, Canus, Vasquez*, aliique volunt esse infinitum; effectum tamen pro varia hominum dispositione producere finitum. Differentiam ergo inter valorem, et effectum, *Bellarminus* cum aliis non advertens *Lib. II. de Sacr. Miss.*

Miss. Cap. 4. sit, valorem sacrificii *ex communi Theologorum sententia* esse finitum.

III. Illud etiam quaesitum est, utrum sacrificium suos effectus edat *ex opere operato*, an *ex opere operantis.*

PROPOSITIO I.

Valor Sacrificii Eucharistiae infinitus est, effectus vero finitus.

Prob. 1a. *pars.* 1.° Sacrificium Missae idem est cum sacrificio crucis, ut supra diximus. At nemo negat, illud esse valoris infiniti. Ergo etc. Si finitus esset ejus valor, optandum esset fidelibus missae adstantibus, ut pauci ad eam Missam convenirent, ne in plures distributus ejus fructus, minor esset in singulis, quod absurdissimum esse, patet ex ipso Ecclesiae sensu, quae optat, ut fideles omnes ad Parochialem Missam conveniant. 3.° Sacerdos etsi ab uno stipendium acceperit, pro omnibus tamen vivis, et defunctis sacrificium offert, quod injustum esset, si ejus valor esset finitus. Ergo.

Prob. 2a. *pars.* Effectus sacrificii in subjecto producitur pro ejus dispositione. At nec subjectum infinitum est, nec infinita ejus dispositio. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Damnata est in Constantiensi Concilio ea *Wicleffi* propositio *n.*° *XIX. Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel Religiosos non plus prosunt eidem, quam generales, ceteris paribus.* Atqui hoc sequeretur ex nostra sententia; si enim Missae valor infinitus est, non plus prodest ei, qui stipendium obtulit, quam ceteris. Ergo.

℟. *Neg. min.* Etsi enim infinitus est Missae valor, effectus tamen producit varios pro dispositione *subjecti.* Porro qui stipendium obtulit, melius ceteris dispositus est, quia majorem ipse actu suo fidem, et devotionem ostendit.

Objic

Objic. II. Damnata est ab *Alexandro VII.* illa quorundam *Casuistarum* thesis: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre.* Atqui thesis illa verissima esset, si valor sacrificii esset infinitus: nemini enim noceret sacrificium unum offerre pro pluribus. Ergo etc.

℟. *Neg. min. et suppositum.* Stipendium enim, ut suo loco dicemus, non datur pro sacrificii pretio, quod *Simoniacum* esset, sed pro sustentatione ministri. Cum ergo minister sustentationem suam accepit ab uno, nullo justo titulo acciperet ab alio, quem etiam mendaci promissione deciperet.

Objic. III. Distinguunt vulgo Theologi sacrificii fructum in *generalem* pro tota Ecclesia, *specialem* pro eo, qui stipendium obtulit, *specialissimum* pro ipso Sacerdote. Sed haec distinctio evanescit, ubi valor sacrificii ponitur infinitus. Nam licet fructus, qui in Sacerdotem redundat, adhuc distinguatur ab eo, qui ad alios pertinet; tamen nulla distinctio est inter generalem, et specialem fructum; cum infinita virtus in omnes manet pro varia hominum dispositione.

℟. *Neg. min.* In eo enim adhuc constat illa distinctio, quia is, qui stipem erogavit, melius, quam alii dispositus est.

PROPOSITIO II.

Missae Sacrificium effectus suos producit ex opere operato.

Prob. Illud *ex opere operato* effectum producit, quod non ex fide, et sanctitate ministri, sed ex propria virtute operandi vim habet. Sed tale est Missae sacrificium. *Haec enim illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentis inquinari potest*, ut ait Tridentinum *Sess. XXII. Cap.* 1. Quippe in hoc Sacrificio Christus primarius Sacerdos, idemque victima Deo acceptissima est ex sua ipsius dignitate, quantacumque fuerit ministrantis improbitas; magnaque esset totius Ecclesiae perturbatio, si fideles, antequam aut stipendium darent, aut sacrificio adessent, judicare de-

de-

Digitized by Google

berent, quis improbus, quis bonus, quis minor sit minister, ex quo ingens malorum seges oriretur. Ergo etc.

Objic. Quod agit ex opere operato, certissimum semper habet effectum. Atqui experientia constat, pro multis offerri sacrificium, qui nihil inde emolumenti spiritalis accipiunt. Saepe enim pro peccatoribus, ut convertantur, sacrificium offertur, qui tamen in peccato obdurati moriuntur. Ergo,

℟· *Dist. maj.* Si *subjectum* sit dispositum, *conc.* Secus, *neg.* Nam etsi sacramenta, ut supra diximus, *ex opere operato* agunt, suas tamen in subjecto dispositiones requirunt.

Inst. 1. Sacrificium Missae *propitiatorium* est, ac proinde ejus est virtutis, ut ipsas auferat contrarias hominis dispositiones, ideo enim pro peccatoribus etiam obduratis offertur, ut auferatur ab eis cor lapideum. Ergo si *ex opere operato* ageret, certissimum semper haberet effectum.

℟. *Dist. ant.* Si contrariae dispositiones nondum ad eum gradum pervenerint, in quo Deus se non amplius propitium fore decrevit, *conc.* Secus, *neg.* Cum solus noverit Deus gratiae, et misericordiae mensuram, qua erga varios peccatores uti ab aeterno decrevit, nescimus utrum peccata hominis, ejusque obduratio ad eum pervenerit gradum, et cumulum, in quo Deus placari amplius nolit. Si enim eo jam pervenit, non aufert sacrificium, contrariam illam dispositionem.

Inst. 2.° Si Sacrificium Missae ex *opere operato* ageret, homini justo, in quo utique recta animi dispositio est, totam simul peccati poenam remitteret; ideoque unum sacrificium, utpote infiniti valoris, ad omnes simul *Purgatorii* animas statim liberandas sufficeret; quod Ecclesiae sensui manifeste adversatur. Ergo etc.

Neg. ant. Nam etiam in justis hominibus, et in animabus in *Purgatorio* patientibus varia est dispositio, ex quo fit, ut non tota simul iis poena remittatur, ideoque sacrificia pro eis plura offerri juvat. Dispositio autem illa in justis viventibus ex vario charitatis

ritatis gradu repetenda est, in defunctis vero ex vario eorum merito, quod dum viverent, compararunt. Praesertim qui magis solliciti in animabus defunctorum sublevandis fuerunt; aequum est, ut in eos magis sacrificii virtus derivetur.

CAP. V.

De Ministro Sacrificii Eucharistiae

Adv. I. Christum esse in sacrificio missae primarium Sacerdotem, atque offerentem, qui divina virtute panem, et vinum in corpus, et sanguinem suum mutans in altari se sistit, Deoque offert, jam observavimus. De secundario igitur ministro hic instituitur quaestio.

II. Jam supra diximus, Sacrificium requirere legitimum ministrum: cumque in consecratione natura sacrificii Eucharistiae sita sit, idem est minister sacrificii missae, qui et Eucharistiae consecrandae. Quapropter cum jam supra docuerimus, agentes de Eucharistia, ut sacramentum est, solos Sacerdotes rite ordinatos posse illam consecrare, jam nihil addendum est de legitimo Sacrificii Missae ministro.

III. Est tamen hic expendendum, utrum Sacerdos rite ordinatus, etsi curam animarum non habeat (his enim certum est, esse praeceptum celebrare *pro populo* in Dominicis, festisque diebus, et praeterea frequentius prout ovium necessitas, vel pietas postulat) teneatur Sacrificium offerre, et quando. Deinde quaenam in Sacerdote dispositiones ad celebrandum requirantur. Denique utrum possit Sacerdos una, eademque die pluries sacrificium offerre.

PRO-

PROPOSITIO I.

Sacerdos etsi a cura animarum vacuus, graviter peccat, si numquam celebret, aut fere numquam.

Prob. cont. Cajetanum in 3. *P.Q.LXXXII. art.* 10. auctorem contrariae sententiae, quae tamen jussu *Pii V.* ex ejus operibus expuncta est. 1.° Christus Apostolos novi testamenti Sacerdos constituens, praecepit, ut offerrent illis verbis: *Hoc facite.* 2.° Apostolus *Heb. V.* 1. de omnibus sacerdotibus loquens ait: *Omnis Pontifex ex omnibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* 3.° Non alium ob finem potestatem offerendi in ordinatione accipit Sacerdos, nisi ut offerat. Ergo hac potestate non utens similis est servo, qui talentum a Domino acceptum abscondit.

Dices. V. Hieronymus etsi Presbyter, ob reverentiam, et humilitatem Missam celebrare numquam voluit. Quidni ergo et alii poterunt tantum virum imitari?

℟. *Transeat ant.* quod certum non est. *Neg. cons.* Paucorum enim exemplum, quos pro insigni sanctitate putamus extra ordinem spiritu Dei motos, patrocinium negligentiae aliorum esse non debet.

Q. I. *Quoties Sacerdos celebrare teneatur?*

℟. Praecepto quidem divino id non esse definitum, sed Ecclesia 1.° in Concil. Lateranensi IV. *Cap. Dolentes (De Cel. Miss.) Dolentes,* inquit, *referimus ... Sunt qui Missarum sollemnia vix celebrant quater in anno, et quod deterius est, interesse contemnunt .... Haec igitur, et similia sub poena suspensionis inhibemus.* Gravem ergo culpam esse vix quater in anno celebrare, ex gravitate poenae arguitur. 2.° in Concil. Trident., *Sess. XXIII. cap.* 14. *de Ref. Curet,* inquit, *Episcopus, ut ii* (Sacerdotes) *saltem Dominicis, et festis sollemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant; missam celebrent.* Quae verba, etsi non praecipiunt Sacerdotibus, ut singulis festis celebrent, sed Episcopis, ut curent, eos illis diebus celebrare; tamen indicant, id esse saltem eorum mu-

muneri consentaneum, sicut consentaneum est, ut Episcopi quotidie celebrent (*Cap. ult. de priv. in* 6.) nisi justa de causa impediantur.

Q. II. *Estne laudabile, simplicem Sacerdotem quotidie celebrare?*

R. Valde laudabile est, si quotidie recte sit dispositus; quod tamen fortasse paucorum est. Celebris est sententia Bonaventurae *Lib. de praep. ad Miss. cap.* 5. *Cum Sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc quantum in ipso est privat Trinitatem laude, et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, justos subsidio, et gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi speciali beneficio, et seipsum medicina, et remedio contra quotidiana peccata, et infirmitates. Item noc complet sibi injunctum magnae dignitatis obsequium, nec officium exercet debitae servitutis Dei, et tamen scriptum est: Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Non tamen culpandi qui ob reverentiam, et metum, ne frequentia negligentiam pariat, aliquando a sacrificio abstinent.

Q. III. *Potest Sacerdos Missam celebrare privatam, ubi nemo est, qui adsit, praeter ministrum, aut nemo eorum, qui adsunt, communionem accipiat?*

R. Sex modis, ut observat Bellarminus *Lib. II. de Sacr. Miss.* Missam dici posse privatam 1.° propter locum, sive oratorium privatum. 2.° propter tempus, diem scilicet profestum. 3.° propter finem, quia scilicet pro privatis offertur. 4.° propter populi infrequentiam, quia praeter Sacerdotem, et ministrum, nemo est qui adsit. 5.° propter sollemnitatis defectum, ut missae omnes praeter conventualem, et sollemnem. 6.° quia nemo est praeter Sacerdotem, qui communicet.

Priores quatuor Missarum privatarum species nulla ratione Novatores redarguunt. Nam 1.° Christus in privata domo sacrificium celebravit, idque semper servavit Ecclesia vel urgente persecutione, vel alia laudabili ex causa. 2.° Diebus profestis offerre sacrificium quid vetat? cum ipse Deus in veteri lege juge sacrificium quotidie celebrandum instituerit, et Ecclesia semper sacrificium quotidie celebraverit. 3.° pro pri-

va-

vata causa offerri sacrificium in veteri lege voluit Deus nempe pro ipso sacerdote, aut aliis offerentibus pro se victimas; in nova vero habemus locupletissimum testem Augustinum, qui refert *Lib. IX. Confes. cap.* 12. pro Matre sua *Monica* oblatum esse sacrificium. Ceterum ita hae missae pro uno celebrantur, ut non omittatur etiam offerri pro omnibus. 4.° De populi infrequentia nihil est, quod item intendant; minister enim totius Ecclesiae personam gerit. Adsint vero plures, vel pauciores, parum refert.

Restant ergo duae Missarum privatarum species, in quas caeco furore debacchantur, nempe multiplicatae missae praeter sollemnem; et illae, in quibus praeter sacerdotem nemo communicat. Sed quod ad primum attinet, licet fateamur, saepe in multiplicatis hisce missis peccari vitio Sacerdotum; tamen negari non potest, vel a primis saeculis, aucto fidelium numero, auctum etiam numerum et Sacerdotum, et missarum, cum non possent omnes simul eadem hora ad idem sacrificium convenire. Quod vero pertinet ad Missas, in quibus nemo Eucharistiam sumit, *optaret quidem Sancta Sinodus*, inquit Tridentinum *Sess. XXII. cap.* 6. *ut singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent*; id tamen nunquam lege sancitum est. Nam 1.° *Can. VIII. Apostol.* permittitur, ut fideles Missae adstantes justa de causa a communione abstineant. 2.° Vetustissimus mos est, in die Nativitatis tres Missas a singulis celebrari Sacerdotibus, et tamen fideles, etsi tribus adstantes Missis, nonnisi in una communicare poterant. 3.° Chrysostomus *Hom. III. in Epist. ad Ephesios*, ad excitandam fidelium socordiam conqueritur, aetate sua saepe fideles nullos communionem in Missa accipere, et tamen nec ipse, nec alii Sacerdotes a sacrificando cessarunt. 4.° ut reliqua omittamus, de quibus consulatur *Bellarminus*, numquid quia fideles tepidi sunt, Sacerdos seipsum spirituali cibo, et totam Ecclesiam fructibus sacrificii uberrimis fraudare debet?

Opponunt, Christum in ultima coena dixisse Apostolis: *Hoc facite*; hoc est Eucharistiam distribuite, sicut ego distribui vobis. Sed non dixit Christus; si nemo Eucharistiam accipere paratus est, nec vos illam accipite, nec sacrificium offerte. Praecepit ergo Christus, ut Apostoli facerent quod ipse fecit, si operis substantiam spectes; circumstantias vero Ecclesiae regimini reliquit, alioquin Eucharistia nonnisi vespere, et quidem post coenam celebrari posset, si omnia servanda essent Eucharistiae adjuncta, quae Christus servavit.

Ajunt, Eucharistiam institutam esse, ut spiritale convivium, ideoque non celebrandam ubi convivae desunt. Sed 1.° rectius dicerent, eam institutam esse ut sacrificium, cui semper tota Ecclesia spiritaliter adest. 2.° etiam in privatis Missis conviva non deest, ipse nempe Sacerdos, qui in fine communionem accipit. Vide haec fusius apud Bellarminum *loc. cit.* Sanderum in Tract. de *Miss. priv.* Cla. Espencaeum *De Miss. priv. et pub.*

Q. IV. *Quidnam sint Missae siccae, et utrum tolerandae.*

R. *Missae siccae* dicuntur, ubi omnia peraguntur, et recitantur praeter canonem. Hujusmodi Missas fictitias esse constat, cum in consecratione natura sacrificii posita sit; quapropter eas summi Theologi. *Estius*, *Sylvius*, aliique graviter reprehendunt. Nulla tamen generali Ecclesiae lege vetitae sunt; ideoque *Meratus*, aliique ex Episcopi venia celebrari posse docent; sed satius esset alias orationes recitare, quam Sacerdotem totum instruere Sacrificii apparatum, atque omnia recitare, quae ad Sacrificium referuntur, dum tamen verum sacrificium non offert.

PROPOSITIO II.

Praeter dispositiones, quae ad Eucharistiam accipiendam necessariae sunt, plures aliae ad sacrificium offerendum requiruntur.

Prob. 1*a. pars.* Sacerdos offerens, in fine corpus, et sanguinem Christi manducat, et bibit. Requiruntur ergo in eo omnes illae dispositiones, quas ad accipiendam Eucharistiam necessarias esse, supra diximus.

Prob. 2*a. pars.* Sacrificium externum, ut inquit *Augustinus*, sacrificii interni sacramentum, idest sacrum signum est. Qui ergo sacrificium offert, curare debet ut id faciat interius, quod exterius gerit; hoc est offerat semetipsum Deo oblationem, et hostiam in odorem suavitatis, et hoc sentiat in seipso, quod et in Christo Jesu, quem Deo offert. Sicut ergo Christus in seipso nihil reliquum habuit omnino sive in animo, sive in corpore, quod non fuerit Deo Patri immolatum in sacrificio crucis, quod Sacerdos in Missa offert, ita ipse Sacerdos sibi ipsi, et mundo perfecte mortuus, exhibere se debet Deo in holocaustum, et oblationem *latreuticam* pro supremo Dei jure, et in res omnes dominatu, *eucharisticam* in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo in creaturas omnes effusis, *propitiatoriam* pro peccatis totius mundi, *impetratoriam* pro novis a Deo obtinendis auxiliis, quibus omnes Christo perfecte in aeternum conjuncti, Deo Patri fiant oblatio munda, et sacrificium acceptissimum. Videriut ergo Sacerdotes, qui hoc Sacrificium quotidie peragunt, si eo modo affecti ad altare accedant. Deus enim non irridetur.

PRO-

PROPOSITIO III.

Quamvis olim non esset vetitum, si qua esset necessitas, unum Sacerdotem plures in die celebrare Missas, hodie duabus tantum de caussis id licet, nempe in festo Nativitatis Domini, et in angustiis, in quibus Parochus duas Ecclesias regat, adeo inter se dissitas, ut non possint utriusque Ecclesiae fideles in diebus sollemnibus sacrificio adesse.

Prob. 1a pars. Valafridus Strabo *Lib. de Rebus Eccles. Cap.* 21. auctor est, *Leonem III.* Pontificem una die septies, vel novies Missam celebrare. Et *Robertus* Archidiaconus de *S. Alberto* monacho refert, eum duas in die missas celebrasse, alteram pro vivis, alteram pro defunctis. Vide *Benedictum XIV*, erudite hac de re disserentem *Lib. De Sacrif. Miss. Sect. II. Cap.* 1. §. 2.

Prob. 2a. pars. ex decreto *Alexandri II.* quod Ecclesiae jam universae consuetudine receptum est. *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare Can. sufficit de Consecr. Dist.* 1. Idem statuunt Honorius III. *Cap. Referent. De Celebr. Missarum*, ubi ait: *Valde felix qui celebrat digne unam* Et Innocentius III. *Cap. Consuluisti.* (*Eod. tit.*) *Excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.*

Prob. 3a. pars. De festo Nativitatis Domini nulla est controversia, cum *Innocentius* III et Ecclesiae consuetudo eo die tres Missas celebrare Sacerdoti permittat. De Parocho vero duas Ecclesias valde dissitas regente, ubi nullus alius est Sacerdos, quod in regionibus infidelium frequenter accidit, res est apud omnes Theologos explorata. Laudati enim Pontifices in decreto supra laudato caussam necessitatis excipiunt. At nulla gravior videri potest necessitas, quam quae posita est de Parocho, duas Ecclesias valde dissitas regente. Hinc Theologi rejectis aliis caussis, quas veteres recensuit, nempe si magnus Princeps, vel Episco-

scopus adveniat, si viaticum infirmo deferendum sit etc. eam solam agnoscant necessitatem duas celebrandi missas, quam diximus de Parocho. Vide eundem *Benedictum XIV. ibidem.* Semper autem cavere debet Sacerdos, ne in prima Missa ablutionem calicis sumat; alioquin utpote non jejunus aliam celebrare ex graviori Ecclesiae praecepto non poterit.

Scholion.

In Regno Arogoniae in Hispania ex veteri privilegio, vel consuetudine quilibet Sacerdos in die *Commemorationis defunctorum* duas celebrat missas, Regularis tres. Vide eundem *Benedictum XIV.*

Q. *Utrum Sacerdos possit sine ministro respondente celebrare.*

℟. Hunc abusum olim fuisse vetitum in Concil. Basileensi *Sess.* XXI. licet in quibusdam Germaniae pagis diu perduraverit. Praestat igitur a sacro abstinere, quam sine ministro, aut ministrante muliere, celebrare (quod posterius graviter prohibetur *Cap. I. De Cohabit. Cleric.* nisi quod possent *Moniales* ex choro repondere, dum alius ad altare sacerdoti ministrat). Excipit *Soto* caussam necessitatis, si viaticum moribundo sit praebendum, si Sacerdos non posset aliter praecepto satisfacere audiendi Missam. Sed alii contra negant, ulla ex caussa sine ministro celebrari posse.

C A P. VI.

De Subjecto Sacrificii Missae.

Adv. Nomine *subjecti* intelligimus eos, pro quibus sacrificium offerri queat. Quaestio autem moveri potest vel de vivis, scilicet infidelibus, haereticis, excommunicatis, fidelibus justis, et peccatoribus; vel de defunctis sive jam damnatis, sive in Purgatorio patientibus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Missae sacrificium offerri licet pro omnibus fidelibus sive justis, sive peccatoribus, imo et pro infidelibus, seu non baptizatis, at non licet illud directe offerri pro haereticis, et publice excommunicatis.

Prob. 1*a. pars.* Ipse Christus hoc sacrificium instituit in remissionem peccatorum. Ergo saltem pro peccatoribus fidelibus, et a fortiori pro justis offerri sacrificium licet; pro justis quidem, ut in gratia perseverent, et crescant; pro peccatoribus vero, ut resipiscant. Unde Ecclesia in Canone Deum alloquens ait: *Quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica ... et omnibus orthodoxis, atque catholicae, et Apostolicae fidei cultoribus*, quibus verbis fideles omnes sive justos, sive peccatores complectitur.

Prob. 2*a. pars* 1.° In veteri lege sacrificium pro regibus infidelibus oblatum legimus, ut pro Dario *I. Esdrae* VI. 10 imo et pro salute Heliodori II. *Machab. III.* 32. 2.° Apostolus I. *Tim. II.* 1. *Obsecro*, inquit, *fieri obsecrationes ... pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt*; qui scilicet tunc erant idololatrae. Has autem orationes praecipue in sacrificio factas esse, multi Patres affirmant. 3.° Tertullianus *Lib. ad Scapul. Sacrificamus pro salute Imperatoris.* Nulla autem generali Ecclesiae lege id postea vetitum legimus. Non est igitur illicitum pro non baptizatis offerre sacrificium, ut convertantur ad fidem.

Prob. 3*a. pars.* Ecclesia haereticos, et excommunicatos a suis orationibus, et suffragiis excludit, ut declarat Innocentius III. *Cap. A nobis. De Sent. excom.* Ergo non licet directe pro iis sacrificium offerri. Diximus autem *directe*, quia indirecte pro iis offerri licet, quatenus scilicet pro Ecclesiae dilatatione, et extirpatione haeresum offertur. Imo licet Sacerdoti sacrum facienti toto mentis affectu pro iis orare, modo eorum nomina in sacrificio non recitet; hoc enim, quia signum

so-

societatis, et communionis esset, Ecclesia semper prohibuit.

PROPOSITIO II.

Pro defunctis in purgatorio igne patientibus offerre sacrificium licet, pro damnatis vero nullo modo. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* Judas Machabaeus *II. Machab. XII.* 43. *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacricium.* Quem in locum Augustinus *Lib. de Cura pro mortuis*: *In Machabaeorum*, inquit *Libro legimus, oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur; non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas; ubi in precibus Sacerdotis, quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.* Adde Patrum unanimem in hac traditione consensum. Unde merito Tridentinum *Sess. XXII. can.* 3 definivit: *Si quis dixerit, Missae sacrificium... neque pro vivis, et defunctis offerri debere, anathema sit.*

Prob. 2a. *pars.* Pro iis sacrificium offerri non potest, pro quibus nulla redemtio est, et qui nullum ex sacrificio fructum possunt accipere. Tales sunt damnati. Ergo etc.

Dices cont. 2m *part.* 1o. Judas Machabaeus *II. Machab XII.* offerri jussit sacrificia etiam pro iis, quorum sub tunicis post mortem inventa sunt idolorum donaria. 2.° Refert Damascenus *Orat. pro Defunctis*) Gregorium M. orationibus suis *Trajanum*, et *Falconillam* ab inferis liberasse. 3.° Augustinus *Enchir. Cap. CXII.* eatenus probat *Origenistarum* sententiam de animabus damnatorum, quatenus tenet, earum poenas non quidem aliquando finiri, sed per orationes nostras imminui. *Poenas*, inquit, *damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari.* Ex quibus verbis non infimi subellii Theologi Joan. Gerson *Serm. ad Reg. Franc. pro pace Concil.* 4. S. Antoninus *p. I.*

P. I. Chron. t. 7. *Cap.* 3. §. 2 imo et Glossa *in Can.* 23. *Caus. XIII. q.* 2. aliique catholici arbitrati sunt, damnatorum tormenta leniri posse. Quidni ergo pro iis sacrificium offeratur?

R. *Neg. cons.* Nam 1.° Judas Machabaeus pie putavit, Judaeos illos in acie caesos vel ex ignorantia leviter peccasse, vel peccati ante mortem poenituisse 2.° Historia *Trajani* a Gregorio M. liberati falsa est, ut erudite *Natalis Alexander* ostendit *Histor Eccl. Saecul. II. Dissert. I.* 3o. Augustinus non probat Origenistarum sententiam: sed eam dicit, esse tolerabiliorem, quam si dicerent, poenas inferni aliquando finiri. Unde sententiam Theologorum, qui verbis *Augustini* male intellectis decepti sunt, S. Thomas *Supplem* 3. *P. Q. LXXI. art* 5. ait, *esse praesumtuosam, Sanctorum contrariam, vanam, nulla auctoritate fulcitam, et irrationabilem.* licet non haereticam. Neque ex illa sententia, quamvis absurda, sequitur, pro damnatis offerri posse sacrificium, qui a communione sanctorum divino jam judicio sejuncti sunt.

PROPOSITIO III.

Sacrificium Sanctis offerre sacrilegium esset; licet tamen in eorum memoriam, et honorem offerre Deo sacrificium. Est dogma fidei.

Prior pars. patet, quia sacrificium est oblatio soli Deo facta in signum supremae ejus majestatis; quem honorem creaturae impendere sacrilegium est.

Prob. 2a. pars. ex universalis Ecclesiae traditione perpetua. Sic ex omnium fidelium sententia loquens Augustinus *Tract. LXXXIV. in Joan.* ait: *non sic Martyres* (ad altare) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus, sed magis ut orent ipsi pro nobis.* Omnes praeterea Liturgiae memoriam Sanctorum in Sacrificio faciendam praecipiunt. Merito ergo Tridentinum *Sess. XXII. can.* 5. *Si quis dixerit, imposturam esse Missam celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

Di-

Dices. Offerre Sacrificium Sanctis, et illud offerre in honorem Sanctorum, idem prorsus est. Atqui prius est illicitum. Ergo.

℟. *Neg. maj.* Offerre enim Sanctis sacrificium, esset illis cultum *Patriae*, tamquam Deo, exhibere, quod sacrilegium est. At offerre sacrificium in honorem Sanctorum, atque memoriam, nihil est aliud, quam sacrificium offerre Deo in gratiarum actionem pro beneficiis, quibus Sanctos cumulavit, eumque exorare, ut excipiat pro nobis sanctorum preces, Christi Sacerdotis meritis innixas, quae res in memoriam, et honorem Dei, et Sanctorum cedit.

C A P. VII.

De praecepto adstandi Missae Sacrificio.

Adv. Duo hic expendenda sunt. 1.° utrum fideles omnes missae sacrificio adesse aliquando ex praecepto debeant 2.° quidnam sit necessarium, ut huic praecepto satisfaciant.

PROPOSITIO I.

Omnes homines ex praecepto naturali, et divino; fideles vero etiam Ecclesiastico; tenentur aliquando adesse Sacrificio, seu per Sacerdotem Deo offerre Sacrificium.

Prob. 1a. *pars.* de jure naturali. Omnes homines naturali tenentur lege; ut *Patriae* cultum Deo impendant, eique pro beneficiis agant gratias, novaque postulent, demum peccatorum veniam poscant; idque non solum interioribus actibus, verum etiam externo sacrificio, ut supra demonstravimus *Cap.* 2. *Prop.* 3. Atqui non alio modo id facere possunt, quam per sacrificium, quod unicum est a Deo institutum, eique acceptum, nempe per sacrificium Missae, quod non possunt ipsi per se, sed per Sacerdotem offerre, sacrificio scilicet adstantes. Ergo etc.

Prob.

Prob. 2a. pars. Jure divino quilibet servare debet praecepta legis naturalis; Deus enim in Lege, et in Evangelio praecepta legis naturae sanxit. Ergo etc.

Prob. 3a. pars. Extant Canones singulis fidelibus graviter praecipientes, ut in Dominicis, festisque diebus Missae sacrificio adsint, *ut Can. Missas* 64. *de Consecr. Dist. I. et al.* qui canones universae Ecclesiae consuetudine firmati inter praecipua Ecclesiae praecepta, quae pueris fidelibus a teneris annis tradi solent, recensentur. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Ut fideles praecepto satisfaciant, necesse est, ut non solum corpore Missae integrae adsint, verum etiam mente.

Prob. 1a. pars. Canones, qui sacrificio adesse praecipiunt fidelibus, eos jubent praesentes esse sacrificio, neque ante illud peractum discedere. *Missas*, inquit Concilium Agathense *Cap.* 47. *die Dominico saecularibus totas audire speciali ordine praecipimus, ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non praesumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publice confundantur.* Necessaria est ergo 1.° praesentia corporis, et quidem religiosa, ita ut qui vel incompositus, vel confabulationibus vacans, vel oculis hac illac vagans Missae adsit, ne ex hac quidem parte praecepto satisfaciat. 2.° integritas, a qua non excusat, nisi materiae parvitas, qualis hodie vulgo censetur, in principio quidem, ab introitu usque ad Epistolam; in medio vero, brevis aliqua pars (modo non sit consecratio) a qua aliquis recedat, vel ut sacrificio inserviat, vel alia gravi caussa. Haec autem integritas unius, ejusdemque sacrificii esse debet, ita ut praecepto minime satisfaciat qui vel simul, vel seorsim plures missae partes audiat; cum contraria opinio a Summis Pontificibus damnata sit.

Prob. 2a. pars. contra *Casuistas* quosdam, laxioris Ethicae patronos. *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu, et veritate oportet adorare Joan. IV.* 24. Qui ergo corpore tantum praesens, mente autem

Digitized by Google

voluntarie distractus Missam audiat, praecepto satisfacere non est censendus, qua in re magna pars fidelium lugenda est.

Dices. Ecclesia actus internos praecipere non potest, cum de iis non possit judicare. Ergo etc.

℟. 1.° *Nego suppositum.* Praeceptum enim adstandi sacrificio non est mere Ecclesiasticum, nisi tantum quoad temporis definitionem.

℟. 2.° *Dist. ant.* Ecclesia non potest praecipere actus internos *directe*, *Transeat*. Oblique, sive *indirecte*; quatenus scilicet ad actus externos sine peccato peragendos necessarii sunt, *neg.* Cum ergo sacrificium sit signum externum sacrificii interni, praecipiens Ecclesia, ut fideles statis diebus externum hoc sacrificium offerant per Sacerdotem, cui sacra facienti adsunt, peccarent fideles, si sine interiori mentis affectu sacrificium externum offerrent; ideoque praecipiens Ecclesia externum actum, etiam internum *indirecte* praecipit Dixi autem *Transeat*, quia etiam de potestate praecipiendi directe actus internos disputatur inter Theologos, neque verum est, Ecclesiam non judicare de internis actibus, cum de iis utique judicet in tribunali poenitentiae.

Porro hinc sequitur, eam in fidelibus requiri attentionem et devotionem, quae satis sit, ut ipsi cum Christo capite conjuncti semetipsos Deo offerant in sacrificium *latreuticum*, *eucharisticum*, *propitiatorium*, *impetratorium*, quod significatur admixtione aquae in calice. Ideo enim vinum aqua mixtum offertur, sicut post Cyprianum *Epist. LXIII.* multi docent Patres, ut noverimus, in Missa totum Christum, caput scilicet, et membra Deo in sacrificium exhiberi. Sed quia multi fideles hoc praecipuum religionis officium non sunt edocti a Pastoribus, quos tamen graviter admonet Tridentinum, ut mysteria hujus Sacrificii populis explicent *Sess. XXII. Cap.* 8. sufficiet rudioribus, ut in missa audienda peccatorum a Deo veniam poscant; aliasque pro ingenii sui modulo preces fundant.

Q. I. *Peccatores possunt ne adesse Sacrificio?*

℟. 1.° Si sint excommunicati, aut interdicti, quamvis tolerati, non possunt. Et tamen si tempore op-

pur-

portuno absolutionem obtinere negligant, peccant sacrum omittentes.

25. Reliqui vero possunt, ac debent, etsi habituali affectu peccati teneantur, dummodo saltem a Deo petant auxilium, quo e caeno vitiorum possint emergere. Quod si eo ipso tempore, quo sacrificium offerunt *propitiatorium*, *actuali* peccandi affectui serviant, quis neget, eos utpote Dei irrisores praecepto non satisfacere, sed alterius peccati reos esse? *Qui declinat aures, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis Prov. XXVIII.* 9. (a)

Q. II. *Estne fidelibus graviter praeceptum Parochiali Missae festis diebus adesse?*

℟. Magnam hac de re inter viros doctos agitatam esse controversiam, variasque editas esse sive pro affirmante, sive pro negante sententia Dissertationes. Certe cum varii canones Missae Parochiali fideles adesse jubeant, et Concilium Tridentinum in ipsa Parochiali Missa praecipiat, ut Parochi verbum Dei praedicent, ipsaque Missae mysteria explicent, atque ob id ipsum fideles, maxime rudiores, qui plus ceteris disciplina egent, Missam Parochialem fugiant, in maxima rerum divinarum ignoratione versantes, nec semper eos putarem excusatos propter quemdam verbi Dei contemtum, nec semper obligatos propter contrariam consuetudinem.

C A P. VIII.

Quaenam Sacerdos in celebratione Missae observare debeat.

Adv. Quae a Sacerdote sacrum faciente servanda sunt, ea pertinent 1.° ad tempus. 2.° locum 3.° sacras vestes, et instrumenta. 4.° denique ceremonias.

§. I.

(a) Vide quae de hoc eodem argumento diximus in Lib. XII. quem his Institutionibus nuper addidimus.

Digitized by Google

§. I.

De tempore celebrandi.

I. Missa quotidie celebrari potest, excepto die *Parasceves*, in quo omnino celebrari non debet, et *Sabbato Sancto*, in quo unica tantum in singulis Ecclesiis permittitur Missa sollemnis ex Ecclesiae consuetudine, et Pontificum decretis, ut *Clementis XI.* etc. Pluries in die eundem Sacerdotem celebrare, nisi in caussis supra positis, omnino non licet.

II. Hora vero celebrandi ab aurora ad meridiem jure communi extenditur tum ex consuetudine Ecclesiae, tum ex Constitutione *Pii V.* incipiente *Sanctissimus*. Excipitur 1.° Missa Nativitatis Domini, quae etiam media nocte celebrari potest. 2.° consuetudo. 3.° privilegium. 4.° necessitas aut deferendi viaticum moribundo, aut populi peregrinaturi, qui non aliter Missae die festo adesse posset, quam si ante auroram celebretur.

§. II.

De loco, in quo celebrari potest.

I. Jure communi celebrare Missam non licet, nisi in Ecclesia, vel Oratorio, ab Episcopo vel consecrato, vel ejus auctoritate benedicto; ut statuit Tridentinum *Sess XXII. in Decreto de Observandis in celeb. Missae*: et ante Tridentinum Canon *Nullus De Consecr. Dist. I.* sub poena depositionis, quae gravem arguit culpam. In privato quoque Oratorio celebrari potest ex privilegio nunc a sola Sede Apostolica concedendo, olim ab Episcopis.

II. Excipitur tamen 1.° necessitas exercitus pro quo in castris celebrari potest. 2.° navigantium, pro quibus in littore maris. 3.° populi, cujus unica Ecclesia diruta est; pro quo in quocumque loco missam celebrari fas est. 4.° privilegium Episcoporum, qui possunt ubicumque in altari viatico celebrare, etiam sine

sine interdicti violatione, cum non deceat, eos ullam diem sine sacrificio transigere. *Cap. final de priv in* 6.

III. Sed si Ecclesia ab Episcopo consecrata, vel benedicta polluatur injuriosa sanguinis, aut voluntaria seminis effusione, homicidio, sepultura excommunicati vitandi, vel infidelis non baptizati etc. celebrari in ea sacrificium non potest, nisi prius reconcilietur ab Episcopo quidem si fuerit consecrata, vel a quocumque Sacerdote ex auctoritate Episcopi, si tantummodo benedicta sit, ita ut si Ecclesia ante inceptum Canonem Missae polluatur, Sacerdos ab altari recedere, Missamque abrumpere debeat. Illud etiam observandum, polluta Ecclesia, etiam altaria ibi fixa pollui, sicut et polluto altari, Ecclesia polluitur, imo et cemeterium ei adjunctum; polluto autem coemeterio, non item Ecclesia polluta est, sicut etiam non pollui Ecclesia censetur, si aliquid eorum, quae paulo ante diximus, fiat in loco ab Ecclesia per murum sejuncto, ut supra Ecclesiae fornicem, aut in campanarum turri. At in Ecclesiae execratione non ita se res habet. Execrata enim Ecclesia per parietum combustionem, aut ruinam, non item altaria execrantur, quae interea remanent, sicut execrato altari, non item execratur Ecclesia.

IV. Quocumque autem in loco celebretur, semper in altari lapideo per Episcopum, vel ex Sum. Pontificis concessione per simplicem Sacerdotem consecrato celebrandum est *Can.* 25. *de Consec. Dist I.* Duplex autem est altare, *fixum*, et *portabile*. Execratum porro censetur altare portabile cum ita frangitur, ut continere calicem, et patenam nequeat; at fixum altare non solum per hujusmodi fractionem, sed etiam per amotionem a loco suo, seu basi execratur. Utrumque vero sive fixum, sive portabile altare execratum est, cum frangitur sigillum continens reliquias. *Cap. Quod in dubiis, de Consecr.* sine quibus consecratio altaris juxta saniorem sententiam fieri non potest.

V. Altare instructum esse oportet 1.° tribus linteaminibus lineis; quorum saltem superius benedictum esse debet. 2.° Cruce, ex qua pendeat sculpta Crucifixi imago. 3.° Duobus, vel saltem (in necessitate) uno

uno lumine cereo. 4.° Missali, sine quo nemo, quantumvis memoria polleat, celebrare debet.

§. III.

De Sacris vestibus, atque Instrumentis.

I. Sacras vestes Valdenses, Lutherani, et Calvinistae irrident, objicientes exemplum Christi, et Apostolorum, qui communibus vestibus Eucharistiam celebrarunt. Sed sicut concedimus, sapienter id prioribus saeculis fuisse servatum, urgentibus praesertim persecutionibus, sic stultus omnibus fuerit qui negaret, pie ab Ecclesia institutum, ut sacrificio offerendo nitidiores adhiberentur vestes; cum et ejus rei exemplum Deus in veteri lege praebuerit, et in communi etiam hominum consuetudine, qui Regem allocuturus est, meliorem, quam potest, vestem induat. Sunt autem vestes ad Sacrificium necessariae *Amictus Alba*, *Cingulum*, *Manipulus*, *Stola*, *et Casula*, et quidem benedictae ab Episcopo, vel a simplici Sacerdote ex auctoritate Summi Pontificis, vel Episcopi, ubi iis hanc facultatem dare licet. Quam quidem benedictionem sacratae vestes amittunt, cum ita in alam formam mutantur, aut scinduntur, ut suo jam usui ineptae sint. Gravis autem peccati reus esset Sacerdos, qui aut sine sacris vestibus celebraret, aut eas non prius benedictas adhiberet, etiam in gravi necessitate; nisi quod Theologi disputant, utrum gravis peccati reus censeatur, qui saltem in gravi necessitate unam ex minoribus vestibus, puta cingulum, aut manipulum omitteret. Equidem Sacerdotem, qui charitate impulsus, ne infirmus sine viatico pereat, Missam sine cingulo, aut manipulo celebret, gravis peccati damnare non auderem. Hoc tamen plures consentiunt, posse in necessitate longiorem manipulum pro stola adhiberi, aut breviorem stolam pro manipulo, aut etiam pro cingulo,

II. Sacra vero instrumenta sunt *calix*, *patena*, *corporale*, *palla*, *et purificatorium*. Calix, et patena ex auro, vel argento intus inaurato omnino esse debent,

quod de ipsa calicis cupa intelligendum est. Pes enim ex cupro, vel aere fieri potest. Et quidem calix, et patena ab Episcopo consecrari debent, antequam ad sacrificium adbibeantur; peccaretque graviter ex communi sententia Sacerdos, qui in calice, et patena non consecrata sacrificaret. Potest hanc consecrandi calicis potestatem facere semplici Presbytero Summus Pontifex, sicut revera quibusdam Abbatibus fecit, pro Ecclesiis tamen tantum sui ordinis. Amittunt autem haec consecrationem suam, si eo modo frangantur, ut sacrificio inepta sint; non amittunt vero, si ex ipso usu paulatim aurum interius absumatur, cum consecratio totam massam, non solum aurum afficiat. Quod si denuo inaurentur, quaestio est, utrum consecranda iterum sint. Vero similior est eorum sententia qui affirmant; non solum quia novum aurum, quod αμεσως corpus Christi continet, profanum est, verum etiam quia vexata per ignem tota calicis, aut patenae massa, quodammodo violata videtur.

III. Reliqua instrumenta ab Episcopo, vel a Sacerdote facultate pollenti, benedicta esse oportet ex gravi Ecclesiae praecepto: excepto purificatorio, de quo nulla est in Rituali peculiaris benedictio, ideoque non videtur necessario benedicendum, quam benedictionem amittunt, si ita scinduntur, ut ad destinatum usum decenter adhiberi non possint. Profanis tamen usibus ea destinari nefas est, sed comburenda, cineresque in sacrarium projiciendi.

IV. Vasa sacra, etiam vacua, laicis contingere non licet, sicut nec *corporale*, aut purificatorium postquam ad sacrificium adhibita sunt *Can. Etiam Sancta de Consecrat. Dist. I.* Imo nec a minoribus Clericis sacra vasa attrectari Canones patiuntur, (*Ibid.*) nisi aliud necessitas, aut justa causa suadeat.

§. IV.

§. IV.

De ceremoniis, quibus Missa celebrari debeat.

I. Praeter ea, quae generatim supra diximus de ceremoniis Sacramentorum, duplex est quaestio de Missae ceremoniis, altera cum haereticis, altera cum catholicis. Haeretici singulas Missae partes, ut superstitiosas, sacrilege traducunt. Catholici quaerunt, utrum *Rubricae*, quae ritus Missae definiunt, *directivae* tantum, an *praceptivae* sint, et rursus, utrum grave, an leve peccatum esset, eas sine contemtu, aut scandalo non servare.

II. Quod ergo ad haereticos pertinet, praeter illa, quae generatim de Sacramentorum ritibus supra diximus, non vacat hic singillatim eorum blasphemias refutare. Vide *Bellarminum Lib. II. De Sacrif. Miss.* qui singulas *Liturgiae* partes a Lutheranorum, et Calvinistarum cavillationibus fuse vindicat. Huic Tridentinum *Sess. XXII. can. 7. Si quis dixerit, ceremonias, vestes, et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis, anathema sit.*

III. Quod ad Catholicorum quaestionem attinet, exceptis quibusdam, quae pro opportunitate Sacerdotis gerenda dicuntur, quae pauca sunt, reliqua sine dubio praecepta sunt, nisi absurde dicere velimus, Ecclesiam in re, qua nulla gravior esse potest, nihil praecepisse, cum tanta sollicitudine minora praecipiat. Hoc tamen fatendum est, non omnes *Rubricas* ita graviter obligare, ut earum omissio, modo sine contemtu fiat, peccatum grave censeri debeat. Peccat ergo semper Sacerdos *Rubricas* non servans, sed gravius, vel levius, pro rei gravitate. Qua in re nonnullorum Sacerdotum vel oscitantia, vel religionis, pietatisque defectus maxime lugendus est. Sed expendere singillatim, quid grave, quid leve in *Rubrica* videatur, nimis longum esset, et fortasse supervacaneum. *De Matutino, et Laudibus* ante missam recitandis, id videtur tenendum, si non justa de

de causa ante missam non recitantur, saltem veniale peccatum esse, cum videamus, id in pluribus Conciliis fuisse praeceptum, tamquam valde decentem ad sacrificium celebrandum dispositionem (*a*).

IV Ceterum quae nos toto hoc Capite strictissime prosecuti sumus, multorum sunt voluminum argumentum. Consulendi sunt Cardin. Bona *de Rebus Liturgicis*, Benedictus XIV. *De Sacrif. Miss.* Edm. Martene, Morinus, Gavantus, Meratus, Grancolas, aliique.

C A P. IX.

De Missae Stipendio.

Adv. I ET in hac quaestione de Missae stipendio peccatum est in utramque partem; nonnulli enim stipendium accipere, omnino illicitum, et *Simoniacum* opinati sunt: alii contra tam laxas, et scandali plenas hac de re opiniones vulgarunt, ut turpissimum rerum sacrarum commercium induxissent, nisi Sedes Apostolica eas damnasset.

II. Duo in celebratione Missae, sicut et in aliis sacris actionibus distinguenda sunt, labor scilicet, qui operi intrinsecus inest, quique extrinsecus. Labor operi *intrinsecus* est, sine quo perfici opus non potest, sicut *ex. gr.* celebrari Missa non potest sine praeparatione, recitatione precum, genuflexionibus etc. Labor vero *extrinsecus* est a petentis voluntate superadditus, *ex. gr.* ut Missa tali hora, locove celebretur, qui celebranti incommodet.

III. Nos primo utrum Missae stipendium accipere liceat, expendemus; deinde quaenam in stipendio vitanda sint.

PRO-

(a) Vide tamen Benedictum XIV. *De Sacrificio Missae.*

Digitized by Google

PROPOSITIO I.

Missae stipendium accipere non est prohibitum.

Prob. I. ex Apostolo *I. Cor. IX.* 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant?* Ergo.

Prob. II. ex universae Ecclesiae praxi antiquissima, quam damnare, insolentissimae insaniae est, ut inquit, *Augustinus*,

Prob. III ex omnium Theologorum consensione, quorum princeps S. Thomas 2a. 2ae. *Q. C. art.* 2. *Sacerdos*, inquit, *non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiae, aut Missae decantandae, sed quasi stipendium suae sustentationis ... non tamquam pretium mercedis, sed tamquam stipendium necessitatis.*

Prob. IV. ratione. Stipendium est oblatio voluntaria a fidelibus facta ad sustentandos ministros. Atqui hoc non modo non vetitum est, sed etiam laudabile. Ergo etc.

Dices. Haec stipendii disciplina multa iuvexit tum inter fideles, tum inter Sacerdotes mala gravissima, dum illi putant, se pretio Missas emere; isti de stipendio, quasi de mercede rerum vilissimarum paciscuntur; Missas, quas alioqui non celebrarent, pro stipendio celebrant, atque utinam aliqui hac de causa plures in die Missas horrendo sacrilegio non celebrassent! Ergo etc.

℟. *Neg. cons.* Nihil enim adeo sanctum, in quod non possit abusus irrepere, nec propterea abolendum quod bonum est, sed extirpandum quod malum est. Nonne plura circa Eucharistiam, praesertim in communione paschali, sacrilegia committuntur? (*a*)

Q. I. *Quodnam est honestum Missae stipendium?*

℟. Vel illud est lege definitum, vel non. Si defini-tum

(a) Tractat haec fusibus *Van Espen* in jure Canonico, Mabillonius in *Praef. ad III. Saec. Ben.* aliique.

tum est, jam res est extra controversiam; si definitum non est, servanda loci consuetudo ab Episcopo probata, ita ut qui majus acceperit stipendium ab aliquo, qui legem, aut consuetudinem ignorabat, restituere teneatur quod plus accepit, nisi ille admonitus, sponte sua voluerit ultra legem, aut consuetudinem donare.

Q. II. *Qui minora pro pluribus Missis accepit stipendia, potestne minorem Missarum numerum celebrare, tot scilicet, quot consueto stipendio respondeant?*

℟. Fuerunt quidem, qui id assererent *Casuistae*; sed eorum doctrinam *Urbanus VIII.* damnavit an. MDCXXV. Permittit tamen Tridentinum Episcopis, ut imminutis beneficii reditibus, aut ita mutatis rebus, ut quod aetate fundatorum congruum erat stipendium, jam sit inconveniens, permittit, inquam, ut Missas redigant ad minorem numerum, quia in iis caussis ipsi fundatores, si viverent, Missarum numerum vellent imminutum. At accipere a pluribus stipendium, singulisque promittere, se Missam celebraturum, et mox promissis non stare, contra justitiam, et fidelitatem fit, viamque aperit malis, ac scandalis.

Q. III. *Potestne is, qui ex onere Beneficii certa die celebrare tenetur, ut Parochus in Dominicis, festisque diebus, accipere pro ea Missa stipendium?*

℟. Minime. Ipsi enim Beneficii reditus Missae celebrandae stipendium sunt. Atque ita *Urbanus VIII.* definivit laudato decreto anni MDCXXV.

Q. IV. *Utrum possit is, qui jam Missae stipendium accepit, aliud insuper accipere applicando offerenti fructum, qui in ipsum Sacerdotem tamquam ministrum ex Sacrificio redundat?*

℟. *Alexander VII.* eam quorundam *Casuistarum* damnavit opinionem anno MDCLXV. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.*

Q. V. *Qui majus consueto accepit stipendium, potestne inde partem sibi retinere, committendo alteri Sacerdoti Missam celebrandam minori, et consueto stipendio?*

℟. Non-

℟. Non potest; id enim *Urbanus VIII.* et *Alexander VII.* ut illicitum damnarunt in ea quorundam recentiorum thesi: *Potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Transferens enim in alium celebrationis opus, nullo justo titulo partem sibi pecuniae retineret. Id tamen extendendum non est 1.° ad Ecclesiae OEconomos, qui possunt partem stipendii retinere ad hostias, vinum, lumina, aliaque ad sacrificium necessaria suppeditanda. 2.° Ad Beneficiarios, Cappellanos, et Parochos, qui etsi per alios satisfaciunt, aliis tamen praeter missae celebrationem oneribus subsunt.

Q. VI. *Potestne Sacerdos celebrare Missam pro iis, qui in posterum stipendia oblaturi sunt?*

℟. Eum abusum *Paulus V.* in literis ad Hispaniae Nuntium prohibuit. Non enim potest in futurum sacrificii fructus esse suspensus.

Q. VII. *Licetne Sacerdoti plura accipere stipendia pro Missis, quas praevidet, non posse nisi diuturnum post tempus celebrare?*

℟. Non potest, nisi admonitus is, qui stipendium obtulit, consentiat. Fieri enim potest, ut cum Missam Sacerdos ille celebrabit, jam caussa cessaverit, ob quam caussam stipendium est oblatum. Quanta autem dilatio permittatur, ex caussa, ob quam stipendium offertur, prudenter aestimandum est. Si caussa vel ignoretur, vel ipsa per se brevius spatium non requirat, ultra mensem differri Missam non posse Benedictus XIV. *Tom. III. Notific. De elemos.* ex Decreto *S. Cong. Conc.* 17. *Jul.* 1655. ostendit. Id tamen consultius videtur admonere semper eum, qui stipendium offert, quantum post tempus missa pro eo celebrari possit; ut si ei videatur, alium quaerat Sacerdotem.

PARS

PARS V.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

QUamvis qui semel sunt illuminati post Baptismum, et signati per confirmationem Spiritu Sancto, gustaverunt etiam donum caeleste, corpus scilicet, et sanguinem Christi, ii si rursus in peccata ruant, et sanguinem testamenti pollutum ducant, in quo sanctificati sunt, misericordia videantur indigni; voluit tamen Dominus, patere adhuc eis salutis januam, angustam illam quidem, atque difficilem, Poenitentiae Sacramentum, non ut delinquendi spatium, parato remedio, sed ut immensae erga nos charitatis argumentum praeberet, quo magis nostra vicissim erga eum dilectio flagraret. Hoc indignans, atque invidens humanae salutis hostis, omnes eo intendit nocendi artes, ut tantum remedium vel per haereticos e medio tolleret, vel per infideles ministros inutile, imo et noxium redderet.

CAP. I.

De nomine, et definitione Poenitentiae.

I. POenitentia a poena derivatur, ita ut poenitere idem sit ac poenam tenere, ut loquitur Auctor *Lib. de vera et falsa poenit. Cap.29. ap. Augustinum.* Duplici autem ratione spectari potest, vel ut virtus quaedam, qua male acta corriguntur, vel ut Sacramentum; atque ideo duplici modo definiri. Si spectetur ut virtus, juxta Novatores quidem, non aliud significat, nisi novae vitae propositum; non veteris odium, atque tristitiam; quippe apud ipsos *optima poenitentia est nova vita*; cum sola fides sine ullis satisfactionis operibus justificet. At Catholici Scripturas, et Patrum traditionem secuti, negant, veram esse posse poenitentiam, nisi duo simul complectatur, peccati scilicet odium, et novae vitae instituendae propositum. Nam Scripturae quidem quoties poenitentiam describunt, aut praecipiunt, semper tristitiam, gemitus, jejunia, sordes commemorant.

Joel

Joel. II. 12. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra. Luc. X. 13. *Si in Tyro, et Sydone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere sedentes poeniterent.* Consonant Patres omnium saeculorum Graeci, Latinique. Satis sit pro omnibus Augustinus *Serm. CCCLI. al. Homil. L. Non sufficit*, inquit, *ad poenitentiam mores in melius emendare, nisi etiam satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus lacrymis.* Quod adeo evidens est, ut ipsi Scriptores profani eodem sensu poenitentiae nomen usurpent (a).

II. Quapropter quidquid Novatores cavillantur ex origine Graeci nominis μετανοια, quod dicunt male translatum esse in Latinum nomen *poenitentia*, certum est, tum μετανοιαν apud Graecos, tum poenitentiam apud Latinos Scriptores sacros, profanosque, duo simul significare, odium vitae veteris; et propositum novae. In odio autem vitae veteris etiam propositum continetur justitiae divinae, quantum fieri potest, satisfaciendi. Poenitentia ergo, si spectetur ut virtus male acta corrigens, definitur: *Virtus moralis infusa, qua homo movetur ad odium, ac detestationem peccati commissi, cum efficaci proposito non peccandi in posterum, justitiaeque divinae satisfaciendi.*

III. At vero si poenitentia spectetur ut Sacramentum, definitur: *Sacramentum a Christo institutum ad delenda peccata post baptismum commissa, per actus poenitentis, et absolutionem Sacerdotis. Sacramentum ad delenda peccata* genus est, quo poenitentia cum Baptismo, et Extrema unctione convenit. Reliquae definitionis verba *differentia* explicant, qua poenitentia a reliquis Sacramentis distinguitur. Quia enim institota est a Christo ad modum judicii, ideo pertinere non potest,

(a) Ovidius:
Poenitet, o si quid miserorum creditur ulli,
Poenitet, et facto torqueor ipse meo.

test, nisi ad peccata baptizatorum; *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* inquit Apostolus *I. Cor. V. 12.* Et eandem ob causam requirit absolutionem judicis, et actus poenitentis externos, peccati scilicet confessionem, contritionem, satisfactionem saltem in voto, ex quibus actibus cognoscere judex valeat, utrum poenitens absolvendus sit.

IV. Differt autem virtus poenitentiae a Sacramento, 1.° in eo quod poenitentiae virtus etiam interna esse potest, Sacramento vero, cum signum sit sensibile, exteriores actus requirit. 2.° Quod virtus poenitentiae sit pars, Sacramentum vero totum, quod praeter poenitentis actus, absolutionem etiam Sacerdotis complectitur. 3.° Quod Poenitentiae virtus fuit quovis tempore ad gratiam, et justificationem obtinendam omnibus necessaria, ut in Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* I Sacramentum vero poenitentiae a Christo institutum est ad eorum abluenda peccata, qui Baptismo initiati sunt.

V. Igitur deinceps de poenitentia loquemur tantummodo ut sacramentum est, quod principio vindicabimus ab haereticorum cavillationibus.

C A P. II.

Quid haeretici contra Sacramentum poenitentiae commenti sint, quidque contra eos Ecclesia catholica doceat.

Adv. I. Montanus, a quo Montanistae (qui et *Cataphryges*, et *Peputiani* a loco, in quo invaluerant, dicti sunt,) secundo Ecclesiae saeculo peccata distinguens in graviora, puta homicidium, idololatriam, maechiam, et leviora; ista quidem docuit, ab Ecclesia remitti posse, illa vero soli Deo esse reservata.

II. *Novatianus* Rom. Ecclesiae Presbyter tertio saeculo primus Antipapa contra legitimum Pontificem *Cornelium* a temulentis Episcopis ordinatus, adjutore *Novato* Carthaginensi, e schismate in haeresim lapsus docuit, ut *Montanus*, graviora crimina dimittendi potestatem non esse Ecclesiae datam. Imo multi veteres, que-

quorum auctoritatem Tridentinum sequitur; testantur, ipsum omnem potestatem etiam quoad leviora peccata Ecclesiae ademisse, quod tamen ejus asseclae Novatiani temperarunt. Hinc *Ambrosius* ipsis exprobrat, quod Magistrum suo etiam judicio damnaverint, agnoscentes potestatem Ecclesiae dimittendi peccata leviora *Lib. I. De Poenit. Cap.* 2.

III. *Waldenses* saeculo XIII. nec non *Wicleffus*, *Joannes Hus*, et *Hieronymus Pragensis* saeculo XIV. et XV. errarunt tantummodo circa Ministrum Poenitentiae, sicut et aliorum Sacramentorum, docentes, malos Sacerdotes absolvendi a peccatis non habere potestatem, sed Sacramentum ipsum non negarunt, ut in *Histor. Variat.* demonstrat *Bossuetus.*

IV. *Lutherus* saeculo XVI de Sacramento Poenitentiae anceps fuit. In Libro *De Captivitate Babylonica* primum Poenitentiam inter Sacramenta recenset; imo in ejus *Catechismo* Minister audita poenitentis Confessione, ait: *Ergo ex Christi mandato remitto tibi peccata tua in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; mox ait, non esse Sacramentum proprie dictum. Atque in eadem dubitatione *Melanchton*, aliique Lutherani fluctuarunt. Ceterum qui Poenitentiam inter Sacramenta recensent, docent, absolutionem non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi verba *concionalia* ad excitandam poenitentis fidem.

V. Primi ergo *Zuviglius*, et *Calvinus* aperte Poenitentiam ex albo Sacramentorum expunxerunt, verba illa Christi *Joan. XX.* 22. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ad praedicationem Evangelii inepte detorquentes. Hanc igitur haeresim Tridentinum *Sess. XIV.* damnavit *can.* 1. *Si quis dixerit; in Ecclesia Catholica Poenitentiam non esse vere, et proprie Sacramentum, anathema sit.* Can. 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Can. 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum etc. non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia Catho-*

tholica ab initio semper intellexit, detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit. Hoc igitur fidei dogma primum adstruendum est.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, Poenitentiam esse Sacramentum vere, et proprie dictum, atque a Baptismo distinctum.

Prob. 1a. pars. I. ex Script. Christus Dominus *Matth. XVI.* 19. promittit Petro; ac deinde *Matth. XVIII.* 18. omnibus Apostolis, se daturum ligandi, atque solvendi potestatem, quam deinde eis, jam Sacerdotio in ultima coena inauguratis, post resurrectionem tradidit *Joan. XX.* 22. his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui verba illa Sacramentum proprie dictum evidenter demonstrant. Tria enim ad constituendum Sacramentum necessaria sunt: signum externum, promissio gratiae, et institutio divina. Habes autem in iis Christi verbis signum externum, quo et Sacerdotes videre queant, quorum remittere peccata debeant, quorum retinere; et fideles cognoscere, an peccata sibi remissa, vel non remissa sint. Habes etiam gratiae promissionem, peccata enim non remittuntur, quin simul gratia infundatur, ut in superiori *Lib. VII.* demonstratum est. Habes denique divinam institutionem; tum quia Apostoli ad hoc ministerium missi sunt; tum quia, data Apostolis ligandi, atque solvendi potestate, fidelibus vicissim imposita necessitas est absolutionis Apostolicae; alioquin illa nulli prorsus esset usui. Nihil autem ineptius a Calvinistis excogitari poterat, quam verba Christi intelligenda esse de praedicatione Evangelii. 1.° quia praedicatio Evangelii omnibus sive infidelibus, sive fidelibus etiam obduratis, peccata vero nec omnium solvenda, nec omnium retinenda esse, ipsa Christi distinctio demonstrat. 2.° quia Evangelium predicans numquam dici potest retinere peccata, sed tantum solve re; si quis enim praedicationi reluctetur, non a praedicante, sed a sua ipsius

ipsius pervicacia ligatur. 3.° quia futile hoc Calvinistarum commentum omnium Patrum traditioni adversatur.

Prob. itaque II. ex traditione. 1.° Cyprianus *Epist. LIV. ad Cornel.* ait, lapsis poenitentibus in periculo mortis absolutionem impertiendam *quando promiserit ipse, qui legem dedit, ut ligato in terris, in caelis quoque ligata essent; solvi autem possent illic, quae hic prius in Ecclesia solverentur;* quis autem serio dixerit, moribundis illis praedicandum Evangelium? 2.° Pacianus *Epist. I. ad Sympron.* contra Novatianes, qui utique potestatem praedicandi Evangelium non negabant. *Solus hoc. inquies, Deus poterit* (peccata remittere): *Verum est; sed et quod per Sacerdotes suos fecit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit, quae ligaveritis etc.* 3.° Chrysostomus *Lib. III. de Sacerdot. Habent quidem et terrestres Principes vinculi potestatem, verum in corpus tantum. Id autem, quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam attingit, atque ad caelos usque pervadit; usque adeo, ut quaecumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet.* 4.° Augustinus *Epist. CCXXVIII. al CLXXX.* Sacerdotes in persecutione a fuga retrahens, ait. *Annon cogitatis cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem;* ubi diligenter distinguit Baptismum, poenitentiae actionem, et reconciliationem, eamque adeo necessariam, ut Sacerdotibus, ne animae pereant, inter districtos persecutorum gladios aliquando permanendum sit. Idem docent uno ore Patres omnes (*a*), et Ecclesia universa tum occidentalis, tum orientalis; imo et haeretici, et schismatici in oriente. Ergo etc.

(a) Tertullianus *Lib. De poenit. Cap.* 7. Ambrosius *Lib. I. De poenit. Cap.* 2. Cyrillus Alex. *Lib. XII in Joan.* Hieronymus *Lib. I. cont. Pelag* Leo M. *Epist. XCI ad Theodorum etc.* Vide haec fusius apud *Bellarminum, Drouven, Boucat* etc.

Prob. 2a. pars. 1.° Scriptura Baptismum a Poenitentia aperte distinguit. Illud enim a Christo ante passionem in aqua institutum, docet; hanc vero post passionem ad modum judicii; quo pro vario reorum merito vel solvantur peccata, vel retineantur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* 2.° Patres utrumque Sacramentum distinguunt diligenter. Sic Augustinus *Lib. de adult. Conjug. Cap.* 16. *Si a Catechumeno factum est* (homicidium) *Baptismate abluitur, si a baptizato, poenitentia, et reconciliatione sanatur.* Hieronymus *Epist. ad Sabinian.* Poenitentiam vocat *secundam post naufragium tabulam,* Tertullianus *poenitentiam secundam* post baptismum *Lib. de Poenit. Cap. VII.* Ergo etc.

Objic. Sunt ex PP. nonnulli, qui verba Christi *Joan. XX.* de Evangelii praedicatione intelligunt. Sic Hieronymus *in Cap. XLIV. Is. Solvunt*, inquit, *eos Apostoli sermone Dei, et testimoniis Scripturarum.* Ergo.

℟. *Dist. ant.* Intelligunt de praedicatione Evangelii, tamquam praeparatione ad absolutionem, *conc.* Secus, *neg.* Nam etiam Diaconis praedicandi jus est, nec umquam Patres ligandi, solvendique potestatem eis datam asseruerunt.

Inst. Augustinus saepe remissionem peccatorum, quae post Baptismum admittuntur, tribuit ipsi Baptismo; *Quia*, inquit, *Lib. I. de Nupt. et Conc. Cap.* 30. *eo ipso, quod semel datur, fit ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Ergo potestas remittendi peccata praedicatio est, per quam baptismi memoria refricatur.

℟. *Dist. ant.* Tribuit baptismo, tamquam radici, et caussae remotae, ex qua omnia baptizatorum bona oriuntur, *conc.* Tamquam caussae proximae, *neg.* Sicut enim quo homo vivat, crescat, sanatur, ex ejus carnali nativitate ortum habet; sic quod spiritualia adjumenta salutis habeat, ex baptismo proficiscitur, quo ceterorum Sacramentorum fit capax. *Quid prodesset*, inquit, *vel ante Baptismum poenitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi praecederet?* Legatur *Augustini* locus integer.

PRO-

PROPOSITIO. II.

In Sacramenti Poenitentiae institutione Christus Ecclesiae potestatem dedit omnia omnino peccat dimittendi, dogma fidei.

Prob. contra Montanistas, et Novatianos ex ipsis verbis Christi Domini eam potestatem et promittentis, et donantis; *Matth. XVIII.* 18. *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.* Joan. XX. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Quo tam insigni facto,* inquit Tridentinum *Sess. XIV. Cap. I. et verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, et eorum successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum* (a) *consensus semper intellexit, et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tamquam haereticos explosit, et condemnavit.* Et merito; quaevis enim exceptio verbis Christi adeo luculentis adiecta, ejus sententiam labefactat. Vide haec fusius apud Natalem Alex. *Dissert. XXII. in. Hist. Eccl. Saec. III.*

Solvuntur objecta.

Objic. I. Apostolus *Heb. VI.* 4. *Impossibile est,* inquit, *eos qui semel sunt illuminati etc. et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.* Ergo non est Ecclesiae potestas facta dimittendi peccata post Baptismum.

R.

(a) Cyprianus *Epist. LII. ad Antonian.* Pacianus *Epist. I. ad Sympron. et Epist. III.* Ambrosius *Lib. I. De Poenit. Cap.* 2. Hieronymus *Epist. Heliodor. et Lib. I. cont. Pelag.* Augustinus *Lib. De Agon. Christian. Cap.* 31. *et al.* Chrysostomus *Hom. LVII. et al.* Epiphanius., Cyrillus Alex. Theodoretus etc.

℞. *Dist. ant.* Impossibile est, lapsos renovari per alium baptismum, ut putabant Hebraei, variis baptismatibus in Judaismo assueti, *conc.* Impossibile est, renovari per poenitentiam, *subdist.* Impossibile est, sive admodum difficile, *conc* Impossibile est omnino, *neg.* Duae igitur sunt Apostolicae sententiae expositiones, prior a veteribus tradita docet; Apostolum ibi auferre peccatoribus novi baptismi spem; altera recentiorum, qui putant, Apostolum velle, admodum difficilem esse conversionem eorum, qui postea quam baptismum, confirmationem, Eucharistiam acceperunt; in apostasiam relapsi sunt. Vide S. Thomam, et Estium *Comment. in hunc loc.*

Inst. Apostolus omnino impossibile esse docet, renovari hominem baptizatum per poenitentiam. Ait enim *Ibid. Cap. X.* 26. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia; terribilis autem quaedam expectatio judicii.* Ergo etc.

℞. *Neg. subst. Ad Confirm. Dist. ant.* Voluntarie peccantibus per apostasiam, in eaque perseverantibus, *conc.* Voluntarie peccantibus quocumque modo, *neg.* Nonne enim ipse Apostolus Corinthium incestuosum absolvit? *II. Cor. II.* 10. Loquitur ergo de Apostatis, quibus abalienatis a Christo nulla est pro peccatis hostia, nisi ad ipsum unicum Sacerdotem, et unicam hostiam Christum revertantur. Patet autem hic Apostoli sensus ex verbis praecedentibus, ubi Hebraeos admonet, *ne deserant collectionem nostram*, imo et illud ipsum, quod ait *post acceptam notitiam veritatis*, satis declarat, sermonem esse de iis, qui a cognita veritate religionis deficiunt.

Objic. II. *Matth. XII.* 32. ait Christus: *Qui dixerit* (verbum) *contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro*; unde peccata in Spiritum S. remitti non posse, communis Patrum sententia est. Additque Athanasius *Epist. ad Serapion.* quod si omnia baptizatorum peccata essent in Spiritum S. vicissent Novatiani. Ergo non omnium peccatorum remittendorum in Ecclesia potestas est, cum ipse Christus nonnulla ex generali potestate exceperit.

Dist.

Dist ant. Non remittetur peccatum in Spiritum S. ex defectu potestatis, *neg.* Ex defectu conversionis, *subdist.* Ordinarie, *conc.* Extraordinarie, *neg.* Peccatum enim in Spiritum S., quod ex mera malitia, non ex ignorantia peccantis admittitur, ideoque rarissima ejus poenitentia est, quia ex adverso pugnat contra dona Spiritus Sancti, per quae converti quis posset; porro quantacumque sit potestas, nequit tamen remitti peccatum, nisi poenitentibus. Unde ait Chrysostomus *Hom. XII. in Matth. Spiritusne*, inquies, *blasphemiae non dimittetur petentibus? Quod omnino falsum esse patet ... Quid ergo est? significare voluit, multo minus ceteris hoc esse ignoscibile, ac veniale.* Vicissent tamen aliqua ex parte Novatiani, si omnia peccata essent in Spiritum S. quia si non defectu potestatis, at saltem conversionis remitti non posset. Christus autem generatim pronunciat, illud non remitti: de rebus enim loquimur, ut in pluribus accidit.

Inst. Est quoddam peccatum, quod in Scripturis dicitur *peccatum ad mortem*, illudque omnem aufert peccatori remissionis spem. Ait enim Joannes *I. Joan. V. 16. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis*: ideo autem orare prohibet pro ejusmodi peccato, quia nulla in eo remissionis spes est. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Peccatum illud omnem aufert peccatori spem, propter potestatis defectum, *neg.* Propter peccantis *impoenitentiam*, *subdist.* Si per peccatum ad mortem intelligatur id, quod cum morte, et finali *impoenitentia* junctum est, *conc.* Si intelligatur, ut multi volunt, apostasia a fide, *neg.* Quamvis enim rarissime quis ab ejusmodi peccato resipiscat; ideoque *Joannes* non quidem vetet pro eo orare, sed praecipere non audeat, *non dico* (non praecipio) *ut pro eo quis rogat*; potest tamen illum Deus gratia sua ad fidem, et poenitentiam revocare.

PROPOSITIO III.

Potestas remittendi peccata non est nudum ministerium declarandi, peccata esse a Deo remissa, sed est potestas vere et proprie peccata remitendi per actum judicialem.
Est dogma fidei.

Prob. ex ipsis Christi verbis. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Remittere enim peccata, in sensu obvio, ac naturali, non declarationem, sed veram condonationem ostendit. At in sensu obvio ea verba accipienda sunt. 1.° quia Christus declaravit, se eam Apostolis potestatem dare, quam a Patre accepit; accepit autem non solum potestatem declarandi, peccata esse dimissa, sed vere dimittendi. 2.° quia quoties in Evangelio remitti peccata dicuntur, id de vera condonatione intelligitur, ut cum Christus ait Paralytico; *remittuntur tibi peccata Luc. V.* 20. et 21. 3.° in hoc Patres Sacerdotum potestatem super Angelos excellentem extollunt, quod potestate divina dimittant peccata, eo quod judicium Sacerdotis praecedat judicium coeli, et quod sine absolutione Sacerdotis poenitentes perirent. Ergo jure Tridentinum contrarium haereticorum dogma damnavit *Sess. XIV. can.* 9. his verbis: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi, remissa esse peccata confitenti, anathema sit.* Vide haec fusius apud *Bellarminum.*

Objectiones.

Objic. I. Solus potest Deus peccata dimittere: *Ego sum*, inquit *Is. XLIII.* 25. *ipse, qui deleo iniquitates tuas.* Ergo etc.

Dist. ant. Solus peccata dimittit, ut causa princeps, *conc.* Ut excludat omnem aliam causam, sive instrumentum, *neg. Quod enim per Sacerdotes facit, ipsius potestas est*, inquit Pacianus *Epist.* 1. *ad Sympron.*

Objic. II. Unanimis est Patrum sententia, non aliud posse erga peccatorem Sacerdotes, quam Apostoli erga La-

Lazarum Sicut enim illi *Lazarum* non revocarunt a mortuis, sed a Domino suscitatum, et foras egressum solverunt a vinculis; ita Sacerdotes non possunt animam peccato mortuam ad vitam revocare spiritalem sed a Deo suscitatam, a vinculis absolutam declarant. Ita docent Augustinus *Serm. LXVII. al. VIII. de Verb. Apost.* Gregorius M. *Hom. XXVI. in Evangel.* etc. Ergo non vere, et proprie peccata dimittunt.

R. *Dist. ant.* Et haec comparatio quoad aliqua valet; *conc.* Quoad omnia, *neg.* In hoc ergo constat instituta a Patribus comparatio, quod sicut Apostoli non poterant ad vitam revocare *Lazarum*, sed omnipotenti Domini voce suscitatum solverunt a vinculis, ita Sacerdotes non possunt peccatori gratiam *actualem* immittere, qua ille mortuus vitales aliquos motus edere incipiat, hoc est credat, timeat, speret, diligat, poeniteat, quaerat Sacerdotem, peccata confiteatur; sed oportet, ut inchoatae hujus vitae spiritalis rudimenta Deus ipse intus per gratiam operetur. Cum autem peccator jam a Deo sic dispositus, et ex parte vivificatus accedit, tunc eum Sacerdos valet a peccati vinculis solvere; alioquin nihil acturus, si verba absolutionis super hominem proferret, qui nullum inchoatae vitae spiritalis motum praeseferat. Ceterum si velimus omni ex parte urgere comparationem illam, sicut Apostoli *Lazarum* non declaraverunt solutum, sed revera solverunt a vinculis, sic Sacerdotes peccatorem ab aliquo vinculo revera solvunt. Vinculum autem illud non solum est aeternae poenae reatus, ut asserebat *Bajus*, hic enim, deleta culpa permanere non potest, sed est ipsum culpae vinculum.

Objic. III. Hieronymus *in Cap. XVI. Matth.* quorumdam Sacerdotum, qui se pro arbitrio solvere, et ligare posse jactabant, arrogantiam redarguens ait, id agere posse Sacerdotes in nova lege, quod in vetere faciebant Aaronici Sacerdotes: Sicut enim dicuntur illi in Levitico immundos, vel mundos facere leprosos; *eo quod habeant notitiam leprosi, et non leprosi, et possint discernere mundum ob immundo. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immundum facit, sic et hic alligat, et solvit Episcopus, et Presbyter.* Ergo.

℞. 1.° Opponendo contrariam Chrysostomi sententiam *Lib. III. de Sacerdotio: Corporis, lepram purgare, seu ut verius dicam, non purgare quidem, sed purgatos probare, Judaeorum Sacerdotibus solis licebat. At vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animae sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Sed ne videatur Hieronymus aliis Patribus adversus,

℞. 2.° Sicut ad praecedentem objectionem, *Dist. ant. Hieronymus* comparat potestatem ligandi, et solvendi cum potestate Sacerdotum Aaronicorum supra leprosos quoad aliqua, *conc.* Quoad omnia, *neg.* Sicut enim frustra Sacerdotes illi mundum declarassent leprosum, cujus adhuc lepra perseveraret, sic isti frustra eos absolvunt, quorum voluntas adhuc est in malo obfirmata; quod satis est ad *Hieronymi* propositum, retundendi scilicet eorum arrogantiam, qui Pharisaeorum supercilio vel damnare innocentes, vel solvere noxios se posse jactabant. Ceterum fatetur *Hieronymus*, et veteres Sacerdotes revera abstulisse immunditiam legalem, quae manebat etiam sanata lepra, et nostros revera solvere peccati vincula, quae manent etiam post quam voluntas mutata est in melius a Spiritu Sancto movente, sed nondum inhabitante. Concludit enim: *Episcopus, et Presbyter . . . . . pro officio suo cum peccatorum audierit varietatem, scit quis ligandus sit, quis solvendus.*

Inst. Cum poenitens ad Sacerdotem accedit perfecte contritus, jam justificatus accedit. Ergo Sacerdos non ei remittit peccata, quae deleta sunt: sed remissa declarat; ideoque absolvere non significat peccata dimittere, alioquin falsa aliquando esset forma sacramenti.

℞. *Dist. ant.* Accedit sine voto absolutionis in contritione implicito, *neg.* Ex voto ipsius absolutionis, *subdist.* Et tamen accipit in sacramento uberiorem gratiam, et remissionem, saltem ex parte, poenae temporalis, *conc.* Nihil omnino accipit, *neg.* Itaque sicut adultus, qui perfecte contritus accedit ad Baptismum, justificatus accedit, et tamen vere illi dicitur: *Ego te baptizo*, idest abluo, tum quia justificatio illa praecedens, voti hujus ablutionis effectus est; tum quia in ablutione ipsa uberiorem accipit gratiam, quae natura sua peccatum ablueret, nisi ex accidenti deletum inveniret, et

et praeterea totius poenae remissionem; eodem modo de absolutione sacramentali sentiendum est.

Corollarium.

Ergo cum minister pronunciat absolutionis formam, sensus non est, eum remittere tantummodo poenam peccatis debitam, ut opinatus est *Bajus* docens, hominem justificari ante Sacramentum per charitatem perfectam, et tamen in reatu poenae permanere, quae poena Sacramento solvitur. Sed sensus est, eum ministrare Sacramentum, quo praebetur gratia remissionis ipsius peccati quoad culpam, et ex consequenti quoad poenam aeternam, quae culpae ipsius comes est.

Scholion.

Magister Sententiarum *Lib. IV. Dist.* 18. putans, ad Sacramentum Poenitentiae necessariam esse contritionem perfectam, hinc conclusit, absolutionem Sacerdotis esse tantum remissionis peccatorum declarationem, quam sententiam S. Bonaventura *in IV. art.* 2. *Q.* 1. Halensis *Ibid. Q.* 22. aliique veteres secuti sunt. Non fuit tamen haec sententia a Tridentino damnata, teste Pallavicino *Lib. X. Cap.* 12. neque confundenda cum doctrina Lutheranorum, a qua differt triplici ex capite, 1.° quia non ait, absolutionem esse nudam ministri concionem ad excitandam fidem poenitentis, sed verum actum judicialem, quo minister declarat dimissa peccata. 2.° quia docet, contritionem perfectam non delere peccata, nisi ex voto absolutionis. 3.° quia statuit, per ipsam absolutionem tribui gratiam uberiorem, et partem temporalis poenae remitti. Ceterum haec sententia temeraria hodie est, atque *erronea.*

CAP.

CAP. III.

De ministro, penes quem potestas est dimittendi peccata, de qua in Capite superiori dictum est.

Adv. I. QUoniam superiori capite ostendimus contra haereticos, esse in Ecclesia potestatem peccata remittendi per actum judicialem; ordo doctrinae postulat, ut videamus, quis sit ejus potestatis minister: quae in eo necessaria sit jurisdictio, et quibus limitibus illa coerceri possit.

II. *Waldenses*, et post eos *Wicleffus* docuerunt, quemlibet Christianum, modo justum, absolvere posse a peccatis, et satius esse absolvi a bono laico, quam a malo Sacerdote. Vide Reinerum *Lib. V.* et Bullam *Martini V.* ad calcem Concilii Constantiensis.

III. *Lutherani* docentes, justificari impium ex sola fide excitata per verba ministri, affirmant, quemlibet hominem, etsi per jocum verba absolutionis proferat, ministrum esse poenitentiae, modo verba illa fidem confitentis excitent. Volunt tamen eorum plurimi post *Kemnitium*, neminem id officium usurpare debere, praeter Pastores a populo ad id munus deputatos.

IV. Inter Catholicos autem fuere ante Concilium Tridentinum nonnulli, qui assererent, omnes Sacerdotes in ipsa ordinatione omnem accipere absolvendi potestatem, praeter quam non requiratur alia jurisdictionis potestas ad ratam, sive *validam* absolutionem. Ita Armachanus *Lib. II. De Quaest. Armen. Cap. 4.* quem errorem nuper quidam rerum novarum studiosi paucis ab hinc annis renovare conati sunt.

V. His omnibus adversatur Ecclesiae Catholicae doctrina, quam Concilium Tridentinum exponit his verbis *Sess. XIV. can.* 10. *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, et solvendi non habere, aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christifidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis etc. quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ....* anathema sit. Can. 9. *Si quis dixerit, absolutionem sacra-*

cramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat, se esse absolutum, aut Sacerdos non serio sed joco absolvat... anathema sit. Cap. 7. *Quoniam igitur natura, et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat proferatur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.* Sit igitur.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, in ministro Sacramenti poenitentiae necessariam esse duplicem potestatem, ordinis scilicet Sacerdotalis, et jurisdictionis.

Prob. 1a. *pars* 1.° Christus non omnibus, sed solis Apostolis *Jo. XX.* 23. dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2.° Ecclesiae perpetua traditio ea verba semper intellexit dicta solis Apostolorum in Sacerdotio successoribus. Ambrosius *Lib. I. De poenit. Cap.* 2. *Jus hoc*, inquit, *solis permissum est Sacerdotibus.* Innocentius I. *Epist. ad Decent. Cap.* 7. *Ceterum de pondere aestimando delictorum, sacerdotis est judicare.* Adde Patres supra laudatos, ubi ostendimus, Poenitentiam esse sacramentum, aliosque innumeros, qui quoties de Poenitentia loquuntur, toties solos Sacerdotes ejus ministros appellant. 3.° Absolutio est judicialis ministri actus. Absurdum autem est, in societate omnes esse judices, cum hoc munus solis concessum sit magistratibus. Ergo in Ecclesia iis tantum absolvendi jus est, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, Episcopis scilicet, et Presbyteris.

Prob. 2a. *pars* 1.° Christus Apostolis praeter potestatem ordinis, etiam jurisdictionem addidit his verbis *Joan. XX.* 21. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* 2.° Concilium Lateranense IV. *Can.* 21. *Si quis*, inquit ... *alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri peccata, licentiam postulet, et obtineat a proprio*

Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere; et Eugenius IV. in *Decreto*: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione superioris.* 3.° Sacramentum Poenitentiae in forma judicii institutum est a Christo. Atqui nemo judicare potest, nisi illos, in quos jurisdictionem habet, sive subditos. Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. cont. 1m. part. Fideles omnes hortatur Jacobus *Jac. V.* 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut solvemini.* Ergo omnes fideles excipere possunt aliorum confessionem, ideoque et absolvere.

℟. *Neg. cons.* 1.° quia particula illa *Ergo* subnectit hanc sententiam praecedenti, in qua dixerat Apostolus: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiae* etc. nullus autem esset nexus, nisi confessio etiam Presbyteris facienda esset, quibus cum confitemur, recte dicimur confiteri alterutrum, hoc est homines hominibus. 2.° Quia non ait Apostolus: *confitemini alterutrum, et absolvite*, sed *orate pro invicem*, ita ut humilis confessio infirmitatis suae provocet alios ad orandum. Vel ergo verba Apostoli explicantur de Sacramentali confessione, et de solis Presbyteris intelligenda sunt; vel de humili confessione, extra Sacramentum, et haec cuilibet ex fratribus fieri potest, ut Deum pro nobis deprecetur, ideoque in causa necessitatis olim haec humilis confessio, ubi Sacerdos non esset, laico fiebat, ut testatur Magister Sentent. *Lib. IV. Dist.* 17. et S. Thomas *Suppl. 3. P. Q. VIII. art.* 2. *ad* 1.

Objic II. Cyprianus *Epist. XI.* praecipit, ut absente presbytero, poenitentes in mortis periculo a Diaconis absolvantur. Ait enim: *Si Presbyter repertus non fuerit, et urgere exitus coepit, apud Diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari eis Martyres, litteris ad nos factis desideraverunt.* Eandem disciplinam in Galliis, et Hispaniis viguisse varia Concilia declarant. Quin constat,

olim

olim Diaconos plebem, siva *Parochiam* rexisse, quod sine potestate absolvendi fieri non potest. Ergo etc.

℟. *Dist.ant.* Praecipit, ut a Diaconis poenitentes absolvantur a poenis Canonicis, quibus a communione erant seclusi, *conc.* A peccatis, *neg.* Cum ergo urgente mortis periculo, copia Sacerdotis non esset, non aliud fieri poterat, quam ut poenitentes, qui tunc diu a communione ante absolutionem arcebantur, ut infra dicemus, saltem Ecclesiasticae communioni restituerentur; quod ministerium per minores etiam clericos exerceri potest; atque ita contritione justificati viaticum acciperent. Cum autem pauci essent aetate illa Sacerdotes, necessitas coegit praeficere Plebibus quibusdam, sive *Parochiis* Diaconos, qui baptizarent, praedicarent; et necessitate urgente, poenitentes saltem a poenis canonicis absolverent; et viatico munirent.

Objic.III cont. 2m.part. Si Sacerdotes in ipsa inauguratione non acciperent potestatem dimittendi peccata, frustra Episcopus iis manus imponens diceret *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Atqui hoc absurdum est. Ergo etc.

℟. *Neg.maj.* Datur enim in ipsa ordinatione potestas ordinis, qua possunt sacerdotes peccata remittere, quando erunt ipsis subditi, in quos potestatem illam exercere valeant. Cum enim hoc sacramentum in eo differat ab aliis, quod ad modum judicii institutum est, ideoque exerceri non potest, nisi in subditos, data presbyteris in ordinatione judicandi, et absolvendi potestate, dandi adhuc supersunt subditi, quos judicare, et absolvere possint; hoc autem fit cum datur eis jurisdictio vel ordinaria, vel delegata.

Q.I. *Quid est ordinaria, quid delegata jurisdictio?*

℟. Ordinaria jurisdictio est, quam habet ille, cui cura est animarum, qua cura dimissa, cessat ejus ordinaria jurisdictio, nec quemquam amplius potest absolvere, nisi delegatam jurisdictionem obtinuerit. Talis est Parochus in sua *Parochia*, Episcopus in sua Dioecesi, Summus Pontifex in Ecclesia universa, superiores Regulares in sua familia. Delegata vero est, quae committitur Sacerdoti curam animarum non habenti.

Q. II. *Potestne ille, qui ordinariam jurisdictionem* huc-

tis, ideoque approbatus in una dioecesi, non censetur in alia approbatus. Potest vero Episcopus approbationem suam certis coercere limitibus loci, temporis, personarum; imo illam, si ei libuerit, revocare, aut novo examini approbatos subjicere (*a*). Illud etiam advertendum est, approbatum generatim non censeri approbatum ad *Monalium* confessiones excipiendas, sed speciali ad id approbatione indigere ex Constitutione *Clementis X*, quae incipit: *Superna*.

Q. IV. *Potestne aliquando valide absolvere minister jurisdictione carens, Ecclesia defectum supplente?*

℟. Potest cum adest *titulus coloratus*, et communis error, ut in eo *ex gr.* qui curatum beneficium non legitimine possidet, vel cujus approbatio cessavit, aut suspensa, limitata, revocata est, si tamen ab omnibus, ut legitimus *Curatus*, aut approbatus habeatur. Quod quidem ex communi Doctorum consensu inductum est ex simili quadam juris civilis constitutione L. *Barbarius II. de Offi. Praet.* Ecclesia tamen ea tantum potest, quae Ecclesiastici juris sunt, supplere, non quae juris divini, ut *ex gr.* defectum ordinis in Sacerdote, aut contritionis in poenitente.

Q. V. *Quid de articulo, vel periculo mortis?*

℟. Concilium Tridentinum *Sess. XIV. Cap. 7. Pie admodum*, inquit, *ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibsvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Quae verba etiam de periculo mortis, et de omnibus sacerdotibus etiam degradatis, suspensis, et excommunicatis vitandis communis Theologorum sententia intellexit; cui contraria *Fagnani* opinio de excommunicatis vitandis nihil in- com-

(*a*) De *Regnalibus* tamen constituit Pius V. Bul *Romani Pontificis an.* 1571. et Clemens X. Bul *Superna*, ut si praevio examine ab Episcopo generatim, et in perpetuum approbati fuerint, non possint ab eodem Episcopo, sed tantum ab Episcopo successore iterum ad examen revocari. Secus tamen est si approbati fuerint ad tempus, aut sub formula *ad nostrum beneplacitum.*

commodat. Si tamen adsit approbatus Sacerdos, probabilius est, non modo illicitam, sed et irritam fore absolutionem a simplici Sacerdote datam, nisi aut confessio antequam approbatus adveniret, inceperit, aut hic moribundi complex in turpi peccato fuerit, a quo absolvendus est aut justa de causa nolit approbato sacerdoti ipse moribundus confiteri, aut approbatus Sacerdos ejus confessionem vel justa de causa, vel iniqua, nolit audire. Vide Card. de Lugo *de sacr. poenit. Disp. XVIII. sect. 2.*

C A P. IV.

De Casuum reservatione.

Adv. I. Quaestio de jurisdictione Ministri ad aliam necessario nos vocat, utrum Episcopus, et Summus Pontifex possint certa peccatorum genera, sive certos *casus* sibi reservare absolvendos, ita ut nemo sive ordinaria, sive delegata jurisdictione instructus, ab iis absolvere valeat.

II. Lutherani asserentes, absolutionem non esse actum judicialem, sed concionem ad excitandam fidem, quae sola confitentem justificat, ex consequenti potestatem reservandi casus damnant, et irrident; cum nemo, inquiunt, impedire possit, quominus fides justificet. Quamvis ad terrorem aliorum atrociora quaedam, et publica scelera ad *Consistorium* deferenda statuerint, non ut reus a superiori tribunali absolvatur, qui jam per fidem coram Deo justificatur, sed ut ceteri discant, crimina illa esse graviora.

III. At Catholici docentes, absolutionem esse vere actum judicialem, ad quem jurisdictio necessaria est, ex consequenti affirmant, jurisdictionem inferioris judicis sicuti potest certis coarctari limitibus, loci, temporis, personarum, ita etiam posse in aliquibus peccatorum speciebus ita arctari, ut ab iis judex inferior irrito absolvat. Quare sit.

PRO-

PROPOSITIO

Dogma fidei est, posse Summum Pontificem, et Episcopos reservare sibi casus, a quibus inferiores Sacerdotes, etiam in foro conscientiae, absolvere nequeunt, nisi facultate ad id delegata.

Prob. I. Quod universa facit Ecclesia, id utrum fieri possit, aut faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est, ut verbis utamur *Augustini*. Atqui Ecclesia universa hanc potestatem in summo Pontifice, et Episcopis agnoscit; ut patet ex Conciliis oecumenicis ab universa Ecclesia receptis. Sic Concilium Viennense *Clemen. Religiosi: Quibus*, inquit, *etiam in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione maledictionis aeternae districtius inhibemus, ne a casibus sedi Apostolicae, aut locorum ordinariis reservatis quemquam absolvere praesumant*. Ergo etc.

Prob. II. Ad absolutionem jurisdictio necessaria est, ut supra ostendimus. Ecclesiae autem est dare Sacerdoti subditos, in quos jurisdictionem habeat, et exerceat. Sic in ipsa dioeceseon, et paracciarum divisione alios aliis dedit subditos. Potest igitur statuere, ut qui graviora quaedam admiserint peccata, nulli inferiori judici, sed superiori subdantur. Hoc est autem reservare casus. Ergo etc. Hinc merito Tridentinum *Sess. XVI. can.* 11. *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.*

Sed hac in re tria potissimum inquirenda sunt; 1.° Quaenam requirantur conditiones, ut casus aliquis censeater reservatus. 2.° Quinam possint reservare casus. 3.° Quinam absolvere a reservatis.

Q. I. *Quae requirantur conditiones, ut casus aliquis in individuo censearur reservatus.*

℟. Quatuor. 1.° Culpa certo gravis; nam venialia cum non sint materia necessaria Sacramenti, non reservantur. 2.° Actus externus. 3.° Consummatus, nisi

in

in canone, vel edicto reserventur etiam actus, qui ad ultimum, et consummatum disponunt, ut provocatio, et acceptatio duelli. 4.° Juxta *Habert* peccatum a pubere commissum. Incipit autem pubertas in masculis ab anno 14, in feminis a 12 completis. Casus autem reservatus est, etsi peccator reservationem ignoraverit.

Q. II. *Quinam possint reservare casus.*

℟. 1.° Summus Pontifex vel jure divino, vel ut non nulli volunt, ex ipso Episcoporum consensu; primae enim, inquiunt, reservationes casuum sedi Apostolicae factae sunt in Conciliis provincialibus, deinde oecumenicis; quae sententia quanti facienda sit, expendere non vacat. 2.° Episcopi. 3.° Congregationes sive *Capitula Regularium.*

Q. III. *Quinam possint absolvere a reservatis.*

℟. 1.° In articulo mortis quilibet Sacerdos, ut declarat Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 7. Si antem poenitens praeter spem convaluerit, et casui reservato censura etiam erat adnexa, adire superiorem debet sub poena *reincidentiae*, ut ajunt, in eandem censuram *Cap. Eos qui* 22. *de Sent. excomm. in* 6.

℟. 2.° Extra mortis articulum absolvere potest is, qui reservavit, et qui a reservante specialiter delegatus est, vel speciatim, vel etiam generatim, ut in *jubilaeis.* Si tamem absolutio ex prava poenitentis dispositione fuit irrita manet adhuc reservatio.

℟. 3.° Episcopi absolvere possunt a casibus S. Pontifici reservatis subditos suos, qui prae infirmitate, aliove impedimento sedem Apostolicam adire nequeant, ut sunt mulieres, senes, valetudinarii, pueri, pauperes etc. *Cap. Ea noscitur. Cap. Quod de his. Cap. De cetero de Sent. excommunic.* (a).

℟. 4.° Episcopi ex declaratione Concilii Tridentini *Ses-*

(a) Qui tamen propter temporarium, hoc est non perpetuum impedimentum absoluti sunt (exceptis pueris) eo cessante, sedem Apostolicam *sub poena reincidentiae* adire debent.

Sess. XXIV. de Ref. Cap. 6. absolvere possunt ab omnibus peccatis, censuris, et irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, et delictis ad forum contentiosum delatis. Post Tridentinum a Summis Pontificibus excepta est etiam haeresis, licet occulta, modo ore, vel signo satis prolata: nisi quod Episcopi possunt abjurationem haeretici in foro externo excipere, et tunc eum absolvere. Quoties autem Episcopis est absolvendi potestas, possunt illam simplici etiam sacerdoti speciatim delegare. (* Quamvis autem gravis inter Theologos agitata controversia fuerit, utrum haec Tridentini concilii facultas casus etiam comprehendat post concilium reservatos; verisimilior tamen *Suaresii* sententia est; omnes comprehendere, etiam reservatos post concilium Tridentinum exceptis iis, in quorum reservatione adjecta est clausula, quae saltem generatim concilii constitutionem abrogavit *)

℟. 5.° In casu necessitatis, puta cum poenitens non potest sine infamia, aut scandalo superiorem adire, potest, ex communi doctrina, Sacerdos, cui potestas non est absolvendi a reservatis, absolvere illum *directe* a non reservatis, in qua absolutione etiam reservata *indirecte* remittuntur, onere tamen imposito superiorem, cum primum poterit, adeundi. (a) Excepta hac causa, id non licet, nec valet absolutio.

℟. 6.° Qui tempore *Jubilaei*, peractis operibus a Pontifice praeceptis, oblitus est in confessione peccatum aliquod reservatum, potest deinde per alium Sacerdotem absolvi; si tamen specialis sit delegatio, dubia res est apud Theologos.

℟. 7.° Cum peccata Summo Pontifici reserventur propter censuram (exceptis duobus, quae sine censura reservata sunt, scilicet munerum acceptio a *Regularibus*, nisi ante fiat restitutio, et falsa accusatio, vel impulsus ad accusandum falso Sacerdotem sollicitationis ad turpia occasione confessionis) (b) ablata censu-

(a) Sed aliis placet, debere tunc poenitentem contritione justificari, perinde ac si non esset copia Sacerdotis.

(b) Simonia in ordinatione, etsi casus reservatus est cum censura: tamen ex constitutione *Sixti V.* etiam peccatum seorsim a censura reservatum est Bull. *Sanctum* 5. Jan. 1583.

ra, cessat reservatio. In casibus tamen Episcopalibus, qui reservantur non propter censuram, sed propter ipsum peccatum, secus se res habet, nisi Episcopi clarius mentem suam significent.

n. 8.° Qui a Summo Pontifice facultatem obtinuit generalem a reservatis absolvendi, non potest tamen a casibus Episcopo reservatis absolvere, ut saepius Summi Pontifices declararunt, et res ipsa clamat. Imo sub generali facultate non veniunt, quae specialem vel *specialissimam*, ut ajunt, reservationem habent, ideoque nonnisi speciali facultate remitti possunt (*a*).

Nunc quoniam demonstravimus, Poenitentiam esse Sacramentum, ejusque ministros habere a Christo potestatem peccata omnia remittendi, jam de ipso Poenitentiae Sacramento accuratius pro instituti brevitate agendum est.

PRO-

(a) Specialem reservationem habere dicuntur casus 1.o cum edicitur, ut a nemine *quovis privilegio munito* absolvi possint. 2.o cum ipsi R. Majori poenitentiario absolvendi facultas adimitur. *Specialissimam* vero reservationem habent 1.o cum edicitur, ut absolvendi facultas concessa non censeatur, nisi in specie nominentur, ut est praesertim haeresis, et simonia in ordinatione. 2.o cum reservatur casus donec certa a poenitente conditio adimplentur. 3.o cum censura lata est *ab homine per sententiam particularem*, quo in genere etiam *monitoria ad finem* revelandi continentur, 4.o cum res ad forum Ecclesiasticum deducta est. Tractat haec fuse, et luculentius Auctor *Baptismi laboriosi Tom. VI.* (*il Battesimo laborioso*) qui etiam catalogum recenset *casuum* S. Pontifici reservatorum. Casus autem ab Episcopo reservatos unusquisque in suae Diocesis Synodo inveniet. Quaenam vero in hujus Sacramenti ministro, qui simul est Pater, et judex, et medicus poenitentis est, requiratur sanctitas, quae prudentia, qui zelus salutis animarum, egregie pertractat Habert in *Praxi Sacramenti Poenit.* nosque etiam in peculiari Dissertione *Tom, VIII.* breviter explicavimus.

CAP, V.

De materia, et forma Sacramenti Poenitentiae.

Adv. I. Cum duplicem distinguant Theologi materiam, alteram *circa quam* versatur hoc sacramentum, alteram *ex qua* constat; non est dubium quin materia *circa quam* hoc Sacramentum versatur, sint peccata post baptismum admissa, non solum gravia, et quantumcumque atrocia, verum etiam venialia; gravia quidem necessario, quia alioqnin inutilis foret data Sacerdotibus solvendi, atque ligandi potestas; levia vero libere, quia possunt aliis operibus, et sacramentis deleri. Sed controversia est in Scholis gravissima, quae sit hujus Sacramenti materia, *ex qua* componitur.

II. *Scotus*, ejusque Schola universa, cui hac in re adhaeserunt *Maldonatus*, aliique Theologi, docent, non actus poenitentis, sed ipsam Sacerdotis absolutionem esse materiam simul, et formam Sacramenti Poenitentiae; materiam quidem, quatenus est sonus sensibilis; formam vero, quatenus remissionem peccatorum significat, necessarios tamen esse ponitentis actus, ut dispositiones, sine quibus Sacramentum effectu frustraretur.

III. At Thomistae cum reliquis Theologis affirmant, ipsos poenitentis actus, *contritionem*, *confessionem*, *et satisfactionem* esse materiam Sacramenti; formam vero esse verba absolutionis a Sacerdote prolata, ita ut non possit ratum esse Sacramentum, quin effectum producat suum.

IV. Rursus de forma disputatur, utrum ad ejus valorem necessaria sint *indicativa* verba: *Ego te absolvo*, an valeret etiam, si modo deprecationis proferretur ut *ex. gr, Absolvat te Dominus.* Pro priore sententia staut Thomistae post S. Thomam *Opusc. XXII.* pro posteriore recentiores, praesertim *Morinus*, qui illam fuse defendit, adhibito tamen temperamento, ac distinctione, quam infra explicabimus. Denique quaenam verba sint omnino ad formam Sacarmenti necessaria, quaeritur.

PROPOSITIO I.

Materia ex qua Sacramenti Poenitentiae sunt ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio, et satisfactio, sed non eodem modo, scilicet duo priores ad essentiam, tertius tantummodo ad integritatem Sacramenti pertinet.

Prob. ia. pars I. Partes sacramenti sunt materia, et forma. Atqui actus poenitentis sunt partes sacramenti, et quidem, fatentibus omnibus, non sunt sacramenti forma. Sunt ergo materia. Minor probatur ex Tridentini declaratione *Sess. XIV. Cap* 3. *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio, et satisfactio. Qui quatenus in poenitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur.* Idem docuerat *Eugenius IV.* in *Decreto.* Ergo etc.

Dicuntur autem a Tridentino actus poenitentis *quasi materia sacramenti, non quia verae materiae rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in confirmatione*, ut inquit Cathechismus Romanus *De Sacr. Poen.* §. 17. Neque vim argumenti evadunt Scotistae, cum respondent, actus poenitentis ideo partes Sacramenti appellari, quia necessariae sunt poenitentis dispositiones; nam alioquin etiam in aliis Sacramentis, quae necessariae dispositiones sunt, sacramenti partes dicerentur; fides *ex. gr.* spes, charitas, *partes Baptismi*, quod nemo dixerit.

Prob. II. Forma, et materia, tamquam duae Sacramentorum partes, a se invicem distinctae esse debent. Atqui absolutio Sacerdotis, fatentibus adversariis, forma sacramenti est. Non potest ergo simul esse materia. Quod enim dicunt, absolutionem, quatenus est aliquid sensibile, esse materiam, nulla ratione dictum est; nam omnis forma Sacramentorum, etiam ut forma est, debet esse sensibilis, ideoque quod absolutio

scu-

sensibilis est, non efficit, ut materia Sacramenti censeatur.

Prob. 2a. pars Sacramentum poenitentiae ad modum judicii institutum est. Sed ad judicium duae partes essentiales sunt, confessio rei, et sententia judicis: satisfactio vero licet ad judicii complementum et integritatem necessaria sit, non tamen ad ejus naturam pertinet, cum propter rei infirmitatem, aut praematuram mortem deesse possit, aut etiam condonari, et nihilominus perfectum esse judicium. Ergo etc. Haec autem de actuali satisfactione intelligenda sunt; nam satisfaciendi votum, cum in ipsa contritione sit implicitum, si omnino desit, deest ipsa contritio, ideoque deest sacramenti pars *essentialis*.

Diluuntur Objecta.

Objic. I. Concilium Tridentinum vocat actus poenitentis dispositiones ad Sacramentum utiliter suscipiendum. Non sunt ergo ejus materia.

℟. *Neg. cons.* Sunt enim dispositio simul, et materia; dispositio quidem, quatenus poenitentem ad remissionem peccatorum consequendam praeparant; materia vero, quatenus a Sacerdote per absolutionis formam ad sacramenti rationem evehuntur.

Inst. Materia debet esse sensibilis Sed contritio interior, et invisibilis est. Ergo potest esse dispositio, sed non materia sacramenti.

℟. *Dist. maj.* Debet esse sensibilis vel per se, vel per signa, et effectus, *conc.* Per se tantum, *neg.* Eadem ratione *Dist. min.* Contritio non est sensibilis per se ipsa, *conc.* Per signa, et effectus, nempe bona poenitentis opera, *neg.*

Objic. II. Si penitentis actus essent Sacramenti materia, ipse poenitens minister Sacramenti esset. Sed hoc absurdum est. Ergo etc.

℟. *Neg. seq. maj.* Minister enim sacramenti non ille est, qui materiam suppeditat, sed qui illam evehit per formam ad rationem sacramenti.

Inst. In aliis Sacramentis idem minister materiam adhibet, et profert formam. Ergo et in hoc.

PROPOSITIO II.

Forma Sacramenti Poenitentiae sunt verba illa Sacerdotis: Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. *Non tamen omnia*, *sed ea sola*, absolvo te, *ad substantiam formae videntur pertinere*

Prob. 1a. *pars*, 1.° *Eugenius IV.* in *Decreto* eam docet esse Sacramenti formam. 2.° Eam praescribunt omnes Libri Rituales. 3.° Ea est Sacramenti forma, quae effectum sacramenti satis exprimit; formae enim Sacramentorum, quod significant, efficiunt. Sed ea verba satis explicant effectum poenitentiae, remissionem scilicet peccatorum per legitimum ministrum. Ergo etc.

Prob. 2a. *pars*. In verbo *absolvo* intelliguntur tum pronomen *ego*, tum verba illa *a peccatis tuis*. Verba vero illa: *in nomine Patris* etc. non sunt ad explicandum Sacramenti effectum omnino necessaria; nec a Christo instituta (ut patet ex silentio veterum) sed ab Ecclesia adjecta sunt, tum ad majorem reverentiam, tum ad explicandam originem, unde tanta in Sacerdotem manarit auctoritas. Restat ergo, ut illa solum verba *Absolvo te* ad substantiam formae pertineant; quae communis Theologorum sententia est. Peccaret tamen graviter Sacerdos vel unum praetermittens verbum, in re tanti momenti Ecclesiae praeceptum parvi pendens, praesertim cum non desint, qui saltem verba illa *a peccatis tuis* ad formae essentiam putent pertinere.

Dices. Si illa solummodo verba *Absolvo te* ad substantiam formae pertinent, reliqua supervacanea sunt.

Resp. Minime. Pronomen enim *Ego* auctoritatem quamdam significat, verba illa *a peccatis tuis* clarius explicant, absolutionem non proferri de censuris, aliove vinculo, sed de peccatis; denique *in nomine Patris etc.* tum ad reverentiam, ut diximus, tum ad explicandam potestatis originem adjecta sunt.

PRO-

PROPOSITIO III.

Valuit aliquando apud Latinos, valetque hodie apud Graecos forma absolutionis modo deprecationis prolata, sed jam apud Latinos irrita est.

Prob. 1a. pars. Patres passim affirmant, remitti peccata poenitentibus per orationes Ecclesiae, *ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri*, inquit Leo M, *Epist LXXXIII. alias XCI.* Ideoque Sacramentum hoc manuum impositionem appellant, quia in absolutione poenitentium oratio super ipsos fundebatur: *Quid est enim aliud manus impositio, nisi oratio super hominem* inquit Augustinus *Lib. III. de Bapt.* Ergo valebat tunc apud Latinos absolutio modo deprecandi prolata. Viguisse autem hunc morem in Ecclesia Latina per XII. priora saecula, probat *Morinus* ex *Sacramentario Gregorii M.* ex Alcuino *Lib. de Div. Offic.* ex omnibus Ritualibus Libris usque ad hoc saeculum.

Prob. 2a. pars ex Graecorum *Euchologiis*, in quibus forma Sacramenti poenitentiae non alia praescribitur, nisi deprecatio; et tamen nulla Graecis ea de re intentata lis est a Latinis tum in Concilio Lugdunensi II. tum in Florentino; imo *Clemens VIII.* in *Instructione de Ritibus Graecorum Collegii Romani* edita an. MDXCV. permittit Graecis deprecandi formam, ita tamen, ut si Latinos absolvant *indicativa forma utantur, et postea, si voluerint, dicant orationem illam, quam pro forma ejusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.*

Quod autem respondent Thomistae, in *Eucologiis*, et Ritualibus Libris formas Sacramentorum silentio praetermitti propter arcani disciplinam, falsum est. Nam licet prioribus ea saeculis disciplina viguerit, ut saepe diximus, ne infidelibus mysteria Religionis panderentur; tamen posterioribus nulla ratio silendi erat; imo videmus in Ritualibus libris clare descriptas aliorum Sacramentorum formas.

Prob. 3a. pars. Ad valorem hujus sacramenti non solum necessaria est potestas ordinis, materia, et forma; verum etiam jurisdictio, quam Ecclesia potest certis

conditionibus dare, vel auferre. Cum ergo hodie Ecclesia Latina nonnisi ea sub conditione jurisdictionem concedat, ut minister forma *indicativa* utatur quod patet ex eo, quod communis hodie Latinorum Theologorum sententia docet, non valere formam deprecationis, nec *Eugenius IV.* nec Concilium Tridentinum aliam formam tradunt, nisi *indicativam*, imo Tridentinum luculenter declarat, alias orationes, quae dicuntur a Sacerdote, non pertinere ad absolutionis essentiam, licet eumdem habeant sensum, ac forma indicativa, hinc sequitur, non valere hodie in Ecclesia Latina formam absolutionis, deprecandi modo prolatam.

Objecta solvuntur.

Objic. I. con. 1m. part. Forma sacramenti Poenitentiae est actus judicialis, sive sententia a Sacerdote prolata. Atqui sententia proferri nequit, nisi modo *indicativo*: aliud est enim *Absolvo*, aliud *opto*, vel *oro*, *ut absolvaris*. Ergo non valuit umquam, nec valere potuit forma absolutionis modo deprecationis. Atque haec sine dubio est doctrina S. Thomae *Opusc. XXII. Cap.* 11. *Miror*, inquit, *qua temeritate aliquis asserat, se solutum, quem habens claves non significat, se solvere, sed solum rogat, esse solvendum.* Ergo tum ratione, tum auctoritate tanti Doctoris constat, irritam semper fuisse absolutionem ad modum deprecationis.

℟. *Dist. maj.* Est sententia prolata a sacerdote nomine, atque auctoritate propria, *neg.* Nomine Christi, cujus est instrumentum, *conc.* Eadem ratione, *Dist. min.* Non potest nisi modo indicativo proferri sententia, nomine proprio, *conc.* Nomine Christi, *neg.* Cum enim Sacerdos orat, ut poenitens absolvatur; satis ostendit, se judicare, illum esse absolvendum, Christus autem, qui est primarius Sacerdos, et judex, promisit, se absoluturum in coelis, quem sacerdos in terris judicaverit absolvendum per orationem, qua postulat, ut ille absolvatur. Quod quidem confirmatur ex eo, quod etiam absolutio a censuris est actus judicialis, et tamen fatetur *S. Thomas*, eam pronunciari posse per deprecationem. Adde quod supra advertimus, idem esse *Absol-*

solvo te, ac *Absolvat te Dominus*, subintelligendo *per me*.

Ad auctoritatem vero ejusdem *S. Thomae*, quam non diffitemur esse gravissimam, eadem responsione utimur, qua ipse solvit argumentum petitum ex auctoritate antiquorum, nempe *Guillelmi Antissiodorensis*, *Guillelmi Parisiensis*, aliorumque, qui docebant, valere formam deprecationis. Respondet enim S. Doctor, eos, si tunc viverent, *non praejudicaturos communi sententiae Magistrorum*. Ita ergo et nos respondemus, Doctorem egregium, si hodie viveret, inspectis Graecorum *Euchologiis*, quae tunc non erant apud Scholasticos pervulgata; perspecta etiam oeconomia Ecclesiae Latinae, quae nunquam Graecorum absolutionem irritam judicavit, imo illam probavit, a priore sententia discessurum.

Objic. II. cont. 2m. part. Quae forma semper valuit, valebit semper. Si ergo valuit aliquando, valebit etiam hodie deprecationis formula.

Resp. Dist. ant. In sacramentis, quae non requirunt in ministro jurisdictionem, quam Ecclesia certis conditionibus potest dare, vel auferre, *conc.* In sacramento poenitentiae, ad cujus valorem necessaria illa jurisdictio est, *neg.*

PROPOSITIO IV.

Absolutio non scripto, sed verbis pronunciari debet, nec potest valide ad absentes mitti, sed proferenda super poenitentem moraliter praesentem, et confitentem.

Prob. 1a. pars. Absolutio, ut paulo ante ostendimus, est forma Sacramenti. Sed hujus Sacramenti forma verbis pronunciari debet. Hinc *Eugenius IV.* in *Decreto*, *Forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis, quae Sacerdos profert, cum dicit etc.* Et Tridentinum *Sess. XIV. Cap. 3. docet Sancta Synodus Sacramenti Poenitentiae formam . . . . . in illius ministri verbis positam esse.* Ergo etc.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 2*a*. *pars*. 1.° Verba illa. *Ego te absolvo* praesentem hominem (saltem moraliter) requiruut. 2.° *Clemens VIII.* hanc quorumdam propositionem damnavit anno MDCII. *Licet per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.* Ergo etc.

Dices Poenitentiae Sacramentum in forma judicii ministratur. Atqui judex civilis sententiam potest scripto proferre, imo etiam judex Ecclesiasticus in absolutione a censuris. Ergo etc.

℟. *Neg. cons. et. parit.* Sententia enim judicis civilis, et Ecclesiastici (dum de censuris agitur) est institutionis humanae, ac proinde ejus modum homines definire possunt. At sententia Sacerdotis in Sacramento poenitentiae divinae institutionis est, ideoque irrita, si ab eo, quod Deus instituit, recedatur.

Scholion.

I. *Clemens VIII.* contrariam doctrinam damnans, non novum jus condidisse, sed vetus vindicasse a contrariis *Casuistarum* interpretationibus videtur. Ac proinde quidquid nonnulli in contrarium scripserint cum *Morino*, *Tournely* etc. verisimilius nobis videtur confessionem, et absolutionem inter absentes, etiam ante decretum *Clementis VIII.* illicitam, atque irritam fuisse. Vide Sylvium 3. *P. Q. IX. art.* 3. Lugo *Disp. XVII.* Gouet *Disp. XII. art.* 4. *etc.* Nihil vetat tamen, quin poenitens scripto confiteatur; deinde praesens eam confessionem generatim ore repetat, modo Sacerdos omnia sibi memoriae praesentia esse affirmet.

II Diximus, saltem *moralem* necessariam esse praesentiam; quia potest aliquando poenitens aliquantum absens absolvi, si Sacerdos accurrere non valens data voce audiri possit. Sic potest aliquando Sacerdos e fenestra moribundum, e littore vel e navi vicina naufragantes absolvere.

III. Si Sacerdos in admonitione poenitentis occupatus aut alia de causa mente evagatus formam absolutionis proferre oblitus fuerit potest poenitentem ipsum jam recedentem, quem revocare non potest, absolvere; nisi longe recesserit, ut jam moraliter praesens censeri nequat. Si vero eum revocare possit, revocet. *)

CAP. VI.

Consectaria Capitis superioris de proferenda, vel neganda, vel differenda absolutione.

Ex iis, quae superiori capite dicta sunt de materia, et forma Poenitentiae, facile intelligitur, quando Sacerdos absolvere, quando absolutionem negare, vel differre debeat. Quod quidem maximi momenti negotium est, et fortasse gravissimum omnium, quae in Theologia universa tractari possunt. Multi enim pereunt ob Sacerdotum hac in parte ignorantiam, negligentiam, mundanum timorem, vel amorem. *Quid Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum, et Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio?* inquiebat *Sanctus Thomas Villanovanus*: et Concilium Lateranense II *Can.* 22. *Sane inter cetera unum est, quod Sanctam maxime perturbat Ecclesiam., falsa videlicet poenitentia.* Quod malum jam aetate sua emergens Cyprianus *Lib. de lapsis* vehementius insectatur, dicens: *Emersit novum genus cladis, et quasi parum persecutionis procella saevierit, accessit ad cumulum sub misericordiae titulo malum fallens, et blanda pernicies etc.* Non minus tamen formidandum est, ne nimia poenitentes severitate perdantur.

I. Cum contritio, confessio, et satisfactio sint materia Sacramenti; hinc sequitur, poenitentem vere contritum, qui peccatum confessus est, et satisfactionem accipere se profitetur, statim absolvendum, nisi obstet aut Ecclesiae disciplina, aut cito relabendi periculum. Posita enim a poenitente Sacramenti materia, jus ille quodammodo habet, ut Sacerdos formam, idest absolutionem proferat. *Nisi obstet*, inquam 1.° *Ecclesiae disciplina*; nam prioribus saeculis satisfactio absolutionem praecedebat, ut suo loco dicemus; 2.° *periculum cito relabendi*; si enim poenitens in gravi, et veluti proxima relabendi occasione versetur, in qua scilicet vel propter ipsam tentationis vim, vel propter poenitentis fragilitatem, prudenter timetur, ne sit peccaturus, differenda ei est absolutio, quamvis contrito, donec aut occasio-

sionem removerit, si potest, aut si non potest, a deo in bono proposito confirmatus sit, ut occasio relabendi videatur remota. Hac enim ratione Ecclesiae disciplina non patitur, ut infantes infidelium, invitis parentibus, baptizentur, quia morale periculum est, ne acceptam gratiam cito ammittant. In his consentiunt etiam faciliores *Casuistae* apud Ligorium *Lib. VI Cap. I. Dub.* 2.

II. Cum nefas, imo sacrilegium sit, sacramentum sine legitima materia ministrare, patet, gravissime peccarre Sacerdotem, qui eum absolvere audet, quem moraliter certum est, non esse contritum. Ejusmodi sunt qui in ipso actu peccati nulla dantes poenitentiae signa moriuntur; qui rem alienam, aut famam injuste laesam restituere nolunt; qui inimicitias cum proximo gerentes, reconciliari detrectant; qui proximam peccandi occasionem nolunt dimittere. Quae quidem faciliores etiam Theologi morales concedunt, nisi quod excipit ipse *Merbesius Tom. II.* moribundos, qui in actu peccati sensibus destituuntur, quos sub conditione absolvendos putat, contra *Habert*, *Juenini*, aliorumque sententiam.

III. Rursus cum materia dubia, excepta causa extremae necessitatis, adhiberi sine peccato non possit, sequitur etiam, peccare Sacerdotem, qui eum audet absolvere, de quo prudenter dubitet, vel dubitare possit, ac debeat, quin sit contritus; nisi prudentibus etiam rationibus ea tunc dubitatio abjiciatur. Ejusmodi autem sunt *recidivi*, *consuetudinarii*, et versantes in proxima peccandi occasione, quam saepe promiserunt, aut nunc promittunt, se dimissuros, aut quam omnino dimittere non possunt.

IV. *Recidivi* ergo, sive illi, qui postquam absoluti fuerunt, prima, vel fere prima levi tentatione prostrati in peccatum relapsi sunt, praesertim si ferme nihil conentur in bono proposito permanere, cum argumentum praeseferant prudenter dubitandi, an sincera sit eorum contritio, absolvi statim ordinarie non possunt, etsi verbis, imo ut lacrymis promittant, se in posterum non peccaturos. *Alphonsi* etiam *Ligorii* calculo haec doctrina probata est.

V. *Consuetudinarii*, sive illi, qui ex peccatorum frequentia in peccandi consuetudinem venerunt, cum non soleant ordinarie converti in momento, sed pau-

latim; dubitari de iis ordinarie debet, utrum revera contriti sint, ideoque, dubia existente contritione, absolvi statim nequeunt, ut in *Instruct. Confessar* S. Carolus Borromaeus, et ipse mansuetissimus S. Franciscus Salesius in *Instruct Synod*. sapienter admonent. Vide Collet *Tom. VI. part.* 2. Unde merito damnata ab *Innocentio XI* illa propositio: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae, et Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat* (sicut ordinarie non apparet) *non est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.* Quanta autem peccatorum frequentia sufficiat, ut quis *consuetudinarius* censeatur, generatim definiri nequit, sed pro varia peccatorum specie, variaque occasione, in qua poenitens sit versatus, varie judicandum est; sunt enim quaedam peccata, quae quia violentius trahunt, tribus, vel etiam paucioribus actibus peccandi consuetudinem inducunt; totumque hoc prudentis Sacerdotis arbitrio relinquendum est.

VI. Porro qui illicitas artes exercent, ut lenones, Comoedi, Usurarii, quique licitis artibus abutuntur ad res illicitas, ut Pictores, Bibliopolae, aliique, ii inter *consuetudinarios* referri debent, ideoque non absolvi, nisi artibus illis, aut abusibus omnino valedixerint.

VII. Non solum illi, qui ignorant mysteria fidei ad salutem necessaria *necessitate medii*, ut Trinitatis, et Incarnationis (qui utique cum justificari non possint, frustra absolvuntur), verum etiam ii, qui ignorant quae scitu necessaria sunt necessitate praecepti, ut Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, praecepta Decalogi, et Ecclesiae: cum consuetudinem habeant hoc praeceptum contemnendi, eodem modo haberi debent, ac *consuetudinarii*, nisi forte praeceptum illud hucusque invincibiliter ignoraverint. Sufficit tamen, ut ista sciant, saltem quoad substantiam, aut si adeo sunt ingenio tardi, ut impossibile eis sit ista addiscere; sufficit etiam, ut faciant quantum in ipsis est; praecepta enim ad impossibile non obligant.

VIII. Iis ergo omnibus, qui supra dicti sunt, *consuetudinariis*, ac *recidivis* differenda absolutio est; inte-

terim adjuvandi monitis, consiliis, orationibus, idque per tantum temporis spatium, donec non verbis, sed operibus demonstrent, se esse contritos. *Temporis moram non quaero*, inquit Chrysostomus *Hom. XIV. in II, ad Cor. sed animae correctionem, Hoc itaque fac demonstres, sint ne compuncti, sint ne in melius immutati, et res tota confecta est. Quod nisi ita sit, nihil profecto temporis diuturnitas emolumenti attulerit.*

IX. Nullius autem momenti sunt, quae contra ea molliores ministri solent objicere, nempe quod hac ratione poenitentes illi aliquando pejores fiunt, et desperationi se tradunt. Non enim haec mala timenda sunt; quando poenitentes non aspere, sed blande, et cum magna charitatis significatione dimittuntur. Quod si etiam eo modo dimissi pejores fieri volunt, certe dispositi non sunt; nec sunt a nobis facienda mala, ut mala caveamus aliena.

X. Sunt tamen causae duae, quibus *consuetudinarii*, ac *recidivi* statim absolvi possunt, periculum mortis, in quo materia dubia uti licet, et signa conversionis extraordinaria, cujusmodi sunt cessatio a peccatis, etiam validiori impellente tentatione, opera virtutis egregia, ac difficilia, occasionum fuga, vitae genus veteri contrarium, adhibita contra novos lapsus remedia, et in ipsis jam raris relapsibus moeror animi, atque tristitia. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Vide haec fusius ap. Collet *loc. cit.*

XI. Demum qui in proxima versantur peccandi occasione, eamque cum possint, removere nolunt, cum satis ostendant, se non solum de peccato non dolere, sed etiam habere in malo obfirmatam voluntatem, eos sine absolutione dimittendos esse, satis constat. Unde merito damnatae ab *Innocentio* XI. propositiones illae duae. *Potest aliquando absolvi qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, et non vult omittere, quin imò directe, et ex proposito quaerit, aut ei se ingerit.* Et, *proxima peccandi occasio non est fugienda, quando causa aliqua utilis, et honesta non fugiendi occurit.* Occasio autem proxima est vel natura sua, ita ut omnibus ruinae causa sit, licet multi *per accidens* non cadant, vel proxima est *per accidens*, pro peeu-

culiari scilicet alicujus infirmitate. Quae ergo natura sua proxima est peccandi occasio, ea semper removenda est, quantumcumque poenitens protestetur, ac juret, se in illa non cadere. Quae vero talis est *per accidens*, mutata poenitentis dispositione, tolerari aliquando potest.

XII. Igitur de occasione proxima, quae sparsim diximus, e majoris perspicuitatis gratia, sic contrahimus. Qui in proximà qualibet versantur peccandi occasione, vel eam possunt, vel non possunt dimittere. Si possunt, et nolunt, etiam in mortis periculo absolvi nequeunt. Si possunt, et se dimissuros promittunt, differenda est eis absolutio, excepto instanti mortis periculo, donec reipsa dimiserint. Denique si non possunt, differendi sunt, excepto mortis periculo, donec occasio per preces, jejunia, aliaque pietatis opera evaserit remota.

XIII. Cum contritio sit Sacramenti materia, eam ante absolutionem elici necesse est: non potest enim proferri forma sacramenti, nisi praesente materia. Sive autem ante confessionem fiat, sive post illam, non multum videtur interesse, quamvis consultius videatur, ut praecedat contritio confessionem.

XIV. Ex quo etiam aliud sequitur, nempe contritionem vel actu, vel virtute perdurare in animo debere, dum absolutio pronunciatur, ideoque contritionem, quae ita confessionem, et absolutionem praecessit, ut aliis interpositis actibus, censeatur interrupta, non sufficere ad Sacramenti valorem, qua in re non tam temporis intercapedo, quam actuum diversitas consideranda est.

XV. Rursum ex eodem principio sequitur, quoties nova pronunciatur absolutio, novum elici oportere contritionis actum, et confessionem, ut si quis post absolutionem gravis alicujus peccati recordetur.

Jam de materia, et forma poenitentiae diximus hucusque generatim. Reliquum est, ut singillatim de omnibus poenitentiae partibus agamus, de contritione scilicet, confessione, satisfactione, et absolutione, de qua adhuc alia discutienda restant, quae ut hoc in loco dicerentur, non patiebatur ordo doctrinae.

CAP.

C A P. VII.

De Contritione,

§. I.

Quid, *et quotuplex est contritio.*

Adv. I. Praecipua poenitentiae pars contritio est, quae sola saepe aliarum partium defectum supplet; quae si desit, frustra omnia reliqua geruntur.

II. Definitur autem contritio a Tridentino *Sess. XIV. Cap. I. Animi dolor, et detestatio da peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Haec definitio contritionem explicat, quae quovis tempore, etiam ante Legem Evangelicam fuit ad salutem consequendam necessaria. Sed quia in Lege Evangelica propositum non peccandi in posterum comprehendit etiam voluntatem suscipiendi Sacramentum a Christo ad justificationem institutum, addenda sunt definitioni ea verba ad majorem rei perspicuitatem, *et voto confitendi*, *et satisfaciendi*; quae verba definitionem coarctant ad contritionem Evangelicam, et *sacramentalem*.

III. Est autem contritio duplex, perfecta, et imperfecta, quae ab Scholasticis dicitur *attritio*. Perfecta est, quae ex ratione sive *motivo* perfecto, nempe ex charitate concipitur; imperfecta vero, quae ex *motivo* imperfecto oritur, nempe ex metu *gehennae*, vel ex peccati turpitudine, non quatenus famam, aut decorem naturae rationalis labefactat, sed quatenus opponitur pulchritudini justitiae. Rursus perfecta contritio duplex est, alia quidem perfecta simul ex *motivo*, et vehementia, sive graduum intentione; alia perfecta quidem ex *motivo*, sed graduum intentione debilis. Et pari ratione imperfecta contritio duplex est, alia quae nullum habet admixtum inchoatae charitatis motum, sed ex solo concipitur *gehennae* metu, aut horrore turpitudinis peccati; alia quae praeter imperfectum hoc *motivum*, aliquod etiam adjunctum habet inchoatae charitatis initium, ac motum; prior *specie* differt a contrione

per-

perfecta, propter *motivum specie* diversum, altera vero ab ea non differt, nisi gradibus. Nos antequam de singulis dicamus contritionis speciebus, quae generatim omnibus communia sunt, brevi discutiemus, quae quidem ad duo summa capita revocantur, conditiones scilicet, et necessitatem.

PROPOSITIO I.

Omnis contritio, ut ad salutem prosit, aut ad sacramentum disponat, debet esse supernaturalis, appretiative summa, et universalis. Est dogma fidei.

Prob. 1a. *pars.* Nullus naturalis actus, ut in *Lib. VII.* ostendimus, ad gratiam disponere hominem valet. Ergo contritio, ut ad gratiam disponat, supernaturalis sit oportet; supernaturalis inquam ex *motivo* supernaturali, seu per fidem cognito, et ex supernaturali Dei auxilio. Merito itaque ab Innocentio XI. et a Clero Gallicano damnata est illa propositio: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

Prob. 2a. *pars.* Contritionem scilicet debere esse summam. Dolor enim tantus esse debet, quantum est malum praesens, ac proinde dolor de malo summo, quale est peccatum, summus esse debet. Unde *Joel.* II. 12. dicitur: *Convermini ad me in toto corde vestro.* Quod autem summa esse debeat *appretiative*, non autem necesse sit, quamvis optandum, ut etiam intentione summa sit, ex eo patet, quod *appretiatio*, seu aestimatio mali, ex qua dolor sequitur, est in superioribus animae potentiis, intellectu, et voluntate: intentio autem, seu vehementia doloris, ex aliis etiam inferioribus potentiis oritur, quae non semper imperio voluntatis obtemperant, fitque aliquando, ut quis intentius, ac vehementius doleat de minori malo *ex gr.* de morte parentum, quam de peccato, licet in voluntatis aestimatione magis de peccato tristetur, paratusque sit non solum parentes, et rem familiarem, sed etiam vitam ipsam libenter amittere, ne Deum offendat. Cum ergo Deus non praecipiat, nec exigat nisi voluntatis actus, non est necesse, ut contritio inten-

tentione summa sit, licet optandum, ut contritio simul sit et *appretiative*, et *intensive* summa, ut patet. Ergo etc.

Prob. 3a. *pars.* 1.° Qui de omnibus peccatis mortalibus non dolet, de nullo vere dolet; qui enim de uno sincere dolet, illudque detestatur ut Dei offensionem; omnia alia detestetur necesse est; in quibus est offensio Dei. 2.° Non potest unum peccatum mortale sine alio remitti; remittitur enim per sanctificantem gratiam, quae omnia simul peccata delet. Ergo etc.

Dices cont. 3m. *part.* Qui de peccato veniali dolet, etiam de eo tristatur, ut offensio Dei est; ac proinde si quid valeret nostra ratiocinatio, probaret etiam, contritionem de venialibus peccatis debere esse universalem; quod cum sit difficile, dicendum esset, consultius esse homini justo non confiteri venialia peccata, ne forte sacrilegium admittat sine vera contritione absolutus. Sed hoc absurdum est, et tot hominum piorum pacem turbaret. Ergo etc.

Resp. Neg. maj. Peccatum enim veniale cum gratia sanctificante stare potest, et remitti unum sine alio. Ergo justus, saltem de uno sincere tristari potest, licet de aliis non doleat, atque ita paulatim venialia errata emendare, et renovari de die in diem. Fatemur quidem, eum, qui sola confiteretur venialia, et de nullo doleret, sacrilegium commissurum. Sed hoc piorum pacem turbare nequit, cum possint ii vel aliquod anteactae vitae peccatum grave simul cum venialibus confiteri, vel si nullum grave peccatum post baptismum admiserint, confiteri venialia, et saltem de uno dolere quantum sufficit ad sacramenti valorem.

Inst. Ex nostra ratiocinatione, si quis vere de uno veniali peccato doleret, quia offensio Dei est, doleret etiam de omnibus, in quibus pariter est Dei offensio. Ergo si de omnibus non dolet, de nullo vere dolet.

Resp. Dist. ant. Doleret etiam de omnibus, si eodem modo omnia consideraret, et adverteret, *conc.* Secus, *neg.* Fatemur, hominem, qui sciens et volens ita statueret: In hoc veniali peccato offensio Dei mihi displicet, in aliis non displicet, nullius venialis peccati vere poenitere. Sed fieri potest, ut justus ad u-

num

qui diligit, *ex Deo natus est. I. Joan. IV.* 7. Ergo necessaria non est contritio.

℟. *Neg. cons.* Charitas enim, si vera est, necessario efficit contritionem peccatorum, quae menti occurrunt; quis enim putaret, vere charitatem in eo esse, qui peccata non oderit, quorum est conscius, nec mores in melius mutare statuat? Idcirco justificatio charitati tribuitur, quia ipsa necessaria causa contritionis est.

Scholion.

I. Diximus, explicitam contritionem esse necessariam ad delenda peccata, quorum aliquis est conscius, quia quae quis oblitus est, per solam charitatem sine explicita contritione remittuntur.

II. Ad remissionem vero venialium peccatorum requiritur quidem aliqua contritio: *Ne quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque sive magno, sive parvo peccato ad correctionem sine poenitentia transire*, inquit Augustinus *Epist. XLVIII.* Sed videtur ad id sufficere *virtuali* illa contritio, quae in actu charitatis *implicite* continetur; perfectior enim poenitentia requiritur ad remissionem gravium, quam levium peccatorum, ut S.Thomas advertit 3. *P. Q. LXXXVII. art.* 1.

III. Quoniam contritio de peccatis gravibus necessaria est etiam ex praecepto, gravis est quaestio inter Theologos, quandonam obliget praeceptum illud. Multi enim contendunt, illud statim obligare, hoc est simul ac aliquis advertit, se peccasse; quia, inquiunt, praeceptum illud non tam *positivum*, quam negativum est, sive praeceptum non permanendi in statu, et voluntate peccati. Ita S. Antoninus 3. *P Q.* 14. *Cap.* 18. S.Thomas *in IV. Dist.XVII. Q.*3. *art.*1. S. Bonaventura *in IV.Dist.XVII.p.*2.*art.*2. *q.*2. Alii existimantes, praeceptum illud esse omnino positivum, affirmant, nonnisi certis temporibus urgere, nempe 1.° In mortis periculo; 2.° saepe etiam in vita, in qua tot sunt improvisae mortis pericula; 3.° cum aliud praeceptum urget, ad quod status gratiae sanctificantis necessarius est, ut *ex. gr.* cum aliqua sacramenta suscipienda, vel mini-

stranda sunt. Nos itaque distinguendum putamus: Vel peccatum menti occurrit, ut Dei offensio, vel non occurrit, aut saltem occurrit tantum secundum aliqua ejus adjuncta, poenam, infamiam etc. Si menti occurrit, ut offensio Dei, statim praeceptum contritionis obligat; vel enim de eo peccator delectatur, vel non curat; semper novam Deo injuriam irrogat. Hinc Chrysostomus *Hom. XIV. in Matth. Non dolere quia peccaveris, magis irasci facit Deum, quam illud ipsum, quod ante peccaveras.* Si vero non ita menti peccatum occurrit, non urget quidem statim praeceptum contritionis, sed nimia procrastinatio peccatum est. Ait enim Dominus *Eccl. V. 8. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te.* Qualis autem procrastinatio nimia censeri debeat, definiri vix potest. Sed ex circumstantiis judicandum, quae dilatio contritionis tanta sit, ut contemtui aequivaleat. Profecto illam ad annum differri sine peccato non posse, certum est; sed et ad mensem differri sine peccato, non mihi persuaserim.

§. II.

De Contritione perfecta.

Adv. I. Jam supra diximus, duplicem esse contritionem perfectam, vel ob *motivum* charitatis, vel ob gradum intentionem, seu *intensitatem*, ut ajunt, ac vehementiam. Concilium autem Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 4. duo declarat, 1.° contingere, contritionem aliquando charitate perfectam esse, hominemque Deo reconciliare, priusquam Sacramentum actu suscipiatur: 2.° reconciliationem hanc non esse ipsi contritioni tribuendam sine sacramenti voto. Sed cum non explicaverit, 1.° utrum loqueretur de contritione quoad gradus perfecta, an de perfecta tantum *ex motivo*: 2.° utrum perfecta contritio semper hominem Deo reconciliet ante Sacramentum, an id aliquando contingat, nempe in causa necessitatis; hinc quatuor ortae sunt sententiae Theologorum de perfectae contritionis effectu. Prima docet, contritionem, de qua loquitur Tridentinum, esse contritionem in-

in-

tentione perfectam, eamque semper hominem Deo reconciliare ante Sacramentum. Hanc sententiam *Catechismus Romanus* a Pio V. probatus, et ubique in Latina Ecclesia receptus, Parochis praedicandam tradit. Altera docet, contritionem utcumque perfectam non semper, sed aliquando, in caussa scilicet necessitatis, hominem ante sacramentum justificare. Quam sententiam inter *Baji* articulos 31. 32. 33. 70. 71. damnatam, ab ipsoque *Bajo* retractatam, amplexus videtur *Estius*, licet eum alii benigne interpretentur de contritione perfecta *motivo*, non gradibus. Tertia, contritionem perfectam esse eam, quae talis est dumtaxat ex *motivo*, licet vehementia, et intentione sit debilis; eamque semper justificare ante Sacramentum. Quarta, contritionem perfectam ex *motivo*, sed gradibus debilem, non semper, sed in causa necessitatis hominem justificare.

II. Illud etiam disputatum est inter Theologos, utrum ad Sacramentum poenitentiae necessaria sit contritio illa perfecta, quae jam hominem ante Sacramentum justificet; quam sententiam *Magister Sententiarum*, *Hugo*, *et Richardus Victorinus*, *Antissiodorensis*, *Halensis*, *Albertus M.*, *S. Bonaventura*, imo et alii in ipso Tridentino Concilio, et post Tridentinum secuti sunt. Nos quid sentiamus, sequentes propositiones aperient.

PROPOSITIO I.

Contritio intensitate perfecta semper hominem ante Sacramentum justificat.

Prob. I. Ex Scripturis, et Patribus, qui ubique docent, charitatem efficere hominem Deo charum. *Joan. XIV.* 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus:* Filium Dei adoptivum: *I. Joan. IV.* 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*; ideoque heredem regni caelestis: a peccatis mundatum. *I. Pet. IV.* 8. *Charitas operit multitu-*

di-

dinem peccatorum etc. Unde Chrysostomus *Hom. VII. in II. ad Tim. Ubi charitas est, omnia subblata sunt mala.* Atqui haec vera esse debent saltem de charitate perfecta, quae contritionem intensitate perfectam producit. Ergo etc.

Prob. II. ex damnatione propositionum *Baji*, quarum una (31.) sic habet: *Charitas perfecta et sincera. quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Ergo etc. Adde, Concilium Tridentinum aperte declarare, contritionem perfectam hominem ante Sacramentum semper justificare, particula enim *aliquando* non est adiecta verbo reconciliandi, ita ut significet, contritionem perfectam aliquando justificare hominem sed adjecta est perfectioni charitatis, ita ut significet, contritionem aliquando charitate esse perfectam, et tunc semper hominem Deo reconciliare.

Dices. Magna erat charitas, et contritio peccatricis, de qua ipse Christus ait *Luc. VII. 37. Quoniam dilexit multum*, et tamen nondum ei fuerant dimissa peccata; quae tunc tantum remissa sunt, cum audivit a Christo: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo charitas, et contritio quamvis vehemens, non justificat ante Sacramentum.

℟. *Neg. ant.* Quoad 2m. part. Dicitur enim: *remittuntur peccata, quoniam dilexit*, non quia tempore praecesserat dilectio sine remissione peccatorum; sed quia dilectio, et contritio ordine, et natura prior est remissione peccatorum. Adde, in Graeco textu haberi: *Remissa sunt peccata multa.*

Inst. Paulus perfectissime contritus est, quando ab *Anania* audivit: *Baptizare, et ablue peccata tua.* Ergo perfecta contritio numquam justificat ante Sacramentum vel Baptismi, vel poenitentiae. Hinc Augustinus *Tract. XIII. in Joan. Quantumcumque catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis portat, non ei dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum.*

℟. *Neg. cons.* Licet enim contritio perfecta ante Sacramentum justificet, manet tamen poenitens obligatus Sacramento suscipiendo, cujus voto in contritione impli-

plicito peccata ei remissa fuerant. Dicitur ergo, per Sacramentum ablui peccata, tum quia ex ipsius sacramenti voto peccata diluuntur, tum quia, suscepto sacramento, omnis omnino solvitur obligatio, quae remanebat, etiam dimisso peccato. Adde, quod in baptismo reipsa suscepto remittitur omnis poena etiam temporalis, ac proinde Saulus perfecte contritus habebat adhuc, quod in baptismo ablueret. Ad auctoritatem *Augustini* respondemus, catechumenum, quantumvis proficere in moralibus virtutibus videatur, non justificari, nisi in Baptismo. Non ait autem *Augustinus*, catechumenum charitate perfectum nonnisi in ipso Baptismo justificari. Loquitur enim adversus eos catechumenos, qui sibi de profectu virtutum blandientes, baptismum suscipere negligebant, quorum charitatem multum imperfectam fuisse, perspicuum est. Tractat haec fusius Collet. *Tom. VI. Part.* 1. ubi multa alia, quae contra opponuntur, argumenta dissolvit.

PROPOSITIO II.

Contritio ex motivo quidem charitatis perfecta, sed gradibus remissa, si quidem ejus debilitas oritur ex ipsa voluntate non satis forti, non justificat ante Sacramentum reipsa susceptum, nisi forte in caussa necessitatis, sed si debilis est propter infirmitatem inferioris appetitus; semper hominem ante Sacramentum justificat.

Prob. 1a. *pars. I.* Scripturae non quamcumque contritionem, sed valde vehementem ad hominis justificationem necessariam esse, docent. *Joel. II.* 12 *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra.* Deuter. IV. 29. *Si quaesieris Dominum, Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.* Sic peccatricem poenitentem tanto doloris impetu contritam refert Lucas, ut lacrymis laverit pedes Jesu *Luc. VII.* 38. 44. et Petrum flevisse amare, hoc est magna doloris acerbitate, testantur Matthaeus *Matth.*

Matth. XXVI. 75. Hinc Patres talem esse debere dolorem affirmant, qui cum peccati magnitudine comparari possit. *Quam magna deliquimus*, inquit Cyprianus *Lib. de Lapsis*, *tam granditer defleamus.* Ergo etc.

Prob. II. ex Catechismo Romano, cujus non levis est auctoritas. Sic enim ait *Part. II. De instit. Sacr. Poenit. Ut hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat, eam adeo vehementem, acrem, et incensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum peccati magnitudine aequari, conferrique possit? Et quoniam pauci ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam, ut a paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit, ut clementissimus Dominus faciliori ratione hominum saluti consuleret quod quidem admirabili consilio effecit, cum claves regni coelestis Ecclesiae tradidit.*

Prob. III. ratione theologica. Cum contritio non multum est vehemens, idque ex ipsa voluntate non nimis incensa, tunc vigere adhuc in mente affectum rerum terrenarum, putandum est: haec enim duo charitas, et cupiditas, ita sibi invicem adversantur, ut quantum uni decedit, accedat alteri. Atqui non videtur credibile, hominem adhuc amore sui ipsius quodammodo implicitum, sine sacramento justificari posse. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Ecclesia semper oravit, et sacrificia obtulit pro defunctis catechumenis, et poenitentibus. Putavit ergo, eos sine baptismo, et absolutione sacramentali in caussa necessitatis potuisse justificari. Atqui noverat Ecclesia, vel omnibus, vel saltem pluribus ex iis catechumenis, et poenitentibus non fuisse contritionem vehementissimam, sed adhuc imbecillam. Ergo talis contritio in caussa necessitatis justificat vel *immediate*, vel per novam contritionis gratiam, quam benignissimus Deus non denegat ei, quem non negligentia, vel contemtus Religionis, sed extrema necessitas beneficio sacramenti exclusit.

Prob. 3a. pars. Inferiores potentiae non semper imperio rationis parent; fitque aliquando, ut qui minorem videtur habere charitatem, et contritionem sensibilem, ille fortius diligat, atque doleat; imo longe fortioris charitatis argumentum est, quod firma permaneat non

sed

solum adversus externos tentationum impetus, verum etiam contra rebellantes inferioris appetitus procellas; cum contra qui vehementissimam sibi videbatur habere contritionem sensibilem, prima tentationis aura prosternatur. Talis erat initio conversionis *Augustinus.* Ergo cum contritionis infirmitas non oritur ex voluntate, quae jam Deum super omnia diligit satis fortiter, ut omnia propter Deum adversa superet (licet adhuc voluntas illa major, et fortior esse possit); sed ex inferioribus potentiis, nihil ei deest, quominus hominem ante Sacramentum justificet. Hinc Scripturae, et Patres, nulla facta mentione graduum sensibilis illius contritionis, vim justificandi tribuunt charitati. *Prov. VIII.* 17. *Ego diligentes me diligo.* Joan XIV. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Hinc etiam Augustinus *Tract. IX. in Joan. Cum habere coeperit homo charitatem, Spiritum Sanctum habebit.* Et *Tract. V. in I. Joan. Non discernuntur Filii Dei a filiis Diaboli, nisi per charitatem. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo, qui non habent, non sunt nati ex Deo.*

Diluuntur Objecta.

Objic. I. cont. 1m. part. Scriptura, et Patres sine ulla exceptione pronunciant, per charitatem hominem Deo reconciliari. Ergo quamvis in ipsa voluntate charitas exigua, et in infimo gradu sit, semper hominem ante Sacramentum justificat.

℞. *Dist. ant.* Sed hanc exceptionem ostendunt in iis locis, in quibus contritionem requirunt acrem, ac vehementem, quae loca supra protulimus; *conc.* Secus, *neg.*

Objic. II. Quaevis charitas, quantulacumque sit, habet quidquid ad naturam, et proprietates charitatis pertinet; praefert Creatorem creaturae; habet *plenitudinem legis;* denique *numquam excidit*; ac proinde non patitur, ut homo illa praeditus damnetur. Ergo etc.

℞. *Dist ant.* Quantulacumque charitas habet quidquid pertinet ad naturam charitatis in gradu remisso, ac debili, ac proinde non satis per se apto ad inducendam charitatis habitualis formam, *conc.* Secus, *neg.* Sicut quivis vel exiguus caloris gradus habet quidquid pertinet ad naturam caloris, et tamen non satis per se aptus

aptus est ad excitandum ignem, sic de charitate sentiendum est. In iis enim qualitatibus, quae varios habere possunt gradus, non est putandum, eundem effectum produci posse a minore, qui a majore earum qualitatum gradu producitur, licet ambo ejusdem sint generis. Quod autem ait Apostolus *I. Cor. XIII. 8. Charitas numquam excidit*, intelligendum est de charitate habituali, quae non excidit per supervenientem gloriam, ut fides, et spes.

Objic. III. Damnata est a S. Pontificibus illa *Baji* propositio (31) *Charitas perfecta, quae est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Ergo qualiscumque charitas perfecta non potest esse a remissione peccatorum sejuncta.

℟. *Neg. cons.* Damnata enim merito est *Baji* propositio, quia cum generalis sit, complectitur etiam charitatem intentione perfectam.

PROPOSITIO III.

Contritio perfecta, quae hominem ante Sacramentum justificet, non est necessaria dispositio ad sacramentum suscipiendum.

Prob. I. Ex iis Scripturarum, et Patrum locis, quibus supra ostendimus, potestatem esse a Christo Ecclesiae datam, non solum declarandi, peccata esse remissa, verum etiam illa vere, et proprie dimittendi.

Prob. II. ex Concilio Tridentino, quod cum definiat, contritionem aliquando esse charitatem perfectam, hominemque Deo reconciliare ante Sacramentum, aperte significat, id non semper contingere, sed passim contritionem esse imperfectam, hominemque Deo reconciliare in ipso Sacramento.

Prob. III. ex Catechismo Romano, qui *P. II. de Poenit.* §. 47. contritionem perfectam, de qua loquimur, negat esse necessariam ad Sacramentum dispositionem, quam doctrinam confirmavit Sacra Facultas Parisiensis anno MDCXXXVIII. damnans propositiones contrarias *Claudii Seguenot*, tamquam *quietis animarum*

perturbativas, communi, et omnino tutae Ecclesiae praxi contrarias, efficaciae Sacramenti imminutivas, et insuper temerarias, et erroneas. Et Clerus Gallicanus in Comitiis anni MDCC. *Haec*, inquit, *duo imprimis ex Sacrosancta Synodo Tridentina monenda, et dicenda esse duximus, primum ne quis putet, in utroque Sacramento* (Baptismi, et Poenitentiae) *requiri, ut praeviam contritionem eam, quae sit charitate perfecta, quae cum voto Sacramenti, antequam actu suscipiatur, hominem Deo reconciliet* Ergo etc.

§. III.

De contritione imperfecta, seu attritione.

Adv. I. Contritionem imperfectam, quae *attritio* vocatur ab Scholasticis, eam diximus, quae ex *motivo* imperfecto concipitur, nempe ex timore poenarum aeternarum, vel ex horrore turpitudinis peccati, quatenus opponitur pulchritudini justitiae. Rursus monuimus, contritionem imperfectam esse duplicem, aliam nempe, quae adjunctum habet aliquod charitatis initium, quaeque non specie, sed gradibus a contritione perfecta distinguitur, aliam, quae nullum adjunctum habet initium charitatis, sed ex solo poenae metu, vel solo horrore turpitudinis peccati ortum habet.

II. Lutherani docent, attritionem malam esse, cum timore gehennae adversetur certitudini fidei, hominemque reddere pejorem, et hypocritam, quem errorem Concilium Tridentinum damnavit, At Catholici fatentes, eam bonam esse, disputant inter se, utrum attritio illa, quae nullum habet admixtum charitati initium, sufficiat ad hominem in Sacramento justificandum; nam extra Sacramentum ad justificationem non sufficere, apud omnes compertum est.

III. Advertendum autem est, timorem esse duplicem, *servilem*; et *filialem*. Timor servilis eorum est, qui, a peccando abstinent formidine poenae, timor filialis, et castus est eorum, qui peccatum oderunt amore Dei, quem timent offendere. Porro servilis timor est rursus duplex alter quidem *serviliter servilis*, qualis est eorum,

rum, qui peccare vellent, nisi metu poenae coërcerentur; alter vero simpliciter servilis, qui omnino excludit voluntatem peccandi.

PROPOSITIO I.

Attritio concepta ex timore poenae aeternae per fidem cognitae, bona est, et utilis. Est dogma fidei.

Prob. Illa attritio bona est, atque utilis, cujus *motivum* bonum est, et utile. Atqui *motivum* attritionis, quae ex timore aeternae poenae concipitur, bonum est, atque utile. Nam 1.° Scriptura, et Patres non solum peccatores saepe metu poenae aeternae terrent; quod non facerent, si timor iste malus esset, verum etiam ad hunc timorem nos hortantur. *Timete eum*, ait Christus *Luc. XII. 5. qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Unde Augustinus *in Ps. CXXVII. Bonus est*, inquit, *iste timor, et utilis, quo homo timet ne mittatur in gehennam. Fac timore poenae si nondum potes amore justitiae.* 2.° Communis est sententia Patrum, per timorem poenae duci hominem ad amorem boni. *Timor Dei*, inquit Augustinus *Tract. IX. in Joan. sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit; opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.* Quia scilicet timor poenae peccandi voluntatem aliqua ex parte coërcet, impedit externum peccati opus; cupiditatem minuit, et consuetudinem peccandi; donec incipiat dulcescere Deus, atque ita timor parat charitati locum. Hinc merito Tridentinum *Sess. VI. can. 8.* definit: *Si quis dixerit, gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

Objectiones.

Objic. I. Qui odit peccatum formidine poenae, magis poenam odit, quam culpam. Atqui hoc vitium est, ut patet. Ergo etc.

℞. *Dist. maj.* Si formido poenae est simpliciter servilis; excludens scilicet voluntatem peccandi, *neg.* Si est *serviliter servilis*, *conc. Dist.* etiam *min.* Vitium est, plus odisse poenam, quam culpam, vitium inquam ipsius timentis, *conc.* Vitium ipsius timoris; quasi timor poenae natura sua postulet, ut plus timeatur poena, quam culpa, *neg.* Igitur timere poenam, bonum est, cum poena malum sit, quod fugere bonum est. Sed qui timet poenam, potest peccatum magis, vel minus timere, quam poenam. Si peccatum magis timet, jam nullum vitiom est odisse peccatum, et quia per se malum est, quia poenam habet sequentem. Si vero peccatum minus timet, quam poenam, jam vitium est non timoris poenae, qui bonus est, sed ipsius timentis, qui non tantum timet peccatum, quantum timendum est. Sicut ergo fides *informis*, ut observat S. Thomas 2*a.* 2*ae* *Q. XIX. art.* 4. bona est, quia quod *informis* sit fides, non est fidei ipsius vitium, sed hominis, sic timor etiam *serviliter servilis* bonus est, quia quod timor talis sit, non est ipsius timoris vitium, sed hominis, qui peccare vellet, si eum non cohiberet bonus iste timor.

Inst. 1.° Timor poenae natura sua est charitati contrarius, quia ab illa expellitur, sicut frigus ab igne. Nam *I. Joan. IV.* 18. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Ergo natura sua malus est.

℞. *Neg. ant. Joannes* enim ait, charitatem expellere timorem, non tamquam sibi contrarium, sed ut minus perfectum, sicut visio beata expellit fidem, ac spem.

Inst. 2.° Qui odit peccatum formidine poenae, agit ex amore sui ipsius, quia scilicet seipsum amat, ac sibi timet; sed hoc vitium est; amor enim sui aedificat civitatem Babylonis ex *Augustino*, sicut amor Dei civitatem Jerusalem. Ergo etc.

℞. *Di-*

℟. *Dist. maj.* Agit ex amore sui ipsius, qui potest esse rectus, atque ordinatus, nisi vitio timentis pervertatur, *conc.* Agit ex amore sui ipsius, qui natura sua perversus est, *neg.* Igitur diligere seipsum, tantum abest, ut per se malum sit, quin potius sit praeceptum ut exemplar amoris proximi: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, modo hic amor ad debitum finem, nempe Deum dirigatur. Quod si is, qui peccatum odit timore poenae, amorem sui ipsius ad Deum non refert, sic in seipso tamquam in ultimo fine quiescit; vitium quidem hoc est non amoris, sed amantis qui bono male utitur, et amorem sui ipsius intendit usque ad contemtum Dei, ideoque aedificat civitatem Babylonis.

Objic. II. Patres, praesertim *Augustinus* saepe docent, eum, qui a peccato abstinet metu poenae, esse ut lupum, quem canum latratus ab ovili arcet; premere intus malam voluntatem, quae timore deposito, aliquando se prodet: *Timor, quo non amatur justitia, sed timetur poena, servilis est, quia carnalis est; et ideo non crufigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quae tunc apparet in opere, quando speratur impunitas*, inquit Augustinus *Conc. XXV. in Psal.* 118. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Et hoc Patres esse dicunt vitium ipsius timoris, *neg.* Vitium timentis, qui timorem illum, qui bonus est, nondum refert ad amorem justitiae, *conc.* Docent ergo Patres, eum, qui ex solo poenae metu a peccato abstinet, adhuc malam habere voluntatem, sed bonum esse timorem, quo saltem externum opus peccati impeditur, atque ita fit, ut paulatim, interruptis peccati actibus, succedat dilectio justitiae. Donec autem dilectio ista succedat, timens adhuc malus est vitio suo, non timoris.

PRO-

PROPOSITIO II.

Licet attritio ex solo gehennae metu, vel ex solo horrore turpitudinis peccati, vel ex utroque simul orta, bona sit, et utilis, non est tamen sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento Poenitentiae. Ideoque ut attritio sufficiat ad sacramentum, debet aliquod habere adjunctum Dei amoris initium.

Prob. I. ex Scriptura, quae 1.° Dei dilectionem ita necessariam esse docet ad justificationem, ut sine ea deleri peccatum non possit. I. *Joan. III.* 14. *Qui non diligit, manet in morte.* I. Cor. XVI. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Et, I. Cor. XIII. 3. Si *tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 2.° Hanc dilectionem esse docet maximum, et primum Dei mandatum, ex quo pendet universa Lex: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . hoc est maximum, et primum mandatum.* Patet autem, neminem justificari posse, nisi proponat mandata Dei servare, inter quae maximum istud, et primum de dilectione nemo potest velle servare, nisi diligat. Ergo etc.

Prob. II. ex Traditione 1.° Chrysostomus *Hom. IV. in II. Cor. Quod peccaveris*, inquit, *ingemisce, non quod poenas daturus sis: nihil enim est hoc; sed quod Deum tam benignum, tamque te amantem offenderis.* 2.° Augustinus *Lib. II. cont. Advers. Leg. Cap* 7. *Desiderium peccandi non extinguitur, nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur, non per jubentem litteram timore poenae, sed per juvantem spiritum dilectione justitiae.* 3.° Leo M. *serm. VII. de jejun.* 7. *Mens. Tanta est sub hujus geminae charitatis edicto utriusque copula Testamenti; ut sine istarum connexione virtutum nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia.* Ergo etc.

Prob. III. ratione. 1.° Nemo justificari potest, nisi ad Deum toto ex corde convertatur. *Joel. II.* 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Sed qui nullam ha-

habet amoris Dei scintillam, ad Deum toto corde conversus dici non potest: sicut enim ad creaturas conversus ille est, qui diligit creaturas, easque Deo anteponit, ita ille ad Deum conversus est, qui Deum diligit, eumque anteponit creaturis. *Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi*, inquit Leo M. *Serm. VII. de Jejun. 7. Mens.* 2.° Sine vero, ac sincero odio peccati, justificari a peccato absurdum est. Sed qui nullam habet justitiae dilectionem, nondum odit peccatum, licet timeat poenam; ideoque peccare nolit. *Tantum enim quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit*, ut recte ait Augustinus *Ep. CXLV. al. CXLIV.* odium enim mali ex amore contrarii boni proficiscitur. 3.° Qui inimicitias cum proximo gessit, absolutionis, ideoque et justificationis capax non est, nisi redintegratae cum eo amicitiae, et charitatis signa non ambigua ei exhibuerit. At qui in peccato mortali est, inimicitias cum Deo gessit. Ergo justificationis, ideoque et absolutionis capax non est putandus, nisi redintegrata, saltem quoad actum, cum Deo amicitia, alioquin esset existimandum, plus requiri ad absolvendum eum, qui proximum laeserit, quam qui Deum.

Prob. IV. Ex novitate contrariae sententiae, quae novitas in rebus Theologicis gravissimum est falsitatis praejudicium. Nullum enim ex Patribus, aut Scholae principibus, ut *S. Thomam, S. Bonaventuram*, imo nullum ex veteribus Theologis ante saeculum XVI. reperire possumus, qui docuerit, attritionem ex solo poenarum metu, sine ullo charitatis initio, ad justificationem in Sacramento sufficere. Primi, qui eam opinionem timide protulerunt, ut *Sotus, Canus, Suarez, Vasquez* ingenue confessi sunt, eam esse novam, neque tutam (a). Ergo licet postea opinio illa longe lateque pervagata, eva-

---

(a) *Doctrina haec*, inquit *Sotus in IV. Dist. XVIII. Q. 3. art. 2. non est ita multum vetus. Patres enim solam contritionem agnoscebant esse necessariam.* Et *Suarez Tom. IV. in 3. P. Q. X* [illegible] *art.* [illegible] *Sect.* [illegible] *n.* [illegible] *Est hic morale dubium, cum illa opinio nec multum antiqua sit, nec multum communis.*

erit fere apud Casuistas communis; non tamen liberata est vitio novitatis, ideoque et falsitatis praejudicio.

Prob. V. ex Concilio Tridentino, quod licet controversiam hanc definire noluerit, teste Pallavicino *Lib. XII. cap.* 10. tamen satis Ecclesiae sensum declaravit, 1.° cum docuit *Sess. VI. Cap.* 6. dilectionem Dei esse unam ex dispositionibus ad justificationem aeque, ac fidem, et spem, *credentes*, inquit, *in spem eriguntur ... illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* 2.° cum *Sess. XIV. Cap.* 4. definit, contritionem fuisse quovis tempore ad salutem necessariam; hanc vero contritionem esse quasi materiam, et partem Sacramenti poenitentiae. Quis autem ignorat, contritionem, quae fuit quovis tempore ad salutem necessaria, non esse *attritionem* ex solo metu poenarum, aut horrore turpitudinis peccati? Vide haec uberius pertractata apud Witassium *De Sacr. Poen. Q. III. art.* 6. Berti *Lib. XXXIV. Cap.* 5. ubi alios praeclarisssimos laudat Theologos hujus sententiae patronos (*a*).

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Concilium Tridentinum *Sess. XIII. Cap.* 4. postquam declaravit, attritionem ex metu poenarum, vel horrore turpitudinis peccati esse Dei donum, et impulsum Spiritus S. moventis, sed nondum inhabitantis subdit: *Et quamvis sine Sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit.* Atqui non valeret haec antithesis inter attritionem sine Sacramento, et attritionem in Sacramento, si quemadmodum extra sacramentum non sufficit, ita nec in Sacramento sufficeret. Ergo declaravit Tridentinum, attritionem illam in Sacramento ad justificationem sufficere.

(a) Vide etiam Bossuetum *de dilectionem Dei in Sacr. Poenit. Queras Eclaircissemens sur le vrai sentiment du Concile de Trente sur l' attrition. Opstraet de conversione peccatoris ec.*

℟. *Neg min.* 1.° quia teste Pallavicino *loc. cit.* cum nonnulli decreto inseruerint verbum *sufficit*, Concilium de industria illud mutavit, substituitque verbum *disponit*, cum aliud sit disponere, aliud sufficere: ipsa enim fides disponit ad gratiam in Sacramento impetrandam; nemo autem Catholicus dixerit, illam sufficere. 2.° quia mens Concilii iis verbis non fuit instituere antithesin inter attritionem extra Sacramentum, et attritionem in Sacramento, sed occupare objectionem, quae contra attritionem fieri potuisset, nempe eam esse inutilem; quam objectionem Concilium dissolvens ait, quamvis attritio extra Sacramentum non possit peccatorem justificare, non tamen propterea inutilem esse, cum hominem disponat ad gratiam in Sacramento impetrandam.

Inst. 1.° Quod excludit voluntatem peccandi, sufficit ad justificationem in Sacramento impetrandam, Sed Concilium docet, attritionem aliquando excludere voluntatem peccandi. ***Si voluntatem***, inquit, ***peccandi excludat cum spe veniae.*** Ergo tunc sufficit.

℟. *Dist. maj* Quod excludit voluntatem peccandi ex odio peccati, *conc* Quod excludit voluntatem peccandi, sine peccati odio, sed ex solo metu, vel horrore ejus turpitudinis, *neg*. Porro qui nullam habet justitiae dilectionem nullum habere potest peccati odium, quod oritur ex amore contrarii boni, ut supra diximus. *Tunc victa vitia putanda sunt, cum Dei amore vincuntur*, inquit *Augustinus*; sine odio autem peccati non potest constare contritio illa, quae est Sacramenti materia, quaeque ex Tridentino, ut supra diximus, comprehendit non solum voluntatem non peccandi in posterum, verum etiam odium vitae veteris, seu peccati.

Inst. 2.° Concilium Tridentinum docet, contritionem, quae ex amore Dei procedit, fuisse quovis tempore (hoc est etiam in lege veteri) necessariam. Atqui si etiam post legem Evangelicam necessaria esset, jam difficilior esset justificatio in Evangelica lege, quam in naturali, aut Mosaica; tunc enim illa contritio sine Sacramento, ideoque sine onere confessionis justificabat; nunc autem additum est confessionis onus, et obli-

obligatio. Ergo putandum est, Christum instituisse Sacramentum, ut efficeret quod contritio ex solo poenarum metu efficere non poterat in veteri lege.

℟. *Neg. min. et consequentiam*, qua nihil cogitari potest absurdius, nempe Christum, qui ignem, hoc est charitatem venit mittere in terram, acerbissimam crucis mortem oppetiisse, ut liberaret homines a lege charitatis. Nec propterea difficilior est in nova lege justificationis via, tum quia contritio illa in veteri lege intentior, et perfectior, ideoque rarior esse debebat, ut homines sine sacramento justificaret, tum quia abundantior est in nova lege gratia, qua homines ad poenitentiam, et contritionem ducuntur. Imo ipsa confessio peccatorum, quae prima fronte videtur aspera, magna recreat consolatione poenitentis animum, magnamque affert utilitatem.

Objic. II. Nihil vetat Scripturam, et Patres, qui amorem Dei ad justificationem requirunt, explicare cum *Tournely*, aliisque Theologis de amore concupiscentiae, nempe spei, et desiderii aeternae beatitudinis. Ergo nihil inde pro nostra sententia concludi potest.

℟. *Neg. ant.* quod nescio quomodo *Tournely*, aliisque viris doctis in mentem venire potuerit. 1.° enim adeo clara sunt laudata Scripturarum, et Patrum verba, ut si ea detorquere liceret ad amorem spei, liceret etiam verba illa. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ad amorem spei detorquere. 2.° Cum dicunt, non sufficere timorem poenae, simul ostendunt, non sufficere amorem beatitudinis, qui in timore illo includitur, imo ejus est causa. 3.° Tridentinum praeter amorem spei requirit ad justificationem amorem charitatis; *in spem eriguntur . . . . . illumque tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt.* Ergo.

Objic. III. Vetus est Theologorum axioma: *Homo in Sacramento poenitentiae ex attrito fit contritus.* Atqui non constaret hujus axiomatis veritas, si necessarius esset etiam in Sacramento *initialis* charitatis motus. Ergo etc.

℟. *Dist. maj.* Vetus est, et verum illud axioma in sensu veterum illorum Theologorum, *conc.* In sensu adversariorum, *neg.* Veteres Theologi attritionem a ced-

contritione distinguebant, vel ratione *subjecti* sicut fidem informem a fide formata, ut testantur S. Thomas, et Bonaventura *in IV. Dist.* 17. vel ratione graduum, unde ait Guillelmus Antissiodorensis *Lib. IV. Sum de Sacr. Poenit. Si quis quaerat, quae sit differentia inter attritionem, et contritionem; sic est, sicut vulneratio non lethalis ad occisionem; sicut calefactio ad arsionem, sicut lumen crepusculi ad meridiem.* Hoc igitur sensu, hominem in Sacramento ex attrito fieri contritum, verum est, quia si attritio differt a contritione ratione *subjecti*, sicut fides informis a *formata*, constat, hominem, qui ante justificationem erat attritus, mox in sacramento justificatum, contritum fieri. Si vero attritio a contritione differt ratione graduum, infusa per Sacramentum gratia, et aucta charitate, attritio fit contritio. Numquam vero in mentem venit Theologis ante saeculum XVI. quo nova adversariorum opinio inventa est, hominem ex solo poenarum metu attritum, in sacramento justificari, ideoque fieri contritum. Accidit quidem aliquando, ut per preces Sacerdotis, ejusque monita, poenitens, qui attritus accesserat, opitulante Dei gratia, ante absolutionem aliquem etiam concipiat initialis charitatis motum, atque ita ex attrito fiat contritus, et justificetur: sed hoc fortasse rarum non posset axiomatis habere locum.

Scholion.

Cum nec Concilium Tridentinum aperte hanc controversiam diremerit, et *Alexander VII.* die V. Maji An. MDCLXVII. sub poena excommunicationis latae sententiae vetuerit, *ne quis audeat alicujus censurae Theologicae, alteriusque injuriae, et contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei, in praefata attritione ex metu gehennae concepta, quae hodie inter Scholasticos communior videtur* (ob ingentem scilicet Casuistarum numerum) *sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum*; nos tamquam filii obedientiae nullam adversariis, eorumque sententiae censurae notam inurimus;
in-

interim tamen obsequentes etiam *Innocentii XI.* definitioni, non licere contendimus certis incerta praeponere; idest in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore. Quod et Clerus Gallicanus in Comitiis anni MDCC. sapienter admonuit.

C A P. VIII.

De Confessione Sacramentali.

Adv. Altera Poenitentiae pars Confessio peccatorum est, de qua inquirendum est, primo utrum revera a Christo instituta, et praecepta sit; deinde quaenam ejus esse debeant conditiones necessariae; tertio speciatim de ejus integritate; quarto de secreto, et sigillo confessionis; quinto denique de Ecclesiastico confessionis praecepto.

§. I.

Utrum Confessio Sacramentalis a Christo instituta, et praecepta sit.

Adv. Lutherus *in Catechis. min.* et Calvinus *Lib. III. Inst. Cap.* 4. §. 7. eorumque asseclae vel inviti Confessionis utilitatem fateri coacti sunt. Sed contendunt, eam non esse a Christo institutam, vel praeceptam; et quamvis in Ecclesia antiquam propter disciplinam poenitentiae publicae, non tamen ex divino jure necessariam, sed liberam, et in Concilio tandem Lateranensi IV. (*Can. Omnis utriusque sexus*) praeceptam quod *Dallaeus* magno molimine probare conatur in Libris *De Confessione auriculari.* Addunt in ea singillatim enumeranda non esse omnia peccata, eorumque circumstantias. In eumdem errorem lapsi erant saeculo XIII. quidam obscuri nominis auctores apud *Alcuinum*, saeculo XIV. *Wiclefus*, saeculo XV. *Petrus de Osma* a Sixto IV. damnatus; saeculo XVI. Erasmus *in Cap. XIX. Actor*, et Renanus in *Lib. Tertulliani de Poenit.*

PRO-

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, confessionem omnium, et singulorum peccatorum mortalium, et circumstantiarum, quae peccati speciem mutant, fuisse a Christo institutam, ac praeceptam iis, qui post baptismum lapsi sunt.

Prob. I. ex Scriptura. Christus Dominus *Joan. XX.* 22. Apostolis potestatem fecit ligandi, et solvendi peccata. *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum*, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Atqui longe absurdissimum est Christum permisisse Apostolis, ut pro lubitu, et caeco modo quos vellent absolverent, aut ligarent, incognita caussa; *Constat enim*, inquiunt Tridentini Patres *Sess. XIV. Cap.* 5. *Sacerdotes judicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis infligendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, ac non potius in specie, ac singillatim sua peccata declarassent.* Ergo facta a Christo Apostolis potestate remittendi peccata, necessario praecepta est confessio omnium, et singulorum peccatorum lethalium, ideoque et circumstantiarum, quae peccati speciem mutant.

Prob. II. ex Traditione, quam facile esset deducere a primis Ecclesiae seculis usque ad Concilium Lateranense IV. in quo mentiuntur haeretici, primo praeceptam esse peccatorum confessionem, si pateretur instituti nostri brevitas. Pauca ergo seligemus ex singulis quibusque saeculis testimonia. In I. saeculo viventibus adhuc Apostolis, ait Lucas *Act. XIX.* 18. *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos.* Quis autem non videt, hic agi de credentibus, sive jam baptizatis, qui peccata sua confitebantur? Quod autem publica fuerit, vel occulta illa confessio, nihil ad rem.

Saeculo II. Tertullianus *Lib. de Poenit. Cap.* 9. *Is actus*, inquit, *qui magis Graeco vocabulo exprimitur, et frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia na-*

nascitur, poenitentia Deus mitigatur. Ne quis autem putet, confessionem Domino faciendam intus in corde nostro, et non Sacerdotibus, subdit Tertullianus *Cap. 10. Plerique tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre praesumunt, pudoris magis memores, quam salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erubescentia sua pereunt.* Vide, confessionem Domino factam esse illam, quae fit sacerdotibus vicem Dei gerentibus, qui peccatis mederi possunt, (quod diligenter notandum ad intelligenda quaedam veterum loca alioquin obscura), eamque adeo esse necessariam, ut sine ea peccator cum erubescentia sua periturus sit.

Seculo III. Origenes *Hom. II. in Ps. XXXVII.* postquam eum, qui detrectat confiteri peccatum, comparavit ei, qui noxios humores in stomacho latentes non evomit, subjungit: *Si autem sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas peccatum confiteri; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere.* Quid aliud dicere possent hodie sacri Oratores, ut confessionem occultorum criminum, atque electionem prudentis sacerdotis suaderent? Adde Cyprianum *Lib. de Lapsis* scribentem, etiam peccata occultissimae cogitationis fideles fuisse confessos apud sacerdotes Dei, alioquin poenam aeternam non evasuros.

Saeculo IV. Basilius *in Reg. Brev. interrog. 228. Necessario peccata aperiri debent quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Adde *Nyssenum*, *Pacianum*, *Paulinum*, *Hilarium* (a).

Saeculo V. satis est Chrysostomus, cujus potissimum auctoritate nequicquam gloriatur *Dallaeus*. Ait enim S. Doctor *Hom. de Muliere Samarit. Imitemur hanc mulierem, et ob nostra peccata non erubescamus, sed Deum ti-*

(a) Nyssenus *Orat. in eos, qui judic.* Pacianus *Paraenes. ad Poenit.* Hilarius *Cap. XVIII. in Matth.*

timeamus . . . qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, neque poenitentiam agere; in die illa non uno, aut duobus, sed universo orbe spectante, traducetur. Non minus clara sunt quae habet alibi *Lib. II. de Sacerdotio Cap.* 3. *Hom. IX. in Ep. ad Heb Hom. XXX. in Genes.* Idem docent *Hieronymus*, *Augustinus*, *Leo M.* aliique (*a*).

Posterioribus saeculis tantus est testium numerus pro secreta confessione peccatorum, ut longum esset proferre singulos. Satis est inspicere canones, in quibus poenitentia etiam occultis criminibus decreta est, quae nonnisi ex confessione poenitentis cognosci poterant (*b*). Vide Nat. Alexandrum *Dissert. XIV. in Hist. Eccl. Saec. XIII. et XIV.* et Dionysium Sammarthanum *contra Dallaeum.*

Merito ergo definivit Tridentinum *Sess. XIV. can.* 6. *Si quis negaverit, confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secreto confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.* Et Can. 7. *Si quis dixerit, in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta, et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias, quae peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, et consolandum poenitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam, aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum, aut demum non licere confiteri peccata venialia, anathema sit.*

(a) Hieronymus *in Cap. X. Eccles.* Augustinus *Hom. XLIX. inter* L. et al. Leo M. Epist. CXXXVI al. LXXX. etc.
(b) Tractant hoc argumentum de peccatis occultis eruditi *Morinus*, *Huguetus*, *Albaspineus*, et *Nat. Alexander.*

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Quod potest ab Ecclesia abrogari, non est divinae institutionis. Atqui confessio secreta peccatorum abrogata est in Ecclesia Constantinopolitana a *Nectario*, nemine contradicente. Scribunt enim Socrates *Lib. V. Cap.* 19. et Sozomenus *Lib. VII. Cap.* 16. Nectarium exauctorasse Presbyterum Poenitentiarium, occasione gravis scandali, quod secutum erat ex publica confessione peccati, ad quam ille matronam adegerat; ita ut unicuique, prout sibi conscius esset, ac fiduciam sibi haberet; ad sacrorum mysteriorum communionem accedendi potestatem faceret. Ergo.

℟. *Neg. min.* quae est contra mentem ipsius *Sozomeni*, qui in eodem loco duo docet, nempe *Nectarium* absolvisse Presbyteri Poenitentiarii munus, et tamen ad obtinendam veniam necessario confitenda esse peccata Sacerdoti; *Cum in petenda*, inquit, *venia peccata necessario confiteri oporteat.* Aliud ergo esse ait abolere Presbyterum Poenitentiarum, quod *Nectarium* fecit; aliud abolere confessionem peccatorum. Sciendum enim est, ante ortam Novatianorum haeresim cuique fideli liberum fuisse, ut eligeret prudentem Sacerdotem, apud quem peccata confiteretur, ut constat ex laudato *Origenis* testimonio. Ortis tamen Novatianis, qui remittendorum graviorum criminum potestatem Ecclesiae negabant, institutus est certus quidam Presbyter Poenitentiarius, cui omnes peccata sua confiteri tenerentur, ut ab eo poenitentiae, et satisfactionis sive publicae, sive occultae modum acciperent. Hoc igitur Praesbyteri poenitentiarii munere per *Nectarium* Constantinopoli abolito, res ad eum rediit statum, quo erat ante Novatianos, hoc est quisque probaret seipsum, et pro sua conscientia vel divinis mysteriis communicaret, vel si peccatorum lethalium conscius esset, cui placeret Sacerdoti confiteretur. Quod quidem manifestum est ex *Chrysostomo*, qui post *Nectarium* Constantinopoli sedens, confessionis necessitatem praedicavit, ut supra vidimus.

Inst. 1.° Scribunt *Socrates*, et *Sozomenus*, statuisse *Nectarium*, ut unusquisque prout sibi conscius esset, et

fiduciam sui haberet, ad sacrorum communionem accederet. Ergo non solum Presbyterum Poenitentiarium abstulit, sed ipsam confessionem.

℟. *Neg. cons.* Ajunt enim laudati Historici, *Nectarium* statuisse; ut quisque, prout sibi conscius esset, ad communionem accederet, hoc est, si peccati lethalis non esset sibi conscius; non tamen affirmant, si quis peccati lethalis esset sibi conscius, eum sine confessione ad sacra mysteria potuisse accedere.

Inst. 2.° Atqui hoc ipsum affirmant; scribunt enim, ex hac *Nectarii* constitutione *vetustatem*, ut inquit Sozomenus, *eique adjunctam gravitatem, et severitatem, jam tum in laxam, ac dissolutam vivendi rationem paulatim delapsam. Nam antea, ut quidem existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsi delicta enuntiabant, tum ob severitatem judicum, qui ad id erant constituti.* Ergo.

℟. *Neg. ant.* Quamvis enim abolito Presbytero Poenitentiario, non est abolita confessio; negari tamen nequit, enervatam hinc esse disciplinam, cum Presbyter ille velut ordinarius Poenitentiae Praefectus; peccata vel ultro a poenitentibus delata, vel probata per testes, poenitentiae vel publicae, vel privatae subjiceret, ejusque exactor esset. Qui quidem disciplinae vigor, Poenitentiario abolito, elanguit, cum unusquisque quem mallet presbyterum eligeret, nec publicam perageret poenitentiam, nisi vel sua sponte eam ingredi vellet; vel crimen admisisset famosius, quod publicae offensioni, et scandalo fuisset. De hoc igitur *Sozomenus* queritur.

Inst. 3.° Chrysostomus Nectarii successor pluribus in locis inculcat confessionem peccatorum nonnisi soli Deo faciendam. Sic *Hom. XXI. ad Pop. Antioch. Non cogit* (Deus), inquit, *in medium procedentes, quae peccavimus enumerare, sed sibi soli rationem reddere jubet, et sibi confiteri.* Similia docet alibi *Hom. V. de Incomprehens. Hom. IV. de Lazaro, Hom. IX. de Poenit. et al.* Ergo. *Nectarius* revera confessionem aboleverat.

℟. *Neg. cons.* quae evidenter est *Chrysostomi* doctrinae, quam supra exposuimus, contraria. Patres enim confessionem, quae privatim fit Sacerdoti, ut Dei mi-

nistro, soli Deo fieri dicunt, ut supra ex *Tertulliano* docuimus. Vult igitur *Chrysostomus*, non praecipi a Deo publicam peccatorum confessionem. *Non te in theatrum*, inquit, *duco, non conservo confiteris, ut in publicum proferat; non cogo in medium prodire theatrum.* Dicit quidem alibi *Serm. LVIII. et Hom. LXXVIII. Tom. V. Hom. IX. de Paenit. in Psal. L.* tam beniguum esse Deum, ut per hoc solum verbum *Peccavi* secreto prolatum, peccata dimittat, quod et nos dicimus, nempe contritionem perfectam, ante confessionem justificare, sed cum voto, ac debito confessionis. Addit *Homil. VIII. De poenit. et Hom. XXVIII. In I. ad Corint.* hominem ante communionem sine ullo teste coram solo Deo debere ex Apostolo probare seipsum; (*a*) quod verum est; sed si probans seipsum, gravis se peccati reum inveniat, non ait *Chrysostomus*, non debere illud confessione expiare.

Objic. II. Gratianus in Decreto *Causa XXXIII. Q. 2. dist.* 1. quaestionem agitat in utramque partem, utrum confessio soli Deo fieri debeat, an etiam Sacerdoti, ut peccata deleantur; et ad extremum sic concludit. *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis, et confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhaerendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes, et religiosos viros. Unde Theodorus Cantuariensis Archiepiscopus* (sed revera est Concilium Cabilonense *Can.* 33.) *ait in Poenitentiali suo quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt... quidam vero Sacerdotibus etc.* Ergo ante Concilium Lateranense liberum unicuique erat hac in re opinari, atque agere, ac proinde saltem dogma fidei non est.

℟. *Neg. cons.* Quamvis enim daremus, *Gratianum* hac in parte errasse, praesertim ante expressam Ecclesiae definitionem, ut advertunt S. Thomas, et Bonaventura (*in IV.*), non inde nutaret Ecclesiae universae doctrina Scripturis, et Traditione stabilita. Sed

cum

(a) Probationem scilicet pro ea parte accipiens, quae in conscientiae examine posita est. Plena enim probatio ante communionem ex Tridentino confessionem etiam complectitur.

cum *Gratianus* asserat, utramque opinionem fautores habere sapientes, et religiosos viros; at contra nullus sapiens, et religiosus eo tempore negaverit, confessionem a Christo institutam, dicendum est, *Gratianum* ibi agitasse quaestionem aetate illa apud Scholasticos celebrem, utrum sola cordis contritione perfecta deleatur peccatum ante confessionem, et Sacerdotis absolutionem; quam quaestionem *Magister sententiarum* Gratiano coaevus, aliique veteres Theologi pertractant, et nos etiam supra tractavimus.

Objic. III. Non legimus, veteres Sanctos confessionem frequentasse, imo nec vel semel edidisse, quod de viris piis posteriori aetate non tacuerunt historici, sicut *S. Carolum Borromaeum* quotidie confiteri consuevisse, referunt ejus vitae Scriptores. Ergo veteres Sancti confessionem non habuerunt ut necessariam.

℟. *Neg. cons.* Quid enim valet *negativum* argumentum, praesertim post deperdita innumera veterum scripta, adversus evidentissima omnium saeculorum testimonia? Multis autem rationibus veteres sancti confessionem non leguntur frequentasse, inter quas illa videtur praecipua, quod in gravia peccata lapsi non erant post baptismum, quorum potissimum peccatorum occasione veteres confessionis, ac poenitentiae mentionem faciunt.

§. II.

De conditionibus cōfessionis necessariis.

Adv. Vulgo Theologi conditiones confessionis enumerant sexdecim, quas memoriae gratia his versiculis comprehendunt.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Necnon nuda, frequens, discreta, lubens, verecunda
Integra, secreta, et lacrymabilis, accelerata,
Fortis, et accusans, et sit parere parata.

Dicitur autem 1.° *simplex*, non artificiosa, sed quae tales nos Sacerdoti aperiat, quales nos ipsi novimus.

2.° *Humilis*, qualis scilicet reum decet, qui coram tremenda Dei majestate peccatum fatetur, ac veniam postulat.

3.° *Pura*, nullos scilicet a proposito alienos sermones miscens.

4.°

4.° *Fidelis*, vera scilicet, et sincera. Mendacium enim in confessione de re necessaria, puta de peccato gravi, aut de peccandi consuetudine, grave sacrilegium est, irritumque Sacramentum reddit. De re vero levi, et non necessaria, leve peccatum esse, docent *Sylvius*, aliique Theologi contra *Cajetanum*; licet gravius, quam si extra confessionem fuisset prolatum, et aliquando argumentum pravae animi dispositionis.

5.° *Nuda*, non inanibus scilicet circumlocutionibus composita, quae ad rem non faciunt.

6.° *Frequens*. Multum enim valet ad peccata praecavenda confessionis frequentia.

7.° *Discreta*, hoc est prudens, non solum in poenitente, ut scilicet idoneum eligat sacerdotem, eique nec aliena sine necessitate aperiat, nec propria sine justo examine; verum etiam in Sacerdote, ne ea interroget, quae ad rem non faciunt, vel poenitenibus ipsis offendiculo sint.

8°. *Libens*, hoc est non metu coacta, nec industria Sacerdotis quodammodo extorta.

9.° *Verecunda*, ut ipsa scilicet turpia pudicis, et cautis verbis efferantur.

10.° *Integra*, ut seorsim in sequenti §. explicabimus.

11.° *Secreta*, tam submissa scilicet voce tum poenitentis, tum Sacerdotis, ut ne quid in aliorum notitiam venire possit.

12.° *Lacrymabilis*, non externis scilicet lacrimis comitata, quae nec contemnendae, nec exigendae sunt, sed intimo doloris sensu, qui se prodat exterius.

13.° *Accelerata*, scilicet non dilata de die in diem, aut ad octavam Paschatis ut nonnulli solent salutis suae minime solliciti. Nihil enim magis salutare esse potest ob multa, quae impendent vitae pericula, quam statim peccata confiteri, ut docet *Catechismus Rom.* praesertim cum ex dilatione confessionis habitus peccandi, obduratio cordis, et finalis impoenitentia sequi soleat.

14.° *Fortis* hoc est non timida, sed generosa, propter Dei gloriam, et animae salutem.

15.° *Accusans*, quae scilicet peccata non minuat vel excuset, sed qualia sunt aperiat, certa pro certis, dubia pro dubiis.

16.° Denique *parere parata*, ut scilicet poenitens non con-

contradicat sacerdoti, nec disputet, sed ut infirmus suaeque salutis sollicitus, summa animi docilitate, totum se in manus ejus curandum tradat.

Omnes hae conditiones ex ipsa rei natura necessariae sunt, ut cuique attendenti patet. Sed de integritate, et secreto confessionis multa sunt scitu necessaria, quae enucleatius tradenda sunt. De his agit fusius P. Collet. *Tom. VI.*

§. III.

De integritate confessionis.

Adv. I. Cum prima confessionis conditio sit simplicitas quae tales nos Sacerdoti aperiat, quales nos ipsi novimus; hinc sequitur, eam oportere esse integram, hoc est omnia complecti gravia peccata (nam venialia non sunt, ut diximus, materia confessionis necessaria) quorum conscii sumus, et a quibus nondum valide sumus absoluti; tum quoad numerum, tum quoad species, tum quoad circumstantias, quae speciem mutant. Sed integritas a Theologis distinguitur duplex *materialis*, et *formalis*. Prima est, qua omnia omnino peccata, quot in seipsis coram Deo sunt, exponuntur, altera vero, qua exponuntur omnia, quae memoriae post diligens examen occurrunt, atque exponi possunt.

II. *Materialis* integritas non semper praecepta est, enim non semper in hominis sit potestate; Deus enim impossibilia non jubet. Hinc sufficit *formalis* integritas 1.° cum quis post diligens examen peccati alicujus sine culpa est oblitus, vel ceterum nequeat invenire numerum, qua in caussa satis est dicere eum numerum, qui vero videtur proximior, addendo *circum circiter*, imo si agitur de peccatis longa consuetudine repetitis, praesertim internis, satis est exponere, quanto tempore in ea consuetudine perduratum sit, et quoties in die virisimiliter sit peccatum. 2.° Cum licet memoria teneat, non tamen potest vel physica, vel morali potentia omnia singillatim confiteri, ut si poenitens gravi morbo correptus non possit confessionem prosequi, vel quia sensibus destituitur, vel quia periculum

dum evidens est, ne aut sine absolutione moriatur, aut graviter salutem corporalem laedat si ex confessione alicujus peccati grave malum prudenter timeat aut sibi, aut alteri, aut ipsi Sacerdoti, nec aliunde dire possit: si in iis versetur regionibus, ut ejus idioma intelligi a Sacerdote sine interpetre non possit (a): si surdus, et mutus non omnia nutibus explicare valet: si milites jamjam conflicturi sint, aut navigantibus naufragium immineat; his enim duabus in caussis possunt etiam, si opus est, multi simul post generalem confessionem a Sacerdote absolvi per verba pluralis numeri: *Ego vos absolvo etc.*

II. Porro ad integritatem *formalem* necessarium esse non solum speciem peccatorum quorum quis est conscius, ideoque et circumstantias, quae speciem mutant; sed etiam numerum (qui quomodo aestimandus sit in sequenti *Lib. IX.* dicemus) confiteri, dogma fidei est a Tridentino definitum *Sess. XIV. can.* 7. Sed gravis est inter Theologos quaestio utrum circumstantiae, quae peccati speciem non mutant, sed illud augent, graviusque efficiunt, etiam explicandae sint.

PROPOSITIO.

Circumstantiae, quae peccatum intra eamdem speciem insigniter augent; aut minuunt, sunt in confessione Sacramentali ex praecepto divino explicandae.

Prob. I. Licet Concilium Tridentinum definire noluerit hanc inter Catholicos controversiam, sed tantum damnare haereticos, qui negabant, explicandas esse varias peccatorum species, ideoque et circumstantias, quae speciem mutant; tamen momenta, quibus innititur, non minus ostendunt, explicandas esse circumstantias, quae peccatum insigniter augent, aut minuunt. Ideo

(a) Adverte, de integritate tantum confessionis hic agi. Nam qui nihil omnino sine interprete explicare potest, utrum is interprete, saltem in mortis periculo, uti teneatur, quaestio est, in qua affirmans sententia ex S. *Thomae*, aliorumque auctoritate, et rationibus verisimilior est, quam etiam sequitur *Laymannus*. Vide *Collet.*, *Cuniliatum*. etc.

Objectiones.

Objic. I. Concilium Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 1. praefatur, se accuratam tradere velle expositionem Sacramenti poenitentiae. Atqui ubi loquitur de integritate confessionis, solas eas circumstantias memorat, quae peccati speciem mutant, cum nihil negotii fuisset addere etiam circumstantias, quae peccatum augent, vel generatim dicere omnes circumstantias. Ergo satis ostendit, circumstantias, quae peccatum augent, non esse exponendas.

℞. *Dist. maj.* Accuratam tradere promittit expositionem Sacramenti Poenitentiae contra haereticorum errores, *conc.* Contra varias catholicorum opiniones, *subdist.* Per apertam definitionem, *neg.* Per talem verborum compositionem, quae satis ostenderet Concilii sensum, *conc.* Porro hoc solum definire voluit Concilium contra haereticos, non sufficere generalem quandam, et confusam peccatorum confessionem, sed peccata omnia quoad speciem, et numerum esse singillatim in confessione explicanda. Controversias autem Catholicorum definire noluit, sed ratio, qua probat, explicandas esse circumstantias, quae peccati speciem mutant, satis ostendit, quaenam fuerit ejus sententia de circumstantiis, quae multum augent, vel minuunt peccati gravitatem.

Objic. II. S. Thomas *in IV. Dist. XVI. Q.* 3. *art.* 2. *Q.* 5. *art.* 12. *Circumstantias*, inquit, *aggravantes, quae in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut nec peccata venialia, licet sit laudabile, quod homo ea confiteatur.* Idem docent *S. Bonaventura*, *S. Antoninus*, *Paludanus*, *Durandus*, *Sylvester*, *Navarrus*, ut omittamus recentiores, *Lessium*, *De Lugo*, *Becanum*, *Valentiani*, *Vasquez*, et Probabilistas omnes. Ergo etc.

℞. *Neg. cons.* Nihil enim aliud ex antecedente consequitur, quam nostram sententiam non pertinere ad fidem, ideoque non deesse Theologos adversae sententiae patronos, quod ultro fatemur. Ceterum quia magni momenti est *S. Thomae* auctoritas, respondent vulgo Theologi, eum retractaturum quae junior scripsit in Li-

Libros sententiarum, si *Summam Theologicam* absolvisset. Sed cum comparet S. Doctor loco laudato circumstantias aggravantes peccatis venialibus, quod laudabile est, non necessarium, confiteri; verosimilius est, eum non esse explicandum, nisi de circumstantiis, quae leviter augent peccati malitiam.

Objic. III. Si circumstantias, quae peccatum augent, confiteri necesse esset, magna hinc anxietatum, et scrupulorum seges non minus poenitentibus, quam ipsis Sacerdotibus oriretur; ne forte illi non satis explicaverint, aut isti non satis excusserint peccatorum caussas, et vitia, et modos; imo et confessiones in longum, et pene infinitum producerentur; magno temporis, et capitis detrimento, cum vix duo peccata inveniantur in eadem specie, quae non habeant inaequalem ex circumstantiis gravitatem. Ergo.

℟. *Neg. ant.* Non enim dicimus, explicandas esse circumstantias, quae leviter, sed quae insigniter augent peccata, vel minuunt; quae circumstantiae satis per se in oculos poenitentis, et Sacerdotis incurrunt, idcoque nec poenitentes eas celare sine aliquo conscientiae stimulo, nec Sacerdos eas contemnere sine gravi negligentia valent; *ex. gr.* quantum quis damnai intulerit: quanto tempore inimicitias gesserit: an ejus ira, in furorem progressa sit: an consuetum peccandi modum insigniter excesserit; etc.

Corollarium.

Quoniam integra esse debet confessio, sequitur 1.° peccata, quorum poenitens sine culpa oblitus est, licet indirecte jam remissa, subjicienda tamen esse ecclesiae clavibus, si in memoriam redeant, sicut peccata per contritionem perfectam deleta. Contrariam nonnullorum sententiam damnarunt Alexander VII. an. 1665. et Clerus Gallicanus anno MDCC. 2.° Peccata dubia etiam esse exponenda ut dubia, quae quidem doctrina communis est Theologorum post *S. Thomam*, et *Catechismum Romanum*, frustra aliquibus *Casuistas* opponentibus celebre illud, et male intellectum axioma; *in dubiis potior est conditio possidentis*, de quo alio in loco di-

disputabimus. Quod si quis post confessionem inveniat esse certum, quod ut dubium confessus erat, illud ipsum explicare debet, sicut etiam si quis ex errore minorem exposuerat peccatorum numerum, quem postea scit fuisse majorem: non tamen contra, si majorem exposuerat numerum, quia in majori jam minor continebatur.

Q. I. *Utrum Sacerdos ad confessionis integritatem aliquando paenitentem interrogare debeat de peccatis, eorumve circumstantiis, quae ille non confitetur.*

℟. 1.° Si Sacerdos certo scit, poenitentem peccatum aliquod admisisse, interrogare eum debet, caute tamen, et discrete, praesertim si id sciat ex alterius poenitentis confessione, et si quidem videt, eum impudenter negare, quae aliunde, quam ex alterius confessione certum est, eum admisisse, neque alias esse confessum, sine absolutione dimittere, monendo ut melius conscientiam suam excutiat (*a*).

2.° Si id nescit, poenitentem videt satis per se instructum, non opus est, ut interroget; si autem eum videt aut rudem, aut talem, qui prae pudore peccatorum species, vel numerum, vel circumstantias silentio premere possit, diligenti industria interrogare debet. *Sacerdos*, inquit S. Thomas *in IV. Dist. XIX. debet scrutari conscientiam peccatoris in confessione sicut medicus vulnus, et judex causam, quia frequenter quae prae confusione confitens taceret, interrogatus revelat.* Vide etiam Conc. Lateranense IV. c. 21.

3.° Cavere summopere debet Sacerdos, ne a poenitente exquirat peccati socium, sive complicem, nisi generatim quantum satis est ad aestimandam peccati speciem, et gravitatem, quae ex circumstantia personae complicis varia esse potest. Vetuit enim id Benedi-

 ctus

(*a*) Quod si id ei ex alterius confessione sit certum, *Laymannus* quidem poenitentem absolvendum putat: sed si eum Sacerdos sacrilege aliquid negantem in aliis diligenter excutiat, inveniet profecto in ipsa ejus confessione aliud, ex quo eum non esse ad absolutionem dispositum, ideoque differendum, constet.

ctus XIV. in Bulla *Ubi primum* poena suspensionis ferendae sententiae contra ipsos Sacerdotes, nomen complicis exquirentes, et absolutionem negantes poenitentibus, qui complicem revelare noluerint (a); poena vero excommunicationis latae sententiae, et Pontifici reservatae contra illos, qui eum abusum defendere ausi fuerint.

4.° Denique quantam potest maximam Sacerdos diligentiam, et cautionem adhibeat, ne dum nimis anxie confessionis integritati consulit, per imprudentes interrogationes poenitentem edoceat peccata, aut peccatorum modos, quos ignorat. Interrogabit ergo generatim quae ille ignorare non potest, et quae passim committi solent ab hominibus ejus aetatis; sexus, conditionis, regionis; atque ex ejus responsionibus judicabit, an ulterius interrogando progredi debeat: *non fiat tamen*, inquit S. Thomas *loc. cit. explicita interrogatio de peccatis.*

Q. II. *Utrum ob confessionis integritatem aliquando poenitens praeteritas confessiones repetere debeat.*

℟. Generatim debere, quando in illis judicatur non *valide* absolutus, aut ea de re prudenter dubitatur. Id autem contingit hisce in causis. 1.° quando peccatum aliquod grave voluntarie tacuit. 2.° quando absolutus est, licet in consuetudine, relapsu, occasione peccandi proxima versatus, non veram habuisse contritionem judicetur. 3.° quando rem alienam, vel famam restituere detrectavit. 4.° quando ex vincibili ignorantia semper contra aliquod grave praeceptum peccavit 5.° quando versatus est in ignorantia mysteriorum fidei, quae

(a) Quod etiam infra mensem denunciandos praecipit non ab ipsis poenitentibus in caussa propria, ne peccatum suum revelare cogantur, sed ab aliis, vel etiam ab iis poenitentibus, qui aliunde quam ex propria confessione sciunt, eos id facere, non ex simplicitate, sed quia eam praxim licitam eos putare suspicio est. Vide aliam ejusdem Pontificis Bullam, quae incipit *Suprema*; item tertiam quae incipit *Ad eradicandam*, et quartam, quae incipit *Apostolici ministerii.*

quae scitu necessaria *necessitate medii.* Si autem hujusmodi causae tales sunt, ut confessiones omnes ab infantia editae judicentur irritae, generalis confessio necessaria est, modo non excuset poenitentis impotentia vel physica, vel moralis, orta scilicet ex infirmitate vel corporis, vel animi anxietatibus, et scrupulis agitati. Si vero caussae illae non omnes confessiones priores infecerint, eae tantum repetendae sunt, quae irritae judicantur.

Q. III. *Utrum Sacerdos edocere debeat poenitentem in alicujus praecepti ignoratione versantem.*

℟. 1.° Si ignorantia vincibilis est, debet; tunc enim poenitens certo peccat violando praeceptum: Sacerdos autem non solum judex est, sed et doctor, et medicus.

2.° Si vero est invicibilis, adhuc monere debet, si res vergit in damnum publicum: si versatur circa ea, quae necessaria sunt ad salutem necessitate medii: si spes emendationis apparet. In his omnes consentiunt Theologi.

3.° Si nulla sit emendationis spes, et poenitens videatur evasurus ex admonitione deterior; Theologi disputant. *Concina* affirmat; *Ligorius*, aliique negant. Alii vero distinguunt. Si admonitio nocitura videatur ex prava poenitentis dispositione, in cujus potestate esset abstinere a peccato, si vellet; tunc eum esse admonendum docent. Si vero non ex dispositione poenitentis, sed propter scandala, quae ex ea admonitione oriren tur, quaeque poenitens tollere non potest, nocitura admonitio videatur, ut in manifestatione impedimenti matrimonii potest accidere, tunc admonitionem omittendam putant, obtinendo interim secretam dispensationem. Vide Habert *Tom. VI Cap. II.* §. 3.

§. IV.

De Secreto Confessionis.

Adv. **I.** Secretum confessionis spectari potest tum in poenitente, tum in Sacerdote. Quod ergo ad poenitentem attinet, Christus confessionem peccatorum instituens, non praecepit (quod ut plurimum humanae infirmitati fuis-

fuisset intolerabile) ut publice exponerentur, sed sibi soli, ut loquitur Chrysostomus supra laudatus; nempe Sacerdoti ut ejus vicario. Non tamen vetuit, ne quis ad majorem sui peccati vindictam publice confiteretur, ut ait Tridentinum *Sess. XIV. Can.* 5. Quod quidem quia aliquando aliquibus scandalo esse posset, nonnisi ex consilio prudentis Sacerdotis faciendum esse, vetus Ecclesia sanxit; et quamvis gravia peccata olim publicae poenitentiae subjicerentur; tamen cum nonnulli ob humilitatis dumtaxat exercitium publicae poenitentiae stadium ingrederentur, hinc publica illa poenitentia non erat publica confessio peccatorum.

II. Quod vero ad Sacerdotem spectat, prohibetur is omnino vel nutu, vel scripto, vel verbis revelare quod in confessione audivit, idque jure naturali, divino, et Ecclesiastico. Naturali quidem, quia natura non patitur, ut quod nobis sub secreto commissum est, alteri reveletur. Divino vero; quia cum Christus confessionem instituerit, illud etiam praecepit, sine quo confessio ipsa humanae infirmitati intolerabilis esset; quis enim alteri confiteretur cum famae, imo et aliquando etiam cum vitae periculo? Denique etiam Ecclesiastico. Sic enim statuit Concilium Lateranense IV. *Can. Omnis utriusque*: *Caveat omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem .... Qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectnm praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.* Hoc igitur secretum triplici jure sancitum vocatur *sigillum confessionis*, cujus violatione duplex *specie* peccatum est, contra naturalem scilicet justitiam, et sacrilegium contra religionem, cum gravis semper sacramento inferatur injuria, licet levia peccata revelentur. Tenentur autem ejusmodi sigillo non solum Sacerdos, sed et omnes, ad quos notitia eorum, quae in confessione dicta sunt, vel casu, vel malis artibus pervenerit. Differt tamen secreti obligatio naturalis a *sacramentali*, quia quod jure naturae secretum est, potest, imo et debet aliquando revelari, puta si ex secreto grave damnum bono publico immineret; at quod

quod *sacramentali sigillo* clausum est, ne tunc quidem vulgari potest, cum aut ipsius sacerdotis mors, aut totius Reipublicae ruina metuenda esset. Sed de hoc sigillo quaestiones aliquot expediendae sunt.

Q. I. *Quaenam sub sigillo confessionis clausa censeantur?*

℟. Omnia, quae confessione sacramentali deteguntur, hoc est peccata tum gravia, tum levia, socii criminis, ipsae poenitentis tentationes, naturales defectus, et quidquid revelatum molestiam illi crearet. Dixi autem confessione *sacramentali*, quia si quis aut joco, aut ad inducendum Sacerdotem ad peccandum, aut alio consilio, quam ut sacramentum susciperet; aut omnino extra confessionem actus suos Sacerdoti aperiret, posset quidem naturali sigillo, et ex charitate obligari, non autem sacramentali.

* Q. II. *Quotuplici modo sigillum confessionis violari possit.*

℟. Duplici *directe*, atque *indirecte*. Directe quidem, si Sacerdos expresse dicat, quae confessus est poenitens, quaeque sacramentalis sigilli, ut paulo ante diximus, materia sunt. Indirecte vero, si ita se gerat, aut loquatur, ut alii; quid poenitens dixerit, possint intelligere. *

Hinc indirecte hujus violationis rei sunt, 1.° qui tam clara voce poenitentem alloquuntur, ut ex eorum vel responsionibus, vel monitionibus, quid poenitens confessus sit, circumstantes intelligant, quod vitium non paucis est Sacerdotibus. 2.° qui diceret, se non absolvisse poenitentem. 3.° qui inter plures poenitentes, quos audivit, unum laudet, quod sola venialia confessus sit. 4.° qui in petendo consilio circumstantiae etiam exponat, ex quibus facile poenitens cognosci possit. * 5.° qui in aliquo monasterio, collegio, pago frequentia esse dicit peccata quaedam, quae ex confessione poenitentium cognovit. 6.° qui paucorum confessionibus auditis, dicit, se tale crimen audisse. 7.° qui parentes poenitentis generatim admonet, ut vigilent: aliique ejusdem generis. *

Q. III. *Potest ne Sacerdos de vita poenitentis colloqui cum alio Sacerdote, apud quem ille etiam confiteri solet?*

℟. Non potest sine sigilli violatione.

Q. IV. *Cum ipso poenitente extra confessionem nonne potest sacerdos de iis, quae ille in confessione pixit, colloqui?*

℟. Etsi proprie sigillum non violet, non tamen id potest sine ipsius poenitentis venia. Odiosam enim alioquin confessionem reddit. Excipit Suarez *Disp.* XXXII. *Sect.* 5. si Sacerdos in confessione erraverit in aliquo, de quo poenitentem monere teneatur.

Q. V. *Potest ne sacerdos ex poenitentis ipsius venia revelare, quae ille in confessione dixit?*

℟. Potest utique, si venia illa non sit extorta, et quodammodo involontaria. Cavendum tamen Sacerdoti, 1.° ne fictus poenitens de industria quaedam Sacerdoti revelanda committat, ut falso crimine famam alterius proscindat. 2.° ne dum aliquid ex consensu poenitentis revelat, sigilli violator ab auditoribus habeatur.

Q. VI. *Si poenitens teneatur revelare quaedam, ex quibus imminet reipublicae, Ecclesiae, vel proximo damnum, nonne licet Sacerdoti extorquere ipsius consensum, negando ei absolutionem?*

℟. Minime: Sed debet Sacerdos poenitentem monere, ut ipse revelet, non ut Sacerdoti det revelandi potestatem. Quod si poenitens id facere detrectet, tamquam minime disposito neganda ei est absolutio.

Q. VII. *Si Sacerdos a judice interrogetur de crimine, quod sola poenitentis confessione audivit; quid ei respondendum?*

℟. Potest, ac debet, etiam addito, si opus sit, jurejurando, respondere, se id nescire: neque in responsione mentitur; non enim interrogatus est ut Sacerdos, ac Dei minister, sed ut homo; quae autem scit ex confessione, nescit ut homo; sed ut Dei minister. Quod si judex conceptis verbis a Sacerdote quaerat, utrum crimen ex confessione poenitentis audiverit, repellenda est cum indignatione ejusmodi interrogatio tamquam sacrilega, et indigna homine Christiano.

Q.

Q. VIII. *Quid si Sacerdos aliunde etiam novit crimen, quod in confessione audivit?*

℟. Potest, si necessitas cogat, id testari, quod aliunde novit; alioquin ut observat S. Thomas *suppl.* 3. *P. Q. XI. art.* 4. posset poenitens callide vitare Ecclesiasticas poenas, confitendo Sacerdoti, qui posset contra eum vel sententiam, vel testimonium ferre. Ceterum ita loqui debet Sacerdos, ut omnes sciant, eum non ex iis, quae in confessione audivit, sed aliunde rem nosse.

Q. IX. *Potest ne Sacerdos uti notitia, quam ex confessione poenitentis comparavit?*

℟. 1.° Clemens VIII. (anno 1594.) sanxit: *ut tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Quod licet de Regularibus cautum sit, omnibus tamen Praelatis aptandum est.

2.° *Non potest ea notitia uti Sacerdos, si ex usu sequatur gravamen poenitentis, aut quaecumque sigilli infractio.* * (Hinc si Sacerdos ex confessione didicit, grave sibi malum imminere, debet primum a poenitente veniam petere, ut ea notitia uti possit; quam si ille neget, cum dare debeat, dimittendus quidem est sine absolutione; sed Sacerdos nihilominus notitia illa uti nequit, si gravamen aliquod poenitentis, et secreti indirecta manifestatio sequatur *)

3.° Si nullum sequatur poenitentis gravamen, nullaque violatio sigilli, posse Sacerdotem ea uti notitia, communis Theologorum sententia est.

Q. X. *Quid si poenitens Sacerdoti exponat, se ab alio Sacerdote fuisse occasione confessionis sollicitatum ad turpia?*

℟. 1.° Sollicitantes ad turpia censentur Sacerdotes, qui sacrilega impudentia in confessione, vel immediate ante, vel post, vel occasione, praetextu, aut simulatione confessionis, vel extra confessionis occasionem, in loco ad confitendum electo, poenitentes ad tur-

turpia incitaverint, vel cum eis illicitos, et inhonestos sermones habuerint.

2.° *Gregorius* XV. Bulla edita anno MDCXXII. tales Sacerdotes jubet à Poenitentibus denunciari *Inquisitoribus*, si adsunt, vel locorum ordinariis; quam Constitutionem *Benedictus XIV.* anno MDCCXLI. in Bulla, quae incipit *Sacramentum*, confirmavit.

3.° Sacerdos ergo poenitentem hujusmodi ab alio Sacerdote sacrilege sollicitatum absolvere non potest, nisi intra mensis unius spatium Sacerdotem illum *Inquisitori*, vel Ordinario denunciaverit; vel si denunciandi adsit impedimentum, non spondeat, et promittat, se denunciaturum. Quod si poenitens denunciare detrectet, excommunicationem latae sententiae incurrit: si sacerdos eum de hoc denunciandi debito monere negligat, pro modo culpae puniendus est.

4.° Qui falso, quod non raro accidit, accusaverit Sacerdotem horrendi hujus sacrilegii, vel accusare alium suaserit, incurret in *casum* Pontifici reservatum sine censura ex laudata Bulla *Ben. XIV.*

5.° Potest aliquando Sacerdos in se suscipere denunciandi onus, cum poenitens prae verecundia, aliove justo impedimento denunciare non potest. Sed ad hoc non tenetur, nisi raro, cum aliter scilicet publicum malum, quod ex hoc sacrilego Sacramenti abusu oritur, vitari nullo modo potest; magna tamen debet cautione uti.

6.° Quia nonnulli quos ad turpia sollicitaverant, absolvere audebant; Benedictus XIV. *ibid.* generatim omnibus cujuscumque dignitatis Sacerdotibus jurisdictionem, et facultatem ademit absolvendi complicem in peccato contra sextum decalogi praeceptum, quomodocumque complex fuerit, excepto mortis articulo, si nullus tunc haberi possit Sacerdos etiam non approbatus, qui moribundum absolvat, adiecta etiam contra eos, qui secus fecerint, excommunicatione S. Pontifici reservata.

§. V.

§. V.

De Praecepto Confessionis tum divino, tum Ecclesiastico.

Adv. Jam diximus, confessionem esse a Christo institutam, atque praeceptam iis, qui post baptismum in peccatum grave lapsi sunt. Quaeritur ergo 1.° quo tempore obliget praeceptum illud, hoc est utrum statim post admissum peccatum, an vero cum poenitenti placuerit. 2.° Utrum praeter illud divinum praeceptum, aliud etiam sit Ecclesiasticum confessionis praeceptum, et quo tempore fideles obliget.

PROPOSITIO I.

Quamvis divinum confessionis praeceptum non obliget per se statim post peccatum admissum, peccant tamen graviter qui illam differunt ad tempus, quod judicio viri prudentis diuturnum est; per accidens vero obligat cum alia sacramenta administranda, vel suscipienda sunt.

Prob. 1a. pars. Praeceptum confessionis affirmans est. Atqui praecepta affirmantia non statim obligant, sed pro loco, et tempore opportuno. Ergo etc.

Prob 2a. pars. 1.° Nefas est objicere se periculo moriendi in peccato; hoc enim ipso jure naturae prohibetur. Atqui per tempus judicio viri prudentis diuturnum multa homini impendent improvisa mortis pericula, Ergo etc. 2.° Nefas est, ut advertit *Estius*, amicitiam cum Deo diuturno tempore non reconciliare. Atqui licet per contritionem perfectam ante Sacramentum reconcilietur, tamen neque ordinaria est, et frequens haec via, neque ille, qui diu confessionem differt, videtur perfectam illam habuisse contritionem cum voto sacramenti. Ergo qui diu ad judicium viri prudentis confessionem distulit, tenetur etiam, cum confitebitur de hoc dilationis peccato se reum agere.

Prob.

Prob. 3a. pars. Administratio sacramentorum, ut sine peccato fiat, statum gratiae sanctificantis in ministro postulat, ut suo loco diximus; idem dicas de susceptione Sacramentorum. At qui in grave peccatum lapsus est post baptismum, ordinarie non justificatur, nisi in Sacramento Poenitentiae. Ergo etc.

Dices. Agentes supra de praecepto contritionis, diximus, illud statim obligare, si peccatum menti occurrat, ut Dei offensio. Ergo idem de praecepto confessionis dicendum est.

℞. *Neg. cons.* Aliud enim est habere peccati qualecumque odium, propositumque in posterum non peccandi, aliud vero illud confiteri. Prius illud videtur praeceptum modo *negativo* vetante, ne quis de offensione Dei aut delectetur, aut non curet. Posterius vero est praeceptum *affirmativum*, quod obligat pro loco, et tempore opportuno, potest autem quis dolere de peccato, et tamen confitendi locum, tempus, aliasque circumstantias non habere oppurtunas.

PROPOSITIO II.

Praeter divinum Confessionis praeceptum, est etiam Ecclesiasticum confitendi semel in anno proprio Sacerdoti.

Prob. ex celebri Canone *Omnis utriusque sexus*, edito in Concilio Lateranensi IV. ann. MCCXV. et confirmato in Tridentino *Sess. XIV. can.* 5. *et* 8. *Omnis*, inquit, *utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit. omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere . . . , alioquin et vivens ab Ecclesiae ingressu arceatur, et moriens Christiana careat sepultura.* Sed quia variae, eaeque non leves ortae sunt de hoc Canone controversiae, eas hic breviter expedire juvat.

Q. I. *Utrum omnes omnino fideles usus rationis jam capaces eo praecepto teneantur, quamvis venia-lium*

lium tantummodo peccatorum rei sint, an ii soli, qui mortalis peccati sunt conscii.

℟. Duae sunt Theologorum sententiae. Altera affirmat, eos, qui peccatorum tantum venialium rei sunt, non teneri ea lege. Patres enim Lateranenses non novam sanxerunt legem, ut ait Tridentinum *Sess. XIV. Can.* 5. sed quod fideles ex divino praecepto facere tenebantur, constituerunt, ut saltem semel in anno omnes servarent. Sed lege divina non tenentur fideles venialia peccata confiteri, ut supra observavimus. Non ergo id praeceperunt Lateranenses Patres. E contrario altera sententia communior, et verisimilior post S. Bonaventuram *in IV. Dist. XVII. p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. et S. Tomam *ibid. Q.* 3. *art.* 3. tenet, omnes obligari, etsi sola venialia admiserint; alioquin, inquiunt, non posset Ecclesia spiritualibus poenis quemquam ad hoc praeceptum servandum convellere, cum posset quisque excipere, se nonnissi venialium peccatorum esse conscium.

Q. II. *Satisfit ne praecepto per confessionem sacrilegam?*

℟. Minime. Ecclesia enim non praecepit confessionem, nisi qualem Christus instituit. Unde merito damnata est ab Alexandro VII. et Clero Galligano ea propositio. *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.*

Q. III. *Quandonam obliget illud Ecclesiae praeceptum.*

℟. Non esse quidem in Canone tempus definitum, modo fiat confessio semel in anno. Usus tamen obtinuit, ut in Quadragesima, vel in Paschate fiat, propter aliud tum urgens praeceptum annuae communionis. Ceterum qui per annum non servavit praeptum, quam primum confiteri debet. Annuum enim spatium definitum non est ad finiendam obligationem; ideoque sicut debitor non solvens statuto tempore, debet quamprimum potest, solvere, ita qui huic debitae confessionis suo tempore non satisfecit.

Q. IV. *Quisnam censeatur proprius Sacerdos?*

℟. Gravissimas hac de re ortas esse lites. Nonnulli proprium Sacerdotem solum Parochum intelligebant ex-

excluso etiam Episcopo, et Summo Pontifice; quae sententia, sane multis nominibus absurda, damnata est primum ab *Alexandro IV*, anno 1255. inter alia dogmata *Guillelmi de S. Amore*; deinde a *Joanne XXII.* in *Joanne de Polliaco* Theologo Parisiensi, demum a Clero Gallicano anno 1664. Alii proprium Sacerdotem intelligunt quidem Parochum, sicut revera intelligitur tum in Canonibus Concilii Lateranensis, tum in Constitutionibus summorum Pontificum, et Canonibus Conciliorum Provincialium, ut latissime ostendit *Launoyus*; sed tamen docent, non excludi ab eo nomine Episcopum in sua Dioecesi, et summum Pontificem in tota Ecclesia, ideoque nec Sacerdotes sive *Regulares*, sive *Saeculares* delegatam ab ipsis habentes jurisdictionem, si scilicet Episcopus, aut Summus Pontifex velint, ut confessio illis Sacerdotibus facta valeat pro annua confessione, proprio Sacerdoti facienda. Haec opinio verisimilior est; *Clemens* enim X. Constitutione *Superna* statuit, *eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint*, *Constitutioni*, *quae incipit Omnis utriusque sexus*, *quoad Confessionem dumtaxat satisfecisse censendos*. Quapropter in iis Dioecesibus, in quibus Episcopi non edicunt, ut annua Confessio nonnisi proprio Parocho fiat, omnibus Sacerdotibus delegatam jurisdictionem habentibus fideles confiteri possunt, et Ecclesiae praecepto satisfacere.

C A P. IX.

De Satisfactione.

Ad. Tertia poenitentiae pars *integralis* quidem, si spectetur quoad actum, sed *essentialis*, si spectetur quoad votum, et propositum, est satisfactio, quae definitur; voluntaria poenae a Sacerdote impositae toleratio ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam, et poenam temporalem expungendam. De ea autem quaeritur 1.° utrum ipsa per se fuerit semper etiam ante institutionem Sacramenti Poenitentiae ne-

nes-

cessaria. 2.° utrum Sacerdos debeat eam imponere, et quidem numero, et gravitati peccatorum congruentem. 3.° utrum poenitens ei se subjicere debeat, et quando, et quomodo eam implere,

§. I.

Utrum Satisfactio fuerit semper ipsa per se necessaria.

Adv. Lutherani, et Calvinistae affirmant, satisfactionem non solum non esse necessariam, eo quod dimissa culpa, tota poena remittatur: sed etiam injuriosam satisfactioni Christi. Non rejiciunt autem poenam aliquam poenitenti impositam non ad satisfactionem, sed ad novae vitae propositum confirmandum; vel ad probationem poenitentis, et Ecclesiae aedificationem. Quem errorem duabus propositionibus confutabimus.

PROPOSITIO. I.

Dogma fidei est, dimisso per Sacramentum poenitentiae peccato, non semper totam dimitti poenam temporalem, vel in hac, vel in altera vita subeundam.

Prob. I. ex eorum exemplis, quos Scriptura commemorat, dimissa culpa, ingentem poenam temporalem subiisse. Sic Moyses et Aaron, eo quod parum in fide titubaverint *ad aquas contradictionis*, prohibiti sunt ab ingressu terrae promissae, quamquam non est dubitandum, quin ea culpa dimissa iis fuerit *Num.* XX. 12. Sic etiam Davidi perfecte contrito ait Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum; verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi morte morietur II. Reg. XII.* 13.

Prob. II. ex PP. Gregorius M. *Lib. IX. Moral. Cap.* 17. *Procul dubio*, inquit, *Dominus delictum sine ultione non deserit, aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindi-* cans

leguntur. Accedit Patrum auctoritas. Sic Augustinus *in Psal. XXXI.* in ea verba: *Beati quorum tecta sunt peccata*, inquit: *Si Deus texit, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, si noluit animadvertere, noluit punire.* Ergo nihil post remissionem satisfaciendum remanet.

℟. *Dist. ant.* Pollicetur Deus poenitenti oblivionem peccatorum quoad culpam, et poenam aeternam quae est culpae comes individua, *conc.* Pollicetur oblivionem, peccatorum, etiam quoad temporales poenas subeundas, *neg.* Contrarium enim ex ipsis Scripturis eruitur. Neque vero ex temporalibus his poenis sequitur, Deum non omnino oblitum esse peccati; quia non illas infligit ex odio peccatoris, quem post conversionem paterne diligit, sed amore justitiae, et boni communis; imo etiam ipsius poenitentis, in cujus commodum poenae illae cedant. Idem respondemus auctoritati Patrum.

Inst. Praecipit Christus, ut ita Patrem oremus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Atqui inimicis nostris ita ignoscendum praecipit, ut nullam deinde poenam pro injuriis reposcamus. Ergo parem remissionem peccatorum a Deo expectamus.

℟. *Dist. min.* Ita ignoscendum inimicis, ut nullam reposcamus poenam, sed tamen restitutionem honoris, et bonorum non prohibemur reposcere, *conc.* Secus, *neg.* Unde argumentum in adversarios retorqueri potest.

Objic. II. Docent nonnulli patres, calamitates post peccatorum remissionem a Deo immissas, non esse praecedentium peccatorum poenas, sed futurorum cautionem, aut occasionem meritorum. *Respondemus*, inquit Augustinus *Lib. II. de pecc. merit. Cap. 34. ante remissionem illa esse supplicia peccatorum, post remissionem autem certamina, exercitationesque justorum.* Et Chrysostomus *Homil. de Poenit. et Confess. Propter hoc imponit nobis poenam, non de peccatis sumens supplicium, sed ad futura nos corrigens.* Celebre etiam est illud Ambrosii *Lib. X. in Luc. Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Docent, calamitates illas non esse praecedentium peccatorum poenas tantum, sed etiam futurorum cautionem, et exercitationem virtutis, *conc.* Non esse ullo modo poenas, *neg.* Contrarium enim docet *Augustinus* in locis supra laudatis, et *Chrysostomus* in hac ipsa *Homilia*, quae objicitur: Ait enim: *Ne peccantes, et inutiles manentes nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri. Propter hoc imponit nobis poenam etc. Ambrosius* vero, ut ex contextu patet, nomen satisfactionis ibi usurpat pro excusatione peccati.

Objic. III. Poena sequitur culpam. Ergo deleta culpa, nullus est poenae locus.

℟. *Neg. cons.* Deleta enim culpa, remanet etiam restituendus ordo justitiae, quem culpa turbaverat: remanet providendum bono communi, imo et bono privato ipsius poenitentis.

Inst. Ergo possetDeus remissa culpa, peccatum aeterna poena plectere; rectus enim ordo per peccatum turbatus, nonnisi aeterna poena restituitur.

℟. *Neg. seq.* secundum ordinarium divinae justitiae, et potentiae modum. Postquam enim Deus peccatorem per culpae remissionem filium adoptivum effecit, ideoque et heredem regni caelestis; repugnat sapientiae suae ut illum in aeternum exheredem faciat, nisi novam ob culpam. Ergo per peccati remissionem aeterna poena necessario in temporalem mutatur, atque ita restituitur ordo, quantum restitui potest.

PRO-

PROPOSITIO II.

Poena temporalis, quae luenda remanet, dimisso peccato, potest, ac debet bonis operibus redimi, quae opera idcirco merito dicuntur satisfactoria. Est dogma fidei.

Prob. 1a. pars. I. ex Script. Daniel postquam *Nabuchodonosori* denuntiaverat poenas ipsi ob superbiam impendentes, subdit: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum Dan. IV. 4.* Et *Tob. VI. 11. Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat.* Denique pleni sunt Scripturarum libri divinis promissionibus, quibus pollicetur Deus remissionem poenae iis, qui bonis operibus eas avertere studuerint. Et quamvis ea loca proprie respiciant peccatores, qui per bona opera possunt impetrare conversionis gratiam, tamen a fortiori justis conveniunt.

Prob. II. ex PP. 1. Tertullianus *Lib. de Poeni. Cap.* 6. *Quam porro ineptum, poenitentiam adimplere, et veniam delictorum sustinere! hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum mittere: hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem.* 2.° Ambrosius *Lib. de Elia, et Jejun. Cap. 20. Redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus: sed tu ipse venalis es, peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.* Idipsum docent *Cyprianus*, *Augustinus*, *Chrysostomus*, aliique, nec diffitetur Calvinus *Lib. III. Inst. Cap.* 5. §. 38. stulte excipiens, eos *aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere, et dure locutos.*

Prob. 2a. pars 1.° Scripturae non solum utile, sed cessarium, et a Deo praeceptum esse docent, ut poenae peccatorum bonis operibus redimantur. *Matth. III. 8. Facite fructum dignum poenitentiae.* Joel II. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.* 2.° Idem docent uno ore S. Patres. *Non sufficit*, inquit Augustinus *Serm.*

CCCLI. *mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* 3.° Ecclesia per XVIII. saecula nunquam poenitentes absolvit, nisi imposito poenalium operum onere, vel ante vel post absolutionem subeundo. Ergo etc.

Prob. 3*a. pars.* 1.° Redimere peccatorum poenas bonis operibus idem est, ac Deo pro iis satisfacere. Atqui Scriptura et Patres supra laudati docent, peccata eleemosynis, aliisque piis operibus redimi. 2.° Patres conceptis verbis affirmant, per haec pia opera Deo satisfieri. Sic 1.° Origenes *Hom. VI in Exod. Non usquequaque*, inquit, *desperet* (peccator) . . . *poenitendo, flendo, satisfaciendo deleat quod admissum est.* 2.° Cyprianus *Lib. de Lapsis Dominus nostra satisfactione placandus . . . . qui sic Deo satisfecerit, non solum peccatorum veniam merebitur; sed coronam.* 3.° Ambrosius *Ad Virgin. laps. Cap.* 8. *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.*

Merito ergo ait Tridentinum *Sess. XIV. can.* 13. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus . . . anathema sit.*

Objectiones diluuntur.

Objic. I. cum *Dallaeo.* Patres docent, idque olim servavit Ecclesia, ut pia, ac poenalia opera praemitterentur non solum Poenitentiae, verum etiam Baptismo; quod et Petrus *act. II.* 46. inculcat, dicens: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Atqui manifestum est, opera illa ante Baptismum non fuisse veram satisfactionem, sed praeparationem quandam ad recipiendam Baptismi gratiam, et probandum firmum animi propositum servandae legis Evangelicae.

Ergo

Ergo etiam poenitentia ante absolutionem peracta nonnisi improprie satisfactio vocatur a Patribus, cum esset potius probatio poenitentis, et satisfactio non Deo, sed Ecclesiae exhibita, et ad summum humilis oratio, qua Deus peccatori propitius redderetur.

℟. *Dist. maj.* Praemittenda erat ex Patribus, et veteris Ecclesiae praxi poenitentia tum Baptismo, tum absolutioni sacramentali diversam ob causam, *conc.* Ob eandem causam, *neg.* Quod enim poenitentia ante Baptismum esset tantum praeparatio; ante absolutionem vero satisfactio, ex eo patet, quod si cui ob mortis periculum ante consuetum tempus ministratum esset Baptisma, is si convaluisset, non adigebatur ad subeunda iterum poenalia opera; quae intermiserat: at si quis in mortis periculo ante expletum poenitentiae cursum absolutus esset, is si periculum evasisset, in eundem poenitentium gradum retrudebatur, in quo erat; ut constat ex Concilio Nicaeno *Can.* 13. Carthaginiensi IV. *Can.* 76. aliisque. Denique si licet Patrum verba ad sensum improprium detorquere, jam nulla suppetunt argumenta ad probandam Christi satisfactionem, quae Sociniani non possint in sensum trahere improprium.

Inst. 1.° Solus Christus, vere, et proprie Deo satisfacere potuit, ut suo loco diximus. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Solus Christus vere potuit satisfacere meritis suis, *conc.* Meritis alienis, *neg.* Satisfactiones autem justorum ex merito Christi suam hauriunt virtutem, ut membra a capite, et palmites a vite, atque *ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo moriemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre*, ut loquitur Tridentinum *Sess. XIV.* 4. Tantum ergo abest, ut satisfactiones nostrae satisfactioni Chsisti injuriosae sint, quin potius illius magis virtutem commendent.

Inst. 2.° Christus plene pro peccatis omnium satisfecit. *I. Joan. II.* 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed pro totius mun-*

mundi. Ergo sufficit satisfactionem Christi per fidem apprehendere.

R. *Dist. ant.* Plene satisfecit quoad pretii sufficientiam. *conc.* Quoad applicationem. *neg.* Debet enim unusquisque non modo per fidem, sed et per pia opera satisfactiones Christi sibimetipsi applicare. Unde et dicebat Apostolus *Colos. I.* 24 *Adimpleo quae desunt passionum Christi in carne mea.*

Inst. 3.° Justificatio impii gratuita est, dicente Apostolo *Rom. III.* 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quae est in Christo Jesu.* Ergo etc.

R. *Neg. cons.* Quamvis enim debeat justus per opera *satisfactoria* temporales poenas redimere; gratuita tamen est ejus justificatio; tum quia gratuita est gratia, qua vocatus, sanctificatus, et a poena aeterna absolutus; tum quia gratuita est etiam gratia, quae *satisfactoria* ejus opera reddit fructuosa. Tractant ista fusius *Bellarminus*, *Juenin*, *Boucat.*

PROPOSITIO III.

Pia opera, quibus Deo satisfieri potest, sunt vel humilis, et obediens acceptatio aerumnarum, quibus nos in hac mortali vita castigat caelestis Pater, vel opera pietatis sponte suscepta, quae ad tres classes reduci possunt, jejunium, eleemosynam, et orationem. Ita Tridentinum Sess. XIV. can. 13.

Prob. 1*a. pars.* Temporales aerumnas a Deo nobis immitti, singulis fere paginis sacrae litterae testantur, *ut Amos III.* 6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit*: et quidem ut plurimum ad peccatorum vindictam, et correptionem; ait enim Apostolus *I. Cor. XI.* 32. *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Ergo humilis, et obediens earum perpessio non solum ad hoc nobis utilis est, ut evadant leviores, juxta illud Poetae: *Durum sed levius fit patientia quidquid corrigere est nefas*; verum etiam, ut Deo satisfaciamus, et exigua plaga magnos cruciatus redimamus.

Prob.

Prob. 2*a. pars. I.* De jejunio, et eleemosyna, manifesta sunt Scripturarum, et Patrum testimonia, quorum nonnulla recitavimus supra. De oratione vero, patet ex praxi poenitentium, quos Scriptura commemorat non solum jejuniis, sed etiam orationibus pro peccatis satisfecisse, ut habemus *Dan. IX. et al.*

Prob. II. ratione S. Thomae 3. *P. Suppl. Q. XV. art.* 3. Sicut contraria contrariis curantur, sic per opera contraria iis, quibus peccavimus, peccatorum poenae redimuntur. Porro tres sunt peccatorum omnium fontes, sive unus in tres divisus, ut ait Joannes *I. Joan. II.* 16. *omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae.* Ergo per tria contraria opera satisfieri potest: pro concupiscentia quidem carnis per jejunium, ad quod omnes carnis afflictationes reducuntur: pro concupiscentia oculorum, sive avaritia, et cupiditate bonorum temporalium, per eleemosynam, ad quam pertinent omnia erga proximum officia charitatis; pro superbia vitae, per orationem, ad quam omnia religionis opera referri possunt.

Dices. Oratio delectat potius, quam castigat. *Jac. V.* 13. *Tristatur aliquis vestrum? Oret.* Atqui satisfactio debet esse poena. Ergo etc.

Dist. maj. Delectat secundum spiritum, *conc.* Secundum carnem in statu naturae corruptae, *neg.* Imo aliquando quo magis delectat spiritum, eo magis carnem absumit. Vide S. Thomam *loc. cit.*

Scholion.

Inter opera satisfactoria sponte suscepta praecipuum tenent locum, quae imponuntur a Sacerdotibus, et sponte a poenitentibus peraguntur, quia cum pars sint Sacramenti, majorem habent satisfaciendi virtutem.

§. II.

§. II.

Utrum Sacerdotes possint, et debeant poenitentibus satisfactionem imponere, et quidem peccatorum gravitati congruentem.

Adv. Negant id pro suo more, ac systemate Lutherani, et Calvinistae. Catholici omnes affirmant.

PROPOSITIO.

Sacerdotes possunt, ac debent poenitentibus satisfactionem imponere, peccatorum gravitati convenientem. Est dogma fidei.

Prob. 1a. pars. I. Christus *Joan. XX.* 22. Sacerdotibus potestatem fecit non solum solvendi, verum etiam ligandi. Ligant autem non solum cum absolutionem denegant, verum etiam cum satisfactionis onus imponunt. Ergo etc.

Prob. II. ex perpetua Traditione. 1.° Tertullianus jam Montanista testatur, hanc esse catholicorum doctrinam *Lib. de Pudicitia Cap.* 13. 2.° Leo M. *Ep. XCI. Mediator*, inquit, *Dei et hominum hanc Praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* 3.° Hac potestate semper, et ubique Ecclesia usa est, ut patet ex omnibus canonibus, qui de imponenda poenitentibus satisfactione conditi sunt. Hinc merito Tridentinum *Sess. XIV. can.* 15. *Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit*

Prob.

Prob. 2a. pars. Quod semper, quod ubique, quod ab omnibus servatum est in Ecclesia, et cujus omissio damnata semper est ut clavium abusus, id ex traditione Apostolica descendere, putandum est, juxta *Augustini* regulam. Atqui talis est impositio satisfactionis, ut constat ex omnibus Patribus, et Conciliis, in quibus de poenitentibus agitur, ejusque omissio damnata est a Patribus ut contraria Evangelio; ait enim Cyprianus *Lib. de Lapsis* contra molliores quosdam Sacerdotes, qui lapsos sine debita satisfactione absolvebant: *Contra Evangelii vigorem, contra Domini, ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio; irrita, et falsa pax, perniciosa dantibus, et nihil accipientibus profutura: non quaerunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.* Unde Tridentinum *Sess. XIV. Can. 8. Debent ergo*, inquit, *Sacerdotes, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum; et poenitentium facultate salutares, et convenientes satisfactiones injungere.* Ergo etc.

Prob. 3a. pars. quam conceptis verbis docet Tridentinum *loc. cit.* subjungens: *Ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Idque uno ore Patres omnes tradiderunt, *Poenitentia*, inquit Cyprianus *Lib. de Lapsis*, *crimine minor non sit.* Ambrosius *Ad Virg. laps. Cap. 8. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* Et ratione etiam ostenditur, cum enim Sacerdos medicus sit, et judex, pro utroque officio debet et vulneri congruentem aptare medicinam, et crimini aptam poenam decernere; quantum tamen Spiritus, et prudentia suggesserit, habita etiam ratione infirmitatis ipsius poenitentis non solum corporalis, sed etiam spiritualis, ne forte deterritus poenae magnitudine aut in desperationem agatur, aut injunctam satisfactionem gravi sacrilegio contemnat, et omittat.

Ob-

Objectiones.

Objic. I. cont. 2m. part. Si poenitens sua sponte ea opera peregerit, imo et multo plura, et graviora, quam a Sacerdote fuissent imposita, jam quantum in se est, effecit quod oportebat ad redimendam temporalem poenam. Non debet ergo Sacerdos saltem tali poenitenti satisfactionem imponere.

℟. *Neg. ant.* Praeter opera enim sponte suscepta, superest ei peragendum quod a Sacerdote praecipitur tamquam pars Sacramenti, quod ideo majoris est virtutis, quam opera ex ipsius poenitentis electione effecta ut advertit S. Thomas *Quodlib III. Q.* 12. *art.* 11. quia scilicet satisfaciendi vim habet *ex opere operato* ex virtute sacramenti. Fatendum tamen, cum tali poenitente mitius agendum esse.

Objic. II. cont. 3m. part. Christus magnis quibusdam peccatoribus morum dumtaxat emendationem, non poenam subeundam praecepit. Quidni ergo Sacerdos hoc exemplum sequetur, cum Christi actiones nostra doctrina sint?

℟. *Dist. ant.* Idque fecit Christus ex potestate *excellentiae*, quam suis ministris non communicavit, *conc.* Secus, *neg.* Poterat ergo Christus, ut suo loco diximus, ex potestate *excellentiae* effectus Sacramentorum sine Sacramentis operari, totamque poenam, cum volebat, dimittere. Hoc autem ministris ejus non est concessum. Responsio est S. Thomae *Suppl.* 3. *P. Q. XVIII. art.* 4.

Objic. III. Nulla potest poena gravitatem peccati exaequare. Si ergo Sacerdos pro gravitate criminum praecipere satisfactionem deberet, oporteret utique, eam esse infinitam, quod absurdum est.

℟. *Dist. ant.* Nulla poena potest aequare gravitatem peccati nondum quoad culpam dimissi, *conc.* Jam dimissi, *subdist.* Et nos non diximus, tantam omnino debere esse satisfactionem, quanta est poena post dimissum peccatum manens, *conc.* Secus, *neg.* Dimisso ergo quoad culpam peccato, poena remanet luenda temporalis, ideoque non infinita. Sed neque huic

poe-

poenae aequalis debet esse satisfactio, sed *proportionalis*, ut major pro majori, minor pro minori culpa praecipiatur. Quae quidem satisfactio etsi non aequalis poenae, quae judicio Dei subeunda esset, habet tamen ex meritis Christi, et sacramenti virtute, ut poenam illam longe majorem avertat, et expungat.

Objic. IV. Consuetudo vim legis habet. Atqui multorum consuetudine firmatum est, ut nonnullae preces, aut ad summum unius diei jejunium pro peccatis gravissimis praecipiantur. Ergo.

℟. *Dist. ant* Consuetudo vim legis habet in iis, quae sunt juris divini, *neg.* Juris humani, *subdist.* Si habeat justae consuetudinis conditiones, *conc.* Secus, *neg.* Itaque cum satisfactiones ex praecepto divino criminum gravitati debeant esse congruentes, ut *Cyprianus* docet *Lib. de Lapsis*; nulla potest jus illud consuetudine abrogari. Sed etsi ageretur de jure humano, praecipuae conditiones consuetudinis sunt praxis piorum, et tacitus legislatoris consensus: quae conditiones hic desunt; cum Ecclesia, et fideliores ministri hunc abusum damnent.

Inst. Ecclesia ipsa identidem *Jubilaeum*, et *plenarias indulgentias* concedit, quibus temporales poenae redimuntur. Ergo licet tempore *Jubilaei*, imo et sub *jubilaei*, ex *indulgentiarum* spe, minimas imponere satisfactiones.

℟. *Dist. ant.* Ecclesia plenarias indulgentias concedit in adjumentum infirmitatis iis, qui faciunt quantum in ipsis est, ut Deo satisfaciant, sed non possunt condignam adamussim peragere poenitentiam, *conc.* Iis, qui nolunt facere quod possunt, *neg.* Absit enim ut Ecclesia thesaurum indulgentiarum dissipare velit ad fovendam ignaviam. Vide quae dicemus in *Dissert. de Indulgentiis Tom.* V.

Corollaria.

I. Ergo graviter peccant Sacerdotes, qui levissimas pro maximis sceleribus imponunt satisfactiones et *alieni peccati*, ut ait Tridentinum, *participes fiunt.*

II.

II. Quod si Sacerdos ex imperitia, aliave causa minorem satisfactionem praeceperit, *poenitens ad aliquid ulterius obligatur; quod si in hac vita non perficiat, in Purgatorio exolvet*, ut inquit S. Thomas *Quodl. III. Q.* 13. *art.* 1. non enim imperitia Sacerdotis potest poenitentem exinuere a divino praecepto faciendi fructus dignos poenitentiae.

Scholion.

Etsi diximus generatim, satisfactionem et gravitati criminum, et infirmitati poenitentium esse aptandam; quia tamen non paucae hac in re oriuntur in praxi difficultates, eas hic expedire satagemus.

Q. I. *Unde Sacerdos certam desumat regulam in satisfactione praecipienda?*

R. 1.° Sacerdoti prae oculis habendi sunt *Canones poenitentiales*, quos idcirco *S. Carolus* in *Instructionibus* Sacerdotum edendos curavit. Licet enim ii hodie in Ecclesia Latina non vigeant, lumen tamen Sacerdoti praebent, ut quantum humana patitur infirmitas, proportionem quandam pro gravioribus, et levioribus peccatis servet, et quando pro infirmitate poenitentis mitius agendum putat, exponat ei peccati gravitatem, ex poena qua olim plectebatur, et nunc etiam plectendum est, cum non sit mutata justitia Dei, nisi poenitens voluntariis castigationibus illam placare studeat.

2.° Attendenda Sacerdoti est peccatorum species, ut contrarias vitiis poenas imponat, quo fiat, ut satisfactio simul medicina sit. Sic avaris eleemosynas, luxuriosis jejunia, superbis orationes praecipiet, ut monet *S. Carolus* post *Chrysostomum Hom. X. in Matth.*

3.° Omnis satisfactionis ratio, non secus ac absolutio, aut absolutionis dilatio arbitrio Sacerdotis relicta est, non ut pro lubito agat, sed ut fidelis Dei minister Spiritu ejus illustratus, ac mutus. Quem Spiritum orationibus adsiduis attrahere in hoc Sacramento administrando debet.

4.° Quamvis quaecumque pia opera etiam aliunde praecepta, ut jejunium in quadragesima, patientia in fe-

ferendis calamitatibus, pro satisfactione possint imperari; aequum tamen est, ut sacerdos opera aliunde indebita praecipiat (nisi forte status, et infirmitas poenitentis ea omnino ferre non valeat); et in dubio ita praecepisse judicandum est.

5.° In absolvendis infirmis potest levis imponi poenitentia, addita tamen alia persolvenda, si convaluerint; at in absolutione moribundi, ac sensibus destituti nulla prorsus imponenda poenitentia, cum omnino impossibilis sit.

Q. II. *Potestne Sacerdos poenitentiam ab alio Sacerdote impositam mutare?*

℞. Si recte, et prudenter fuit imposita, non potest. Si vero imprudenter, aut si valde personae, rerumque circumstantiae mutatae fuerint; potest, audita prius summatim confessione peccatorum, propter quae fuit imposita, saltem secundum species. Idque valet, etsi poenitentia ob casus reservatos fuisset imposita. Communis haec doctrina Theologorum est. (a)

Q. III. *Sacerdos publicam, an secretam satisfactionem debet imponere?*

℞. 1.° Olim quidem publica erat poenitentia pro gravibus peccatis, etiam occultis, ut fuse demonstrat Natalis Alexander *Dissert. VI. Saec. III.* Duguetus *Dissert. XXXIX.* aliique. Neque inde sequebatur manifestatio criminis; tum quia varia peccata eidem poenitentiae modo subjiciebantur, tum quia Episcopi pro fervore poenitentium vario, tempus poenitentiae contrahebant, tum denique quia nonnulli ex sola humilitate poenitentiae publicae stadium ingrediebantur. Sed a saeculo VII. receptum est, ut publica tantum peccata publicae poenitentiae subjicerentur; occulta vero secretae. Sacerdos ergo non solum potest, sed etiam debet pro publicis peccatis, quae scandalo ceteris fuerunt

(a) Si tamen satisfactio imposita fuerit a Superiore ipso, qui casum sibi reservatum absolvit, vel absolvendi potestatem delegavit, non videtur ab inferiori ministro mutari posse.

runt, publicam imponere poenitentiam. Hinc Tridentinum ait *Sess. XIV. Cap. 8. Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice injungi oportet .... Episcopus tamen publicum hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit mutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

2.° Advertendum tamen, duplicem esse publicam poenitentiam, *sollemnem* scilicet, et *non sollemnem.* Prior est, quae certo quodam ritu peragitur, *ex gr.* cum cereis accensis ante fores Ecclesiae, aliisque ceremoniis. Altera vero sine hisce ritibus publice fit ad reparandum scandalum. Sollemnem ergo poenitentiam indicere, solius est Episcopi: non sollemnem vero, cujuscumque Sacerdotis qui Sacramentum ministrat.

Q. IV. *Satisfactio ante, an post absolutionem imponenda est?*

℟. Licet ex hodierna Ecclesiae disciplina post absolutionem poenitentia peragatur, ea tamen a Sacerdote imponi debet antequam absolutionem proferat. Satisfactio enim etsi quoad actum pars est Sacramenti *integralis*, quoad votum tamen, et animi praeparationem *essentialis* est, et a sincera contritione inseparabilis. Debet ergo Sacerdos ante absolutionem imponere satisfactionem, quam si poenitens obire nolit, jam non est ad absolutionem dispositus, nisi forte justa de causa eam mutari postulet. Ceterum si ex oblivione, vel errore Sacerdos ante absolutionem non imposuit satisfactionem; potest, ac debet post absolutionem imponere.

§. II.

§. II.

Utrum poenitens satisfactioni a Sacerdote praeceptae se subjicere, et quo tempore, ac modo illam peragere teneatur.

Adv. I. Non defuerunt in effraeni licentia opinandi, quae invaluit haud ita pridem apud *Casuistas*, qui dicerent, esse in arbitrio poenitentis sasisfactionem respuere. Hoc igitur primo refutandum est.

II. Ex veteri Ecclesiae disciplina satisfactio a poenitentibus persolvebatur ante absolutionem, excepto mortis periculo. Nunc autem post absolutionem persolvitur; quam Ecclesiae disciplinam morosi quidam censores carpere ausi sunt, quasi juri divino contrariam. Eorum audacia secundo loco retundenda est.

III. Denique disputatur, utrum poenitens imperatam satisfactionem possit persolvere in statu peccati mortalis; quod est tertio loco expendendum.

PROPOSITIO I.

Poenitens satisfactionem a Sacerdote imperatam accipere, ac persolvere tenetur.

Prob. Sacerdos potest, ac debet satisfactionem poenitenti imperare, ut supra ostendimus. Ergo poenitens illam accipere, ac persolvere tenetur; haec enim duo a se mutuo divelli nequeunt, potestas imperandi, et parendi necessitas. 2.° satisfactio a Sacerdote praecepta pars integrans Sacramenti est. Sed poenitens imperfectum Sacramentum reddere non potest sine culpa, quae quidem gravis censenda est, nisi forte materiae levitas excuset. Ergo etc.

Dices. Poena temporalis, quae luenda remanet post culpam dimissam, si a poenitente piis operibus non redimitur, a Deo ipso infligitur vel in praesenti vita, vel in Purgatorio igne. Potest ergo poenitens, satisfactione omissa, expectare poenam, qua Deus illum ple-

plectere voluerit, dicens cum Propheta: *Ego in flagella paratus sum.*

R. *Neg. cons.* 1.° quia stultum est incidere velle in manus Dei viventis, cum ejus misericordia occasionem offert placandae justitiae. 2.° quia videtur Dei justitiam parvi pendere, qui cum possit satisfacere, contemnit. 3.° quia cum Christus ita Sacramentum Poenitentiae instituerit, ut pars ejus esset satisfactio poenitentis, non potest ille fructum ex Sacramento referre, nisi velit ea facere, quae Christus instituit, nec potest quod coram Sacerdote, hoc est coram Christo, ante absolutionem promisit, sine gravi piaculo contemnere, aut omittere.

Corollarium.

Ergo non potest poenitens satisfactionem impositam in aliud etiam melius mutare.

PROPOSITIO II.

Satisfactio olim ante absolutionem, quibusdam exceptis causis, peragebatur, idque gravissimis rationibus; laudanda tamen est hodierna ecclesiae consuetudo satisfactionem persolvendi post absolutionem, ex prudenti oeconomia.

Prob. 1a. *pars*, quam Theologi fere omnes post Bellarminum *Lib. IV. Cap.* 5. Estium *in IV. Dist. XV.* §, 15. Maldonatum, Albaspinaeum, Morinum, Nat. Alexandrum, Vitassium tuentur. 1.° Apostolus Corinthium incestuosum non prius absolvendum dixit, quam durissima functum poenitentia. 2.° *Tertullianus* Catholicos arguens, quod a gravioribus peccatis absolverent, fatetur, eos nonnisi expleta satisfactione absolvisse: *Pontifex*, inquit, *Maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego moechiae, et fornicationis debita poenitentia functis dimitto Lib. de Pudicitia Cap.* 1. 3.°. *Cyprianus* quam graviter insectatus fuerit Sacerdotes ante satisfactionem absolventes, notissimum est: *V. Lib. de Lapsis.* 4. Ambro-

brosius *Lib. II. de Poenit. Cap.* 9. *Nonnulli*, inquit, *ideo poscunt poenitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvi cupiunt, quam Sacerdotem ligare.* Mittimus innumera alia ejus disciplinae testimonia, quae apud auctores paulo ante laudatos invenies.

Prob. 2a. *pars.*; nempe quod quibusdam in causis ordo ille non servabatur. 1.° enim imminente persecutionis procella, absolutio poenitentibus dabatur, etiam nondum expleta satisfactione, ut testatur Cyprianus *Epist. L. ad Cornel.* 2.° Urgente mortis periculo, ut idem *Cyprianus*, et varii Conciliorum Canones statuerunt. 3.° cum absolvebantur haeretici, aut schismatici, qui alios secum ad Ecclesiam reducebant.

Prob. 3. *pars.* 1.° Ipsa totius Ecclesiae praxis, et Sanctorum Patrum ejus servandae studium satis ostendunt, gravissimis de causis eos ita cum poenitentibus egisse. *Talibus enim post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, Pastoribus, nutritoribus crecit*, ut loquitur Augustinus *Lib. II. cont. Jul. Cap.* 10. Et Pacianus apposite ad rem nostram: *An volumus docere doctores? Epist. I.* 2.° In promtu sunt rationes, quibus vetus Ecclesia movebatur; scilicet primo, ut poenitentes probaret; *Nam saepe sibi de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat*; ut inquit Gregorius M. *Pastoral. Part. I. Cap.* 9. Deinde cum gratia Dei non soleat passim peccatores uno ictu convertere, satius duxerunt Patres absolutionem differre, ut dilata vulneris obductio maturiorem praestaret suo tempore medicinam: Sic *Medicus medendi tempus expectat, ut digestis aegritudinibus medicinae subsidia deferantur, ne acerba adhuc, et immatura aegritudo curationis remediis reluctetur, et beneficium sentire non possit*, ut loquitur Ambrosius *Enarrat. in Ps. XXXVII.* Vide Duguetum *Disser. XXXVIII.*

Prob. 4a. *pars*, Eadem est hodie, quae olim fuit Ecclesia Christi, eodemque regitur Spiritu Sancto. Ergo absurdum est affirmare, illam a praeceptis Evangelicis hodie in laxitatem declinasse; ac proinde agno-

scenda est cum grati animi sensu amantissimae matris misericordia, quae se ad imbecillitatem filiorum suorum demittens, canonum rigorem temperavit. Hinc jure *Sixtus IV.* anno MCCCCLXXVIII. eam damnavit *Petri Oxomensis* propositionem; *Non sunt absolvendi poenitentes, nisi peracta prius poenitentia eis imposita.* Et *Alexander VIII.* anno MDCXC. has (16. et 13.) *Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politica, aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex, et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.* 2.° *Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Poenitentiae; etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.* Semper tamen idem est Ecclesiae Spiritus, ut si Sacerdos de vera, ac sincera conversione peccatoris prudenter dubitet, absolutionem differat, donec ille per pia opera faciat eum de sua contritione certiorem. Idemque agendum, ubi res est de restitutione famae, aut bonorum, aliisque in causis, quas supra recensuimus.

Dices cont. 1m. part. Absolutio illa, quae post peractam poenitentiam fiebat ab Episcopo, et Clero universo, *ceremonialis* erat. Praecesserat ergo ante satisfactionem absolutio Sacramentalis. Ita arguit Bagotius *Dissert. II. de poenit. Cap. 7. seq.*

℟. *Neg. ant.* Patres enim docent, per absolutionem illam solvi poenitentes, dimitti culpam, ut patet ex locis *Cypriani*, et *Ambrosii* supra laudatis, aliisque innumeris. Clerus ergo universus conveniebat, et cum Episcopo manus imponebat poenitentibus, ut absolutio sollemnior esset; sed solus Episcopus absolvebat, sicut fit etiam in Sacramento ordinationis, in quo etiam Presbyteri cum Episcopo manus imponunt.

Dices. cont. 4m. part. Patres uno ore affirmant, ordinem illum praemittendi satisfactionem absolutioni esse ex praecepto Christi, ex Dei lege, ex Evangelii vigore, ut constat ex locis *Cypriani*, *Tertulliani*, *Leonis M.* supra laudatis. Ergo praxis recentior abusus est.

℟.

℟. *Dist. ant.* Affirmant Patres, ex praecepto Christi praemittendam absolutioni satisfactionem quoad virtutem, hoc est quoad veram cordis contritionem, et firmum satisfaciendi propositum, sine quo vera contritio non est, *conc.* Sumptam quoad modum illum, et tempus ab Ecclesia in Conciliis institutum, *neg.* alioquin Patres numquam eum ordinem immutassent, sicut revera immutabant imminente persecutione, periculo mortis, aliisque in caussis. Cum ergo docent Patres, eos qui absolutionem ante satisfactionem flagitarent, Dei praeceptum contemnere illos redarguunt, qui absolutionem vellent sine ulla omnino satisfactione. Cum enim tunc ex Ecclesiae disciplina poenitentia ante absolutionem perageretur, idem erat absolutionem postulare ante satisfactionem, ac numquam velle satisfacere.

Q. I. *Quantum poenitens post absolutionem possit satisfactionem differre.*

℟. Si Sacerdos tempus satisfactionis implendae definiverit, eo tempore persolvi debet. Si non definiverit, debet persolvi quam primum commode poterit. Quanta tamen dilatio gravis culpa censeri debeat, pro ratione satisfactionis, et satisfacientis, varie judicari debet. Qui enim facilem, brevemque satisfactionem ad octo dies differt, parum a contemtu videtur abesse: qui ad quindecim, plane contemnere, ac proinde graviter peccare videtur.

Q. II. *Quo ordine, ac modo olim poenitentia ante absolutionem peragebatur.*

℟. Primis quidem duobus Ecclesiae saeculis usque ad *Montani* haeresim nulla erat a canonibus constituta certa poenitentiae ratio, ac forma, sed arbitrio Episcoporum relinquebatur. Post *Montani* haeresim usque ad schisma *Novatiani* coepit quidem esse poenitentia severior, ac diuturnior; non tamen certis legibus definita. Sed post *Novatianum* institutae sunt variae Poenitentium classes, seu stationes, quarum primus meminit *Gregorius Thaumaturgus*, deinde Synodus Ancyrana, *Basilius*, aliique: definitumque est tempus, quo in singulis Classibus poenitentes pro vario peccatorum genere versari deberent: quod eo consilio fa-

ctum est, ut Montanistis, et Novatianis, Ecclesiam nimiae laxitatis accusantibus, os obstrueretur.

Classes autem poenitentium quatuor erant, *Flentes Audientes, Substrati, et Consistentes.* Flentes ante fores Ecclesiae, in externa scilicet Templi porticu fletibus, et lacrymis se reos profitebantur, et genu flectebant iis, qui templum intrabant, orantes ut apud Deum, et Ecclesiam pro ipsis intercederent.

Audientes in Porticu interiore, templi foribus adjacente, et a reliqua templi parte per cancellos distincta, admittebantur ad audiendas Episcopi conciones cum catechumenis infimae classis, et ipsis ethnicis, quasi obliti legem Dei, de integro erudiendi essent.

Substrati, seu *Prostrati* in parte templi paulo interiore, nempe a cancellis audientium usque ad *Ambonem* aderant concionibus, et principio missae usque ad *offertorium*, quo incipiente, expellebantur ab Ecclesia. Eis in ea templi parte prostratis manus ab Episcopo imponebantur in singulis *synaxibus*, quae manus impositio oratio erat, qua super eos gratia caelestis invocabatur. Ceterum pro tempore in ea statione durabant, jejuniis, aliisque asperis poenitentiae laboribus exercebantur.

Demum *Consistentes*, ita appellati, quia non expellebantur ad *Offertorium*, sed per totam sacrificii actionem in templo consistebant, ab Ambone usque ad locum, ubi conveniebant fideles, quibus Eucharistiam accipere licebat. Ea classis complectebatur non modo eos poenitentes, qui jam reliquas classes decucurrissent, sed etiam eos qui leviora admisissent crimina, et mulieres, quae graviori crimine pollutae suspicionem potuissent ingerere, si ab infima classe poenitentiae stadium ingressae forent. Poterat autem Episcopus poenitentes pro eorum fervore citius ab infima classe ad superiorem transferre, ut constat ex Basilio *Epist. Canon. can.* 7. Demum, luctuoso hoc peracto curriculo, absolvebantur sed perpetuo *irregulares* manebant, ut nullus ex ipsis in Clerum cooptari posset. Quod si iterum lapsi essent, non admittebantur amplius in poenitentium numerum, sed a Deo expectare peccatorum remissionem poterant. Quod non desperatione

ratione veniae, sed rigore factum est disciplinae. Hunc tamen rigorem Ecclesia Romana temperabat, ut saltem in articulo mortis communionem daret. Aliae tamen nonnullae Ecclesiae ne in morte quidem eos absolvebant. Vide eruditum *Morini* opus de *Administratione Sacramenti Poenitentiae*, *Albaspinaeum*, *Duguetum*, *Natalem Alexandrum*, aliosque.

Q. III. *Si Clerici in peccata lapsi essent, subjiciebantur ne et ipsi Canonicae poenitentiae?*

℟. Clerici quidem minores canonicam poenitentiam subibant, ut constat ex Felice III. Papa *Ep. III.* At de majoribus Clericis varia fuit Ecclesiae disciplina. Nam tribus quidem prioribus saeculis ex *can.* XXV. inter Apostolicos, sola depositione, non autem canonica poenitentia plectebantur. E contrario Cyprianus *Epist.* LIX. meminit *Victoris* cujusdam Presbyteri poenitentiae stadium ingressi, et queritur, eum ante legitimam poenitentiam exactam fuisse absolutum; ita ut verisimile sit, non ubique eandem tunc obtinuisse disciplinam, vel saltem majores Clericos poenitentiae quidem publicae fuisse obnoxios, sed a sollemni substratione, et auditione fuisse immunes. At a saeculo V. receptum ubique est, ut majores Clerici, Episcopi scilicet, Presbyteri, et Diaconi si gravius deliquissent, deponerentur quidem: at canonicae poenitentiae non subjecti (nisi forte eam sponte peterent) satisfactionem vel in Monasteriis, vel alibi privatim persolverent, atque ita absolverentur, et ad Communionem laicam redigerentur, ut constat ex Concilio Carthaginiensi V. *can.* 12. Leone M. *Epist. II. ad Rustic. Narbon.* aliisque testimoniis, quae profert Natalis Alexander *Dissert. XI. in Hist. Saec. III.*

Q. IV. *Quamdiu duravit illa sollemnis poenitentiae ratio?*

℟. In Ecclesia quidem Orientali post quartum saeculum, sublato per *Nectarium* Presbytero Poenitentiario, quamvis permanserit poenitentia publica, rarior tamen esse coepit, nec in classes illas, seu stationes distincta, quas modo descripsimus. Nam nec canones Conciliorum, quae ab illa deinceps aetate habita sunt in oriente, nec Libri Ritnales earum statio-

num

num amplius meminerunt. In Ecclesia vero occidentali a Saeculo VII. inducta distinctione peccatorum occultorum, et publicorum a *Theodoro* Cantuariensi Archiepiscopo in suo Libro *Poenitentiali*, quam distinctionem *Theodorum* e Graecia, unde erat oriundus, advexerat, paulatim sollemnis disciplinae rigor emolliri coepit. Deinde inventae commutationes poenitentiae Canonicae in eleemosynas, et peregrinationem Hierosolymitanam, ut est humana infirmitas, brevi sollemnem poenitentiam immutarunt. Ceterum nullo Eccleciae decreto abolita illa est.

PROPOSITIO III.

Si poenitens post absolutionem in peccatum grave lapsus est, satisfactio eo in statu peracta meritum non habet. Et si quidem in actu peccati peracta est, omnino repetenda, si vero in statu peccati, sive habituali reatu; aliquando repetenda, aliquando minime repetenda est.

Prob. 1a. pars. Quia, ut suo loco diximus, meritum de condigno non est sine gratia sanctificante. Unde inquit S. Thomas *Suppl.* 3. *P. Q. XIV. art.* 2. *Sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Absurdum est, ut quis pro peccato satisfaciat per novum peccatum, sicut absurdum est, ut quis per novum debitum vetus expungat. Ergo satisfactio in actu peccati peracta omnino repetenda est.

Prob. 3a. et 4a. pars auctoritate S. Thomae *Supp.* 3. *P. Q. XIV. art,* 3. *ad* 3. *Dicendum*, inquit, *quod aliquae satisfactiones sunt, ex quibus manet aliquis effectus in satisfaciente etiam postquam actus satisfactionis transiit, sicut ex jejuniis manet corporis debilitatio, et ex eleemosynarum largitione substantiae diminutio. Et sic de similibus. Et tales satisfactiones in peccato factae non oportet, ut iterentur, quia quantum ad hoc, quod de his manet* (quando iterum homo justificabitur) *per poenitentiam Deo acceptae sunt. Satisfactiones autem, quae non relinquunt*

ali-

aliquem effectum in satisfaciente, postquam actus transiit, oportet, ut iterentur, sicut orationes, et alia hujusmodi. Ergo etc. Hinc in veteri disciplina satisfactio praecedens absolutionem, quia in jejuniis, aliisque operibus carnem vehementer excruciantibus peragebatur, ideoque ejus effectus etiam post justificationem permanebat, non erat repetenda.

Corollaria.

I. Quia nescit homo, utrum in statu gratiae sanctificantis satisfecerit; nescit etiam utrum plene satisfecerit; unde illud *Eccli. V.* 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

II. Cum sacerdos diuturniorem poenitentiam imponendam judicaverit, consultum est, ut partem ejus mox peragendam imponat, ut ea saltem in statu gratiae peragatur.

Scholion.

Non desunt Theologi, qui putant, satisfactionem in statu peccati, etsi in actibus transeuntibus sita sit, non esse repetendam, modo sine peccati affectu, sed studio placandi Deum peracta sit; eo quod, inquiunt, verisimile non sit, Deum nullam omnino habere rationem eorum operum, quae peccator ipsius Dei gratia adjutus, ad placandam divinam justitiam fecerit; ac proinde licet ea in statu peccati meritum non habeant, reviviscere tamen dicunt cum homo justificatur. Quae opinio probabilis quidem est; nos tamen eam, quae ex auctoritate *S. Thomae* verisimilior visa est, secuti sumus.

CAP.

CAP. X.

Expediuntur quaestiones nunnullae de forma Sacramenti Poenitentiae.

Explicatis reliquis hujus Sacramenti partibus, nonnulla expedienda restant de forma; 1.° scilicet utrum preces illae, quae praecedunt, nempe *Misereatur tui etc. Indulgentiam etc.* aliquando praetermitti possint. 2.° utrum forma conditionalis possit aliquando adhiberi. 3.° utrum absolutionem a peccatis praeire semper debeat absolutio a censuris.

PROPOSITIO I.

Preces, quae absolutionem praecedunt, non possunt passim sine piaculo praetermitti, nonnullis caussis exceptis.

Prob. 1a. pars. Peccat minister ritus Sacramentorum ab Ecclesia institutos omittens, ut supra ostendimus *Part. I.* Ecclesia autem Latina in Rituali Romano eas preces adhiberi jubet. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. 1.° Ex ipso Rituali, si urgeat mortis periculum, satis est, omnibus aliis omissis, dicere: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis in nomine Patris etc.* 2.° In confessionibus brevioribus, et frequentioribus, ex eodem Rituali preces illae, *Misereatur* et *Indulgentiam* omitti possunt. Ergo etc.

PRO-

PROPOSITIO II.

Rite, ac licite proferri potest absolutio sub conditione praesenti, vel praeterita tribus tantum in causis, nempe cum dubitatur, utrum qui absolvendus est adhuc vivat; cum in periculo mortis dubitatur de sinceritate contritionis; denique cum minister alio mente abstractus dubitat, utrum formam protulerit.

Prob. 1a. pars. Etsi hoc Sacramentum in forma judicii institutum est; judicium autem sententiam requirit absolutam, tamen cum forma conditionalis si vere extet conditio, censeatur absoluta; potest illa aliquando rite, ac licite adhiberi. Quod licet factum non sit prioribus Ecclesiae saeculis, quibus formae Sacramentorum conditionales ignotae fuerunt; tamen exemplo, Baptismi, qui aliquando sub conditione datur, dari etiam posse conditionalem absolutionem, certum est.

Prob. 2a. pars, nempe conditionem esse debere de re praesenti, vel praeterita. Non potest effectus sacramenti in futurum suspendi. Sacramenta enim agunt *ex opere operato*: at cum in futuro extabit conditio, non extabit *opus Sacramentale*, materia scilicet, et forma, quae jam transiit. Ergo.

Prob. 3a. pars, nempe in tribus recensitis caussis formam conditionalem usurpari posse. 1.° Cum prudenter dubitatur, an homo adhuc vivat, melius est dubia adhibere remedia, quam nulla; tunc enim valet axioma: *Sacramenta propter homines*; ergo tunc satius est, ut homo ille absolvatur, quam sine absolutione dimittatur. At per formam absolutam fieri posset irritum sacramentum, per formam autem conditionalem incommodum illud vitatur, quia non extante conditione, minister non censetur absolvere voluisse. Ergo potest tunc forma conditionalis licite adhiberi, imo et *valide*, si vera erit conditio. 2.° Cum homo in periculo mortis est, licet adhibere materiam dubiam, nempe dubiam poenitentis contritionem. Ergo absolvi potest, sed si absolveretur sine conditione, sacramentum irritum, ac nullum esse posset. Satius ergo est, ut adhi-

adhibeatur forma conditionalis. 3.° Cum minister dubitat, an formam absolutionis protulerit; jam dubium est, utrum poenitens fuerit absolutus. Ergo sicut cum dubitatur, an aliquis fuerit baptizatus, potest sub conditione baptizari; ita cum dubitatur an fuerit absolutus, potest sub conditione absolvi. Melius tamen esset, si repetita generatim confessione, minister formam proferret absolutam.

Prob. 4a. pars, nempe praeter eas caussas, numquam adhiberi posse conditionalem formam. Si qua alia esset caussa, esset utique cum minister dubitat, an poenitens extra mortis periculum recte sit dispositus. At ea in causa non potest adhiberi forma conditionalis. Non enim licet sine extrema necessitate uti materia dubia, etiam sub conditionali forma. Ergo etc. Adde, constantem Ecclesiae praxim ea in caussa praecipere, ut poenitenti differatur absolutio, donec operibus conversionem sinceram ostenderit.

Scholion.

Non est necesse, ut conditio verbis exprimatur, sed satis est, si geratur mente.

PROPOSITIO III.

Omnino necessarium est, ut absolutio a censura excommunicationis praecedat absolutionem a peccatis.

Prob. Excommunicatus a quocumqne Sacramento suscipiendo prohibetur. Ergo graviter peccat Sacerdos absolvens, tum ipse, qui absolvitur in eo statu, ac proinde tantum abest ut justificetur, quin alia peccata sacrilegio cumulabit, quod tamen intelligendum est, si deliberato animo, ac scienter id fiat. Merito ergo ante absolutionem a peccatis Rituale Romanum praeferendam praecipit absolutionem ab excommunicatione iis verbis: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis . . . in quantum possum, et tu indiges*, quae verba adjecta sunt, ut solvatur etiam excommunicatio, si quae sit, ignota pariter poenitenti, ac ministro, qui

qui tamen potestatem haberet eam solvendi. Unde infert *Sylvius*, si poenitens confiteatur Ministro potestatem habenti solvendi censuras reservatas, et obliviscatur peccatum, cui reservata censura erat adnexa, eum posse deinceps a quolibet absolvi ministro; cum, per illa verba, *in quantum possum et tu indiges*, omnes censuras solvere voluerit, quas solvere poterat, et poenitens indigebat; quam tamen opinionem *Ludovicus Habert* primo secutus, postea retractavit.

C A P. XI.

De effectibus Sacramenti Poenitentiae.

P R O P O S I T I O.

Effectus sacramenti Poenitentiae sunt remissio peccatorum, infusio gratiae sanctificantis, jus ad auxilia actualia, quibus gratia infusa conservetur, denique reviviscentia meritorum, quae per peccatum mortificata fuerant.

Prob. 1a. *pars*, *quae est dogma fidei*, ex ipsa sacramenti forma, et potestate, quam Christus Ecclesiae concessit dimittendi peccata, ut supra ostendimus.

Prob. 2a. *pars*. ex iis, quae diximus in superiore libro, ubi ostendimus, non remitti peccata, nisi simul gratia infundatur, sicut non expelluntur tenebrae, nisi per lucem, licet ordine prior remissio peccati, quam gratiae infusio, mente concipiatur. Gratiam autem comitatur etiam nobilissimus omnium virtutum, et donorum Spiritus Sancti chorus, ut in superiori Libro ostendimus.

Prob. 3a. *pars*. Praeter gratiam sanctificantem, quae communis est omnium Sacramentorum effectus, confert unumquodque gratiam sibi peculiarem, quae *Sacramentalis* dicitur, estque jus ad auxilia actualia, quibus effectus sacramenti suo tempore sequatur. At Sacramentum Poenitentiae medicina est spiritalium morborum, ut observat S. Thomas 3. *P. Q. LXV. art.* 1. cujus duplex est officium infirmitatem expellere, et sani-

sanitatem servare. Hinc *Augustinus* Lib. de Nat. et Grat. Cap. 26. *Sanat Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus.* Ergo etc.

Prob. 4a. pars. quae communis est Theologorum doctrina, paucis exceptis, quorum meminit S. Thomas 3. *P. Q. LXXXIX. art.* 5. 1.° ex Scriptura *Joel. II.* 12. *Convertimini*, inquit *ad me in toto corde vestro* . ., *et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et aerugo*; quod quidem *Hieronymus* interpretatur de meritis per poenitentiam restitutis. Unde Ambrosius, seu quivis auctor *Lib. De filio prodigo. Vide*, inquit, *quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* 2.° Absurdum est, et a divina bonitate alienum, ut Deus in gratiam recipiens peccatorem, nullam omnino habeat rationem tot bonorum operum, quae ille fecerit ante peccatum. Quod ergo legitur *Ezech. XVIII.* 24. *Si averterit se justus a justitia sua . . . . omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, intelligendum est, si permaneat in peccato.

Scholion.

I. Quoniam gloria respondet gratiae sanctificanti, ut reviviscant merita, necesse est, ut restituatur etiam impio in justificatione gratia illa, quam per peccatum amiserat. Sed non semper putandum est, eam restitui in eodem illo gradu, quo erit ante peccatum, alioquin impius, qui post multa bona opera multis sceleribus se foedavit, et vix perexiguam contritionem valide in exitu mortis absolvitur, in eundem evehetur gloriae gradum, quo viri sanctitate eximii. Quapropter restituitur quidem ei gratia, et merita per peccatum amissa, sed pro ratione contritionis, qua ad Sacramentum accedit. Atque haec est doctrina S. Thomae 3. *P. Q. LXXXIX. art.* 6. inter varias Theologorum sententias media.

II. Sicut merita per peccatum mortificata reviviscunt in justificatione; quaerunt Theologi, an etiam peccata prius dimissa per novum peccatum redeant. Et commu-

munior quidem sententia est, ea non redire *formaliter*, sed *virtualiter*, hoc est tantum esse in hominis relapsu ingratum animum erga Deum, et indignitatem veniae, ut aliquando Deus longe graviori supplicio peccatum puniat, quod post veniam, et justificationem commissum est, quasi etiam praeterita peccata, quae condonaverat, punire velit. Ceterum quae hic strictim posuimus, magnis sunt inter Theologos controversiis agitata.

Denique quod diximus in Sacramento poenitentiae conferri etiam jus ad actualia auxilia, intelligendum est, quandiu justificatus in gratia maneat; amissa enim per novum peccatum sanctificante gratia, jus quoque illud amitti, manifestum est.

III. De *Indulgentiis*, et *censuris*, quae ad plenam hujus Sacramenti tractationem necessaria sunt, quoniam grandius hoc volumen evadit, *Tomo V.* duabus *Dissertationibus* dicemus; quas facile huc qui voluerit, transferri poterit. Sed de Sacramento poenitentiae non satis est cognovisse dogmata, nisi etiam *praxis* ediscatur; quae ab aliis auctoribus, praecipue vero a probis doctisque Sacerdotibus diu, multumque in hoc ministerio sancte versatis accipienda est.

PARS VI.

DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Praefatio.

Cum in pluribus Sacramentis adhibeatur unctio, quae postrema periculose aegrotantibus adhibetur, *extrema unctio*, sive *sacramentum exeuntium* dicitur. Quod quidem definiri potest: *Sacramentum a Christo institutum, quo infirmi de vita periclitantes per unctionem olei, et Sacerdotis orationem, obtinent sanitatem morborum spiritalium, imo et corporalium, si id animae saluti expediat.* Sed quoniam haeretici in-

(a) Vide etiam *Dissertationem* nostram quae in *Tomo VIII.* harum Institutionum post Librum XII. nuper edidimus.

insano furore in hoc Sacramentum, sicut et in cetera quae ipsi rejiciunt, debaccantur, demonstrandum 1.° est, Extremam unctionem verum esse Sacramentum a Christo Domino institutum, 2.° expendendum, quaenam sit ejus materia, et forma. 3.° quis minister. 4.° quod *subjectum*, quaeve necessitas. 5.° quinam effectus, ac ceremoniae.

C A P. I.

Ostenditur, extremam unctionem verum esse Sacramentum a Christo Domino institutum.

Adv. Quamvis Lutherani, et Calvinistae, ut manifestae novitatis notam effugiant, dictitare soleant, Waldenses, Wiclefum, et Hus Extremam Unctionem ex albo Sacramentorum expunxisse; tamen certum est, haereticos illos (quos parentes ceteroquin adversariis non invidemus) non negasse, Extremam unctionem esse sacramentum, sed errasse tantummodo in ejus ritu; et quia propter abusus, quos in ea carpebant, ipsum, Sacramentum contemnebant; ut luculenter ostendit Bossuetus (*Hist. Variat.*) Primi ergo Lutherus, et Calvinus (*a*) Extremam unctionem e numero sacramentorum excerpserunt; contra quos sit

P R O P O S I T I O I.

Dogma fidei est, Extremam Unctionem esse verum Sacramentum a Christo institutum.

Prob. I. ex script. Jac. V. 14. inquit Apostolus Jacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Porro tria ad Sacramentum consituendum necessaria sunt,

---

(a) Luther. *Lib. De Captiv. Babyl.* Calv. *Lib. IV. Inst. Cap.* 17. & 18.

sunt, signum sensibile, promissio gratiae, et institutio divina, quae tria in hac unctione, de qua *Jacobus* loquitur, non desunt; adest enim sensibile signum, unctio scilicet olei, et preces Sacerdotis; adest gratia sanctificans, per quam peccata dimittuntur: *si in peccatis sit, remittentur ei*: denique adest divina institutio; tum quia solius Dei est jungere remissionem peccatorum sensibili signo, tum quia Apostoli ministros se tantum, et dispensatores mysteriorum Dei professi sunt, tum denique quia non ita confidenter scripsisset Apostolus, infirmum sine dubio alleviandum, liberandum a peccatis, et salvandum, si de re locutus esset humanae institutionis. Neque dicas, eum ritum fuisse institutum dumtaxat pro tempore nascentis Ecclesiae, quo virtus curationum frequentior erat; nam si ita se res haberet, 1.° Apostolus non presbyteros, sed eos, qui gratia curationum pollerent, vocandos suasisset. 2.° non indigebant hoc praecepto fideles, ut si quando infirmarentur, curarent reparare sanitatem; sed satis per se quisque sollicitus erat, ut vocaret ad infirmos fidelem aliquem miraculis fulgentem. 3.° Apostolus non conjunxisset praeceptum hoc cum aliis perpetuo in Ecclesia duraturis: *Tristatur aliquis vestrum? oret. Æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros etc. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem.* Ergo etc.

Prob. II. ex perpetua Ecclesiae traditione, et praxi, qua in re *Dallaeus* quidem Calvinista suam impudentiam, vel inscitiam prodit, cum ait, ritum inungendi infirmos esse recentiorem; alii vero haeretici fatentur quidem, semper in Ecclesia fuisse in usu, etiam cum gratia curationum desiit esse frequentior, sed contendunt, eum nonnisi meram fuisse ceremoniam, cui recentiores Sacramenti nomen tribuerunt. 1.° Origenes *Hom. II. in Levit. Est*, inquit, *adhuc optima, licet dura, et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum ... in quo impletur et illud*, quod Apostolus dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiae et imponant ei manus; ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quibus verbis docet *Origenes*, per

per unctionem infirmorum remitti peccata, ideoque esse Sacramentum, et quidem a poenitentia distinctum, propter diversam materiam, atque *subjectum*. 2. Chrysostomus *Lib. III. de Sacerdot.* ait, *Sacerdotes non tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam, infirmatur quis in vobis? ait Apostolus, adducat Presbyteros Ecclesiae.* 3° Innocentius I. *Epist. ad Decent. Eugub.* interroganti *Decentio*, utrum iis, quibus alia denegantur sacramenta, unctio saltem extrema adhiberi possit, respondet. *Poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur; quomodo unum genus putatur posse concedi?* Idem docent alii Patres, et concilia tum Provincialia, ut Cabilonense II., Moguntinum, Ticinense, tum generalia, ut Constantiense *Sess. XV.* Florentinum, seu *Eugenius IV.* in *Decreto*, et Tridentinum *Sess. XIV. can.* 1. 4.° Ante *Lutherum*, et *Calvinum*, universa Ecclesia tum orientalis, etiam schismatici, et haeretici extremam unctionem ut verum habebant Sacramentum, ut constat ex Professione fidei *Hieremiae* Patriarchae Constantinopolitani ad Lutheranos, variisque Synodis ea de causa in oriente habitis; ex Graecorum *Euchologiis*, eorumque consensione cum Ecclesia Latina in re Sacramentaria satis explorata in Conciliis Lugdunensi, et Florentino. Atqui fieri non poterat, ut novum hoc dogma, nemine reclamante, universam pervaderet Ecclesiam, si figmentum esset humanum. 5.° Non potest designari tempus, quo haec doctrina primum inventa sit; et proinde traditionis est Apostolicae juxta toties repetitam Augustini regulam. Ergo jure Tridentinum *Sess XIV. can.* 1. contrarium errorem damnavit definiens: *Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo D. N. institutum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.*

Prob. III. Non est credibile, Christum Dominum, qui tot vitae spiritalis adjumenta instituit, nullum instituisse pro eo tempore, quo aeterna hominis salus in maximo versatur discrimine. Ergo etc.

Objec-

Objectiones.

Objic. I. Praecipuum catholicorum fundamentum est epistola *Jacobi.* Atqui nihil hinc proficiunt: tum quia epistola illa *Canonica* non fuit initio Ecclesiae, nec proinde tractu temporis Canonica fieri potuit; tum quia non agitur ibi de Sacramento, sed de gratia curandi infirmos, quae eo tempore frequens erat. Ergo etc.

℟. *Transeat maj.* Nam etsi Epistola *Jacobi* non esset, sufficeret ad confirmandum dogma catholicum Traditio. *neg. min.* Nam primo Epistolam Jacobi Canonicam esse, satis ostendimus *Lib. II.* nec diffitetur Calvinus *Lib. III. Inst. Cap.* 17. §. 11. *et* 12. licet *Lutherus eam stramineam, aridam*, Apostolo indignam nuncupet, quem sequuntur *Brentius*, *Kemnitius*, *Magdeburgentes*, et ipse *Erasmus*. 2.° Non loqui Apostolum de sola corporis, sed praecipue de animae sanitate, patet ex illis verbis: *Si in peccatis sit, remittentur ei.*

Inst. 1.° Unctio, de qua loquitur Jacobus, eadem illa est, quam Apostoli ante Christi passionem adhibebant infirmis, eosque curabant *Marci VI.* 13. Sed illa non erat Sacramentum. Ergo etc.

℟. Non unam esse Theologorum de utraque hac unctione sententiam. *Alphonsus de Castro*, *Thomas Waldensis*, *Maldonatus*, *Catharinus* putant, eamdem esse unctionem ab Apostolis ante Christi passionem adhibitam, et a *Jacobo* praedicatam, quam sententiam probabilem putat *Laurentius Berti*. Sed Theologi illi contendunt, utramque unctionem verum fuisse Sacramentum. Alii verisimilius affirmant, alterius rationis fuisse unctionem ab Apostolis *Marc. VI.* usurpatam, quippe non aliam ob causam adhibitam, quam ad curationem infirmorum, cujus curationis virtutem Christus eis tribuerat dicens *Matt. X.* 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones ejicite.* Nam 1.° inquiunt, tunc Apostoli nondum erant Sacerdotes. 2.° ungebant infirmos quoscumque, etiam infideles, ut eos miraculo ad fidem converterent. 3.° co-

solius corporalis sanitatis mentio fit in Evangelio. Concedunt tamen, per unctionem illam fuisse adumbratam virtutem Extremae unctionis, quam deinde Christus instituit. Unde caute Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 1. ait, Sacramentum Extremae unctionis apud *Marcum* quidem fuisse insinuatum, ac per *Jacobum* Apostolum, ac Domini fratrem fuisse fidelibus commendatum.

Inst. 2.° Negari non potest, quin infirmorum unctio ob eorum corporis sanitatem commendata sit a *Jacobo*, et patet ex illis verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus*, hoc est ut Graecus habet textus, relevabit, jacentem eriget. Atqui hic effectus sub Apostolis frequens, jamdiu evanuit; si quis enim hodie unus ex millibus post extremam unctionem convalescit, naturae potius, et medicinae, quam extremae unctioni acceptam refert sanitatem. Ergo cessare etiam debuit ipsa unctio, ac proinde non est ritus perpetuus a Christo institutus, sed temporarius, pro illo scilicet tempore usurpatus ab Apostolis.

℟. *Dist. ant.* Unctio infirmorum commendata est ob sanitatem corporis, ut effectum minus praecipuum, et conditionalem, si nempe animarum saluti expediat, *conc.* Ut effectum unicum, vel praecipuum, *neg.* Itaque praecipuus Unctionis infirmorum effectus animae salus, et alleviatio est, nempe remissio peccatorum et solamen, ac robur ad toleranda patienter morbi incommoda. Sanitas autem corporis non semper expedit, aut utilis est saluti animarum; ideoque effectus hic secundarius est, nec prioribus saeculis semper secutus, nec posterioribus semper expectandus; praesertim cum ex incuria infirmorum, aut ministrantium, reservatur extrema unctio ad extremam vitae periodum, qua infirmus nonnisi stupendo miraculo convalescere potest. Ceterum cum non pauci ex infirmis, qui commodiori tempore sacramentum hoc suscipiunt, convalescant, si postea naturae, aut medicinae dumtaxat habent gratiam, ipsorum fidei defectus est.

Inst. 3.° Apostolus prius salutem corporis promittit ex unctione infirmi secuturam; *Oratio fidei salva-*

bit

bit infirmum, *et alleviabit eum Dominus*: deinde tamquam effectum secundarium, et conditionalem, *si in peccatis sit*, *remittentur ei*. Ergo primarius ejus effectus aetate Apostolorum erat sanitas corporis.

℞. *Transeat ant.* Verba enim illa *salvabit infirmum, alleviabit eum Dominus*, etiam de spiritali salute, ac levamine possunt intelligi. *Neg. cons.* Non enim quod primo loco dictum est, sed quod praecipuam natura sua dignitatem habet, est attendendum. Numquid enim quia Christus in Evangelio prius temporalia, quam sempiterna bona commemoravit dicens *Matth. XIX.* 29. *Omnis qui reliquerit domum etc. . . . centuplum accipiet*, *et vitam aeternam possidebit*, et Luc. XVIII. 30. *multo plura in hoc tempore*, *et in saeculo venturo vitam aeternam*, ideo putabimus, praecipuam esse in Evangelio promissionem temporalium bonorum? Posita ergo primo loco sanitas corporalis a *Jacobo*, sicut et a Christo promissio boni temporalis, quia Apostolus de infirmitate corporali, Christus de jactura bonorum temporalium instituerat sermonem. Sed spiritualia semper primo in lege Evangelica intelliguntur promissa. Verba autem illa: *si in peccatis sit*, *remittentur ei*, ita intelligenda sunt, nempe quod per Sacramentum hoc tribuatur gratia ejus naturae, ac virtutis, ut si homo in peccatis sit, remittantur ei; sicut etiam Sacramenta Baptismi, et Poenitentiae, quae aliquando conferuntur hominibus jam per contritionem justificatis.

Inst. 4.° Vetustiores Patres, qui de mysteriis Religionis Christianae scripserunt, *Justinus* in *Apologia*, *Tertullianus* in *Apologetico*, *Cyrillus Hieros.* in *Catechesibus*, *Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia*: Imo qui sanctorum vitam, atque obitum accurate scripserunt, numquam referunt, eos in extremis sacro oleo inunctos. Ergo unctio a *Jacobo* commendata ad sanitatem corporis fiebat, qua cessante post Apostolorum aetatem, cessavit etiam illa unctionis observatio.

℞. *Neg. cons.* Nihil enim valet silentium aliquorum veterum contra apertissima aliorum testimonia, praesertim *Innocentii*. I. Papae in Epistola ad *Decentium*. Quod autem veteres Historici, qui Sanctorum obitum refe-

retulerunt; non commemorant unctionem, non persuadet, eam fuisse praetermissam; nam etiam in recentiorum Sanctorum vitis non semper legitur, eos extrema unctione munitos, et tamen certissimum est, illam suscepisse. Imo ipsi veteres saepe non referunt, sanctos viros in obitu viaticum accepisse, et tamen quis dubitat, eos illud nequaquam omisisse? Adde quod cum extrema unctio habeatur tamquam complementum Sacramenti Poenitentiae, fortasse illam veteres nomine poenitentiae designarunt.

CAP. II.

De materia, et forma Extremae unctionis.

Adv. I. Materiam Extremae unctionis remotam esse oleum, manifestum est ex laudata *Jacobi* epistola, Ecclesiae traditione, *Decreto Eugenii IV.* et Tridentino: quod quidem oleum, ex olivis esse debet, cum illud dicatur sempliciter oleum; quae materia satis conveniens est ad explicandum sacramenti effectum, sicut enim oleum lenit, sanat, lumen fovet, ita Sacramentum hoc dolorem lenit saltem patientia, sanat animam a peccato, et corpus etiam ab aegritudine, si id expediat, et lumen fidei roborat. Sed disputatur inter Theologos, utrum ex praecepto divino, et necessitate Sacramenti oleum ab Episcopo benedictum esse debeat. Affirmant *Bellarminus*, *Estius*, *Suarez*, *Sylvius* aliique magni nominis Theologi, eique sententiae S. Thomas 3. *P. suppl. Q. XXIX. art.* 4. videtur patrocinari; negant vero *Natalis Alexander*, *Sambovius*, *Maldonatus*, eaque sententia jam videtur in Scholis communior.

II. Rursus de proxima materia quaeritur, utrum unctio una sufficiat, an plures adhibendae sint.

III. Denique cum forma hujus Sacramenti apud Latinos, et Graecos sit deprecatio, controversia est, utrum valeret, si modo indicativo proferretur.

PRO-

PROPOSITIO I.

Quamvis probabilius videatur, benedictionem olei non pertinere ad Sacramenti necessitatem, ac valorem, peccaret tamen Sacerdos, qui simplex oleum adhiberet; imo si ex errore oleum catechumenorum, vel chrisma adhibuerit, repetenda est extrema unctio.

Prob. 1a. *pars. I.* Neque ex Scriptura, neque ex Traditione constat, oleum infirmorum ex praecepto divino, ac necessitate Sacramenti debere esse benedictum. Non quidem ex Scriptura, nam *Jacobus* simpliciter oleum nominat: *ungentes eum oleo*. Sed neque ex Traditione, nam licet veteres testentur, oleum pro infirmis ab Episcopo benedici consuevisse, sicut etiam benedicitur aqua ad baptismum; nemo tamen asserit, ea benedictione praetermissa, irritum fore Sacramentum. Ergo verisimilius est, benedictionem Episcopi non ex institutione Christi, sed Ecclesiae fuisse inductam, ac proinde non pertinere ad necessitatem, ac valorem Sacramenti.

Prob. II. Quod divinitus institutum est, ubique in Ecclesia pari ratione servatur. Sed ritus benedictionis olei infirmorum pro varietate regionum varius est. In Ecclesia enim Latina ita Episcoporum est proprius, ut ne a Summo quidem Pontifice Presbyter ad id muneris destinari possit (*a*). At in Ecclesia Graeca ipsimet Presbyteri, cum Sacramentum Extremae unctionis conferunt, prius oleum benedicunt, deinde infirmum inungunt (*b*). Eum autem morem Ecclesia Latina

(a) Non quidem ex defectu potestatis; alioquî neque Graecis id concedere potuisset, sed prudentis oeconomiae, cum in Latina Ecclesia nullum ejusmodi sit vetustatis exemplum. Quod ergo generatim ait Benedictus XIV. Lib. VIII. de Syn. cap. 1. posse R. Pontificem hoc munus simplici mandare Presbytero, non est contrarium doctrinae, quam supra posuimus.

(b) Auctor est *Goarius* in *Euchol.* Graecos Fer. V. in *Coena Dom.*, oleum ab Episcopo benedictum totum consumere ungendo adstantes omnes, qui Eucharistiam accepturi sunt, ipsumque Episcopum eo ungi.

na non damnavit in Conciliis Lugdunensi, et Florentino, imo *Clemens VIII.* probavit in *Instructione* ad Episcopos Latinos, in quorum dioecesibus versantur Graeci. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Non licet in Sacramentis ministrandis sequi opinionem probobilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ut ex *Innocentii XI.* definitione saepe diximus. Atqui procul dubio tutior est eorum sententia, qui benedictionem Episcopi ex praecepto divino necessariam esse volunt. Ex quo patet etiam 3.° *pars*, quam et confirmat *S. Carolus* in *Synodo V.* Mediolanensi ann. MDLXXIX., ubi ait: *Parochus, si per errorem aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad aegrotum ungendum adhibuerit, etiamsi Chrismatis, aut catechumenorum sit, ut erratum emendet, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tuncque sacramenti formam iteret.* Quod tamen intelligitur excluso scandalo, aliove gravi incommodo.

Dices. cont. 1m. part. Eugenius IV. in *Decreto*, et Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 1. affirmant, materiam unctionis esse *oleum ab Episcopo benedictum.* Atqui si benedictio illa ad valorem Sacramenti non esset necessaria, satis erat dicere, materiam hujus Sacramenti esse oleum olivae, sicut cum loquuntur de materia Baptismi ajunt, eam esse aquam veram, et naturalem, licet etiam benedicatur aqua ad baptismum. Ergo satis ostendunt, benedictionem esse huic sacramento necessariam.

℟. *Neg. min.* Quod enim attinet ad *Eugenium IV.* scimus, eum non solum quae *essentialia* sunt, sed etiam *accidentalia* in materia, et forma sacramentorum posuisse, ut Armenos edoceret ritus Ecclesiae Romanae, praesertim ubi vidit, esse Theologos, qui ritus illos contendebant *essentiales.* Sic in describenda Eucharistiae consecrandae forma, refert omnia verba, quae a Latinis proferuntur; licet aliqua non pertineant ad formae substantiam; in describenda materia ordinationis ponit ritus, quos suo loco ostendemus esse institutionis Ecclesiasticae. Quod ad Tridentinum vero, saepe diximus, Patres definire noluisse contro-

ver-

versias inter Theologos agitatas. Si autem dixisset, materiam extremae unctionis esse oleum ex olivis, jam definivisset, benedictionem Episcopalem non pertinere ad Sacramenti substantiam. Merito ergo ait, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum, non tamen affirmans, eam benedictionem esse ad valorem sacramenti necessariam, ut neutri opinioni praejudicasse videretur. At contra cum Baptismus saepe in aqua non benedicta conferatur, et nemo dixerit, benedictionem aquae pertinere ad valorem Baptismi, non opus erat, ut diceret, materiam baptismi esse aquam benedictam.

Inst. Cum *Eugenius IV.* et Tridentinum doceant, materiam Baptismi esse aquam veram, et naturalem, sensus est, non quamcumque aquam, sed veram, et naturalem esse materiam baptismi necessariam. Ergo cum ajunt, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, sensus est, non quodcumque oleum, sed benedictum esse materiam necessariam.

Dist. cons. Esse materiam necessariam ad sollemnem administrationem, et quae sine gravi culpa, et periculo Sacramenti non potest omitti, *conc.* Esse materiam essentialem, *neg. cons. et parit.* Cum enim dicitur *aqua vera et naturalis*, patet, de ipsa materiae substantia sermonem institui, at cum dicitur *oleum benedictum*, non de substantia materiae, sed de ritu substantiae superaddito sermo est: quem ritum cum non dicant, esse necessarium ad valorem Sacramenti, quaestionem intactam relinquunt.

Q. I. *Utrum saltem in causa necessitatis adhiberi posset commune oleum, vel catechumenorum.*

R. 1.° Quod ad oleum commune, vix talis videtur esse necessitas, quae illud adhiberi postulet, cum ejus usus Ecclesiae universae videatur ignotus. Sed si talis accidat extrema necessitas, ut infirmus nulla dederit signa poenitentiae, ita ut valde dubia sit absolutio ipsi impertita, censent plurimi, posse ei succurri per extremam unctionem, etiam in oleo per Episcopum non benedicto, ut post Paulum de Lugduno opinatur Collet *Cap. III. de Sacr. Extr. Unct.* in causa enim extremae necessitatis dubiam materiam fas est adhiberi.

2.°

2.° Quod vero spectat ad oleum catechumenorum, cum illud etiam ab Episcopo benedictum sit, sunt nonnulli, qui licet benedictionem Episcopi ad sacramenti valorem requirant, censent tamen cum Gonetο *Disp. I. n.* 17.. posse illud magna urgente necessitate adhiberi.

Q. II. *Quid Parocho agendum, cum deficere incipit oleum benedictum?*

℟. Admiscendum commune oleum in minori quantitate., ut monet *Rituale Romanum. Non negamus*, inquit Innocentius III. *Cap.* 3. *De Consecr. Eccl. quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Tota autem massa ex mixtione exurgens benedicta censetur, ita ut si et ipsa deficere incipiat, ut grassante epidemico morbo potest accidere, adjicienda rursus alia olei communis pars, et rursus alia, si opus sit; licet ex interatis mixtionibus nihil de vetēri oleo remansurum videatur.

Non est antem necesse ad Sacramentum, ut oleum eo anno sit benedictum, imo de praecepto etiam Ecclesiastico nonnulli dubitant, cum de solo chrismate expresse praeceptum sit, ut nonnisi eo anno confectum possit adhiberi. Imo si desit oleum hoc anno benedictum, posse Sacerdotem vetus oleum adhibere, Sacra Congregatio declaravit *die* 20. *Mart. an.* 1690. *ad Gavant.*

PROPOSITIO II.

Materia proxima ad valorem Sacramenti sufficiens est unica unctio. Sed ex praecepto Ecclesiae multiplex est adhibenda, et quidem varia, pro variis Ecclesiarum ritibus.

Prob. 1*a. pars.* Apostolus *Jacobus* simplicem praecipit unctionem: *ungentes*, inquit, *eum oleo.* Sed per unicam unctionem satisfit huic praecepto, sicut per unicam mersionem satisfit praecepto *baptizantes eos.* Ergo etc.

Prob. 2*a. pars.* ex variis Ritualibus libris tum Graecorum, tum Latinorum. Apud Graecos quidem frons,

et

et facies inungi jubentur, eo quod ibi sensuum omnium origo sit. Apud Latinos vero quinque sensuum organa oculi, aures, nares, os, et manus, quibus etiam addita est unctio pedum, et renum, juxta *Eugenii IV. Decretum*, quae tamen postrema in mulieribus praetermittitur. Quibusdam etiam in Ecclesiis fit unctio in capite, vel in pectore, qua in re unusquisque minister Ecclesiae suae ritus servare debet. Quod si infirmus mutilus sit, pars inungitur proxima illi sensui, qui deest. Ceterum statuunt Rituales libri, ut si infirmus jam jam moriturus sit, vel ejus morbus talis, ut contagione inficere possit, una fiat unctio in capite.

PROPOSITIO III.

Dogma fidei est, formam extremae unctionis, deprecationis modo prolatam, esse legitimam, et convenientem: verosimilius autem est, solam deprecandi formam esse legitimam.

Prob. 1a. *pars.* 1.° Jacobus Apostolus non aliam designat hujus Sacramenti formam, quam orationem *Oratio*, inquit, *fidei solvabit infirmum.* 2.° Ecclesia tum Latina, tum Graeca omnibus retro saeculis tali forma usa est, ut patet ex Ritualibus Latinis, et Graecorum *Euchologiis*, quae licet variam habeant formam quoad verba, saepe tamen non discordant a forma Latinorum, quae hujusmodi est ex Eugenio IV. et Tridentino: *Per istam Sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum etc.* 3.° Per hanc formam satis apte explicatur Sacramenti effectus. Ergo merito Tridentinum *Sess. XIV. de extrem. unct. can.* 4. definivit. *Si quis dixerit, extremae unctionis ritum, et usum, quem observat S. Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Jacobi Apostoli; ideoque eum mutandam, posseque a Christianis absque peccato contemni, anathema sit.*

Prob. 2a. *pars.* quae ad fidem non pertinet, cum veteres Theologi tam ante Tridentinum, ut *Albertus M. Richardus. Paludanus*; tum post Tridentinum, ut

ut *Navarrus*, et *Becanus* putent, indicativam formam valere. Probatur, inquam, tum ex *Jacobi* verbis: *Oratio fidei salvabit infirmum*, tum ex universalis Ecclesiae traditione, quae nunquam adhuc aliam formam, nisi deprecationem adhibuit, ac proinde verosimilius est, eam solam esse legitimam. Quamvis autem laudet *Paludanus* formam *Ambrosianam*, quae sic habet; *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* similesque formas aliarum Ecclesiarum Germaniae laudet *Albertus M.* nihil tamen id sententiae nostrae incommodat; tum quia singularium Ecclesiarum ritus contra universalis Ecclesiae usum praevalere nequit; tum quia in illis ipsis formulis, quae objiciuntur, subnectitur formula deprecationis, ut observat S. Thomas 3. *P. Suppl. Q. XXIX. art.* 8. *ad* 3. ut *ex gr.* in *Ambrosiana* subjungitur; *ut more militis uncti praeparatus ad certamen, possis aereas potestates superare* (*a*).

Dices. In Sacramentis, quorum forma est indicativa, valet etiam forma deprecationis. Ergo in hoc Sacramento, cujus forma est deprecatio, valet etiam indicativa.

℟. *Neg. cons. et parit.* Nam in illis Sacramentis utramque formam probavit Ecclesia. At in hoc nullum proferri potest vetustatis exemplum, quo ostendatur, Ecclesiam probasse formam indicativam.

CAP. III.

De ministro Extremae unctionis.

Adv. Cum Novatores unctionem a *Jacobo* commendatam non fuisse sacramentum, contendant, sed modum restituendae infirmo sanitatis; ajunt, *Presbyteros* ab Apostolo commemoratos, non fuisse sacerdotes, sed seniores, vel optimates. Ita Calvinus *lib.* IV. *Instit. Cap.* 19. Contra quem errorem dicimus:

PRO-

(a) Pari ratione responderi potest ad ea, quae *Menardus*, *Morinus*, *Launoyus* monumenta congerunt, ut probent, olim in Latina Ecclesia *indicativam* adhibitam fuisse formulam.

PROPOSITIO.

Dogma fidei est, solum sacerdotem esse ministrum Sacramenti extremae unctionis.

Prob. Apostolus *Jacobus* solos nominat Presbyteros unctionis extremae ministros. *Inducat*, inquit, *presbyteros Ecclesiae*. Atqui ibi presbyteri intelligendi sunt Sacerdotes: 1.° quia Sacerdotes in Scripturis presbyteri vocantur, ut *I. Pet. V.* 1. *Seniores* (πρεσβυτερους), *qui in vobis sunt, obsecro ego consenior* (συμπρεσβυτερος); et I. Tim. IV. 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* 2.° quia ita semper intellexit Traditio S. Patrum, quos supra citavimus, ut *Origenes*, *Innocentius I.* aliique. Hinc Tridentinum *Sess XIV. de Extr. Unct. can.* 4.) *Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium Extremae unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

Scholion.

I. Etsi quilibet Sacerdos valide potest Extremam unctionem conferre; non licet tamen id ministerium usurpare, nisi ei, qui ordinariam, vel delegatam habet jurisdictionem: imo in *Clementina I. de privilegiis*, excommunicatione plectuntur *Regulares*, si sine venia proprii Sacerdotis, sive parochi, hoc sacramentum ministrare audeant. Quod tamen intelligendum est, excepta necessitatis causa, ut contra *Navarrum* omnes docent Theologi. Quin *S. Carolus* in synodo V. Mediolanensi expresse cavit, ut si Parochus impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat, Sacerdos alius (quisquis ille sit) hoc sacramentum administret.

II.

II. Quamvis idem Jacobus Apostolus plurali numero *presbyteros* ad inungendum aegrotum vocari jubeat, imo et in Graeca Ecclesia septem simul presbyteri advocentur, et inungant; certum tamen est, unum sufficere; cum *Innocentius I.* in laudata Epistola ad *Decentium* declaret, posse hoc sacramentum per ipsum Episcopum ministrari. Idque declaravit Alexander III. *Cap. Quaesivit: De Verb. signif.* et confirmat Ecclesiae Latinae praxis; imo verisimile est, olim etiam in Ecclesia Graeca ex pluribus presbiteris unum tantum ministrasse sacramentum, reliquos adfuisse ad preces pro infirmo fundendas. Pluralis autem numerus saepe in Scripturis pro singulari ponitur, ut observat Augustinus *Lib. III. de cons. Evang. Cap.* 16. imo et nos communi usu loquendi dicimus: aegrotus consulat medicos, licet unum vocasse sufficiat.

C A P. IV.

De Subjecto, et necessitate Extremae Unctionis.

Adv. **GRaeci Sacramentum hoc omnibus poenitentibus, etiam sanis administrant, ut patet ex eorum *Euchologiis*; Latini solis infirmis, ut constat ex *Decreto Eugenii* IV. Tridentino, et Ritualibus libris. Quorum praxis Scripturae, et Traditioni sit congruentior, quaeritur; item quae dispositiones in *subjecto* requirantur; quanta sit extremae unctionis necessitas.**

PRO-

PROPOSITIO

Etsi Graecorum praxis non est Scripturae, aut traditioni aperte contraria, eis tamen congruentior est praxis Latinorum.

Prob. 1a. pars. Apostolus, et Patres, qui de hoc Sacramento mentionem faciunt, docent quidem, illud ministrandum infirmis, sed sanos aperte non excludunt. Ergo Graecorum praxis non est Scripturae, aut traditioni aperte contraria.

Prob. 2a. pars. Apostolus solos commemorat infirmos: *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis?* neque ullum ex veteribus Ecclesiae Patribus laudare possunt Graeci, qui hoc Saramentum sanis ministrandum dixerit, cum contra vetustissimi quique doceant, ministrandum infirmis. Ergo praxis Latinorum Scripturae, et Traditioni congruentior est. Ceterum unusquisque Ecclesiae suae consuetudinem sequatur.

Corol. Ergo ministrandum non est in Latina Ecclesia Sacramentum hoc nec reis ultimo supplicio damnatis, nec militibus mox conflicturis, nec navigantibus imminente naufragio; nec mulieribus parturientibus. E contrario senibus, etsi febre non laborantibus, ministrari potest, cum ipsa senectus infirmitas sit, ut statuit Concilium Mediolanense IV.

PROPOSITIO II.

Licet in subjecto extremae unctionis necessaria sit gratia sanctificans, saltem attritio, non debet tamen minister exigere, ut infirmus vel sacramentum petat vel ostendat signa contritionis, vel ad ultimum pervenerit vitae spiritum, sed satis est si fuerit baptizatus, capax rationis ante morbum.

Prob. 1a pars. Extrema unctio est sacramentum vivorum, non primario institutum ad delenda peccata lethalia, ut infra dicemus; alioquin non esset Sacramentum poenitentiae necessarium *necessitate medii.* Er-

Ergo requirit in subjecto statum gratiae sanctificantis, ac proinde extremae unctioni praeire debet sacramentum poenitentiae, cujus hoc veluti perfectio est, et complementum.

Prob. 2a. *pars.*, sufficere scilicet saltem attritionem: Nam per sacramentum hoc, si in peccatis sit infirmus, dimittentur ei; atqui non potest dimitti peccatum, sine aliqua contritione saltem imperfecta, sive attritione. Ergo etc.

Prob. 3a. *pars.* Qui jam baptismum suscepit, praesumitur saltem habituali voluntate suscipere velle sacramenta, quae Christus ad ejus salutem instituit, et si nulla det signa contritionis, modo non sit in ipso peccati actu, praesumi potest, aliquam habere de peccatis saltem attritionem. Ergo etc.

Prob. 4a. *pars.* Optat Ecclesia, ut extrema unctio ministretur iis, qui, majorem ex ea fructum referre possunt, hoc est aliquem habere pietatis, et contritionis sensum, et convalescere etiam ab infirmitate, si expediat. Atqui tales non sunt, qui jam ad extremam vitae metam pervenerunt. Hinc *Eugenius IV.* et Tridentinum non ajunt, Sacramentum hoc ministrandum moribundis, qui jam agunt animam, sed iis, de quorum morte timetur; et Concilium Mediolanense I. statuit; *Sacramentum extremae unctionis curet Parochus, ut aegroto conferat dum integris est sensibus.* Sed partim incuria Pastorum, partim falsa pietate consaguineorum infirmi, differtur saepe sacramentum ad ultimum vitae spiritum, ex quo occasio offertur haereticis Ecclesiam calumniandi, quasi contra *Jacobi* Apostoli praeceptum non infirmos, sed semimortua cadavera inungat.

Prob. 5a. *pars.* Nam qui baptizatus non est, nullius est sacramenti capax: qui vero nondum usum rationis habuit, nondum est capax peccati, ad cujus delendas reliquias primario institutum est sacramentum. Ubi autem primarius hic effectus expectari non potest, ne ob secundarium quidem, nempe corporis sanitatem, ministrari debet; tunc enim unicus, qui a sacramento expectaretur effectus, esset temporale bonum.

Q.

Q. I. Utrum Sacramentum extremae unctionis ministrari debeat ante, vel post viaticum.

℟. In Ecclesia quidem Graeca semper ante viaticum ministratur, ut patet ex Graecorum *Euchologiis*. Idem olim viguit in Ecclesia Latina, ut patet ex Yvone Carnotensi *Decr. P. XV. Cap.* 26. aliisque monumentis, quae collegit *Launoyus*, singulari *Dissertatione*, Martene *lib. X. Cap.* 7. aliique. Quae quidem disciplina laudanda est cum Extrema unctio sit veluti consummatio, et perfectio sacramenti poenitentiae, ideoque abstergens peccatorum reliquias, animum reddit Eucharistiae accipiendae paratiorem. Ceterum cum consuetudo hodie contraria variis in Ecclesiis invaluerit ex falsa eorum opinione, qui putant, eos, qui extrema unctione muniuntur, jam esse deploratos; unusquisque ritus Ecclesiae suae sequatur.

Q. II. *Utrum hoc Sacramentum iterari possit.*

℟. Tridentinum ita declaravit *Sess. XIV. de extr. unct. Cap.* 3. *Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.* Contraria ergo sententia nonnullorum veterum, quos confutavit Petrus Cluniacensis *Lib. V. Ep.* 7. nullo nititur fundamento, nam cum *Jacobus* pronunciet: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros etc.* profecto quoties quis infirmatur, toties hoc Sacramento adjuvari potest, cum praesertim non imprimat characterem, et passim ex consuetudine Ecclesiae iteretur, non quidem in eadem infirmitate, sed in nova.

PRO-

PROPOSITIO

Etsi Sacramentum Extremae unctionis non est absolute necessarium necessitate medii; est tamen necessarium ex praecepto divino, et Ecclesiastico

Prob. 1a. *pars.* Posset homo absolute salvus fieri per poenitentiam. Ergo Sacramentum extremae unctionis non est necessarium *necessitate medii.* Dixi autem *absolute*, quia si cui non posset aliud ministrari sacramentum, quales sunt in sententia Thomistarum, qui repentino morbo correpti nulla edunt signa contritionis, ei sacramentum extremae unctionis necessarium esset *necessitate medii.*

Prob. 2a. *pars.* De praecepto divino constat ex verbis *Jacobi. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros etc.* ex quibus concludit Tridentinum *Sess. XIV. de Extr. unct. Cap.* 3. hujus Sacramenti ministrationem esse *mandatum Dei*: et *Can.* 3. anathemate percellit eos, qui dixerint, hoc sacramentum a Christianis *absque peccato contemni.* Contemnit autem, qui cum possit suscipere, negligit. De praecepto autem Ecclesiastico res est manifesta ex omnibus Ritualibus Libris, et synodis Dioecesanis, in quibus hoc Sacramentum ministrare jubentur Parochi.

CAP. V.

De effectibus hujus Sacramenti.

Adv. I. Tres hujus sacramenti effectus *Jacobus* enumerat, 1.° oratio fidei salvabit infirmum. 2.° alleviabit eum dominus. 3.° si in peccatis sit, dimittentur ei. Esse autem in peccatis duplici ratione potest intelligi, nempe vel esse adhuc in statu peccati, sive lethalis, sive venialis, vel deleto per poenitentiam peccato conflictari adhuc cum peccatorum reliquiis, sicut in morbis corporeis accidit infirmis, mox ab aegritudine convalescentibus. Sunt autem reliquiae peccatorum inclinatio in malum, torpor, et hebetudo in bono. S. Tho-

mas *Lib. IV. cont. Gent. Cap.* 73. aliique post eum Theologi addunt etiam inter peccatorum reliquias reatum poenae temporalis post poenitentiam expungendum.

II. Cum ergo Apostolus affirmet, dimitti per hoc sacramentum peccata, utrumque dimitti intelligendum est, reliquias scilicet peccatorum, et ipsa peccata, si adhuc maneant. Quod cum non possit fieri sine gratiae sanctificantis infusione; hinc Theologi post Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 2. quinque recensent sacramenti hujus effectus: prior est gratia sanctificans, ex qua cetera fluunt: alter est abstersio reliquiarum peccati: tertius remissio peccatorum sive lethalium, sive venialium; quartus alleviatio infirmi, ut patienter, ac levius ferat morbi incommoda, mortisque imminentis terrores, magnam divinae misericordiae fiduciam concipiat, et facilius resistat tentationibus diaboli, quae proprie videtur esse extremae unctionis gratia *sacramentalis*; quintus sanitas corporis, si expediat.

III. Sed disputatur inter Theologos, utrum peccata sive lethalia, sive venialia hoc sacramento dimittantur *per se*, sive ex ipsius Christi institutione, an *per accidens*, sicut aliquando sacramenta vivorum *per accidens* primam gratiam conferunt. Nam Dominicus Soto *in IV. Dist. XXIII Q.* 1. *art.* 2. putat, tantum peccati reliquias dimitti per se: peccata vero ipsa *per accidens*: Estius *in VI. Dist. XXII.* §. 4. peccata venialia per se, lethalia per accidens: *Bellarminus*, *Maldonatus*, *Tournely*, *Habert*, aliique peccata omnia, et eorum reliquias, per se dimitti docent, sed reliquias quidem peccatorum primario, peccata vero secundario; aliud est enim dimitti secundario, aliud per accidens. Haec sententia nobis verisimilior est.

PROPOSITIO.

Verisimilius est, Extremam unctionem per se primariò quidem abstergere peccatorum reliquias, et alleviare infirmum, secundario vero delere peccata tum lethalia, tum venialia, et sanitatem corporis afferre.

Prob. 1a. pars. Patres tum Graeci, tum Latini hoc Sacramentum appellant perfectionem, complementum, consummationem sacramenti poenitentiae. Atqui non alio modo potest Sacramentum poenitentiae perficere, nisi abstergendo peccatorum reliquias, quae post Sacramentum illud remanserant, et novum robur, firmiusque auxilium praebendo ad superandas tentationes longe graviores in vitae exitu imminentes, quam illae, quae passim post sacramentum poenitentiae occurrunt, quibus superandis satis homini prospectum est per gratiam poenitentiae *sacramentalem*. Ergo Sacramentum extremae unctionis per se primario institutum est ad abstergendas peccatorum reliquias, et alleviandum infirmum.

Prob. 2a. pars, peccata scilicet tum lethalia, tum venialia per se hoc sacramentum dimittere. 1.° Jacobus sine ullâ distinctione, aut exceptione ait: *si in peccatis sit dimittentur ei*; atqui hoc non magis de peccatorum reliquiis, ac peccatis venialibus, quam de lethalibus intelligendum est; nam si de solis peccatorum reliquiis, aut venialibus maculis, loqui voluisset Apostolus, non illam addidisset conditionalem particulam *si in peccatis sit*; constat enim, fideles omnes quantumvis justos aliquas habere vel veniales maculas vel lethalium reliquias. *Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* I. Joan. I. 8. ut in Tractatu superiori ostendimus. 2.° Ipsa Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*; non minus peccata ipsa, quam peccatorum reliquias designat. Atqui Sacramenta per se operantur quod significatur per formam. Ergo etc.

Prob. 3a. pars, nempe peccata ipsa secundario per hoc sacramentum deleri. 1.° Verba illa Apostoli con-

di-

ditionalia, *si in peccatis sit*, *dimittentur ei*, satis ostendunt, non esse primarium sacramenti hujus effectum peccatorum remissionem 2.° Extrema unctio primario sacramentum vivorum est, ac proinde animam jam gratia Dei viventem, solaque indigentem curatione supponit. 3.° Si Extrema unctio primario ad peccata lethalia delenda instituta esset, non esset Sacramentum Poenitentiae necessarium *necessitate medii* iis, qui post Baptismum lapsi sunt, ita ut etiam in Extrema unctione, qui in peccato mortali est, votum poenitentiae habere debeat.

Denique salutem corporis, si expediat, secundarium esse hujus Sacramenti effectum, patet, tum quia non semper expedit, tum quia sacramenta primario ad spiritualia, non ad temporalia bona adipiscenda instituta sunt.

Ceterum qui sint primarii, qui secundarii effectus, non magni interest. Illud tamen maximopere curandum. ut per idoneas dispositiones, omnes effectus, sive primarii illi sint, sive secundarii, consequamur. Quos quidem effectus Pastores, quanta maxima poterunt diligentia, populum edocere studeant, ut eum a falsa illa, et impia opinione abducant, qua sibi persuadent, sacramentum hoc esse certissimum mortis nuntium; ideoque praestantissimum divinae largitatis, et misericordiae donum maxime refugiunt, et perhorrescunt. Jam de ceremoniis hujus sacramenti dicere, supervacaneum est, cum unusquisque Ecclesiae suae ritus diligenter servare debeat.

PARS VII.

DE SACRAMENTO ORDINATIONIS.

Si quis aliorum Sacramentorum naturam, et rationem consideraverit, facile perspiciet, ea omnia ab ordinis sacramento ita pendere, ut sine illo partim confici, et administrari nullo modo queant, partim sollemni ceremonia, ac religioso quodam ritu, ac cultu carere videantur, verba sunt *Catechismi Romani.* Est igitur ordinis, sive ordinationis Sacramentum veluti totius Ecclesiae caput, ac radix, quo ablato, perire illam necesse sit. Quamvis autem non possint sine prolixiori disputatione explicari ea omnia, quae ad hoc Sacramentum pertinent, ne tamen institutae brevitatis limites praetergrediamur, quae maxime scitu necessaria sunt, capitibus absolvemus septem; 1.° de ipsa Ordinis natura, hoc est utrum sit verum, ac proprium Sacramentum novae legis. 2.° de variis ordinibus. 3.° de singulorum ordinum materia, ac forma. 4.° de ejus ministro. 5.° de subjecto, et requisitis in eo dispositionibus. 6.° de effectibus. 7.° de irregularitatibus, quae ab ordinibus prohibent.

CAP. I.

De ipsa Ordinis natura, hoc est utrum sit verum novae legis Sacramentum.

Adv. I. Ordinis nomen proprie certum hominum statum designat, publicis muneribus obeundis destinatum. Sed apud Theologos ordo significat actionem ipsam sacram, qua quis ad Eucharistiam consecrandum, aliave sacra religionis munia rite obeunda destinatur, ideoque melius ordinatio, quam ordo diceretur, nisi receptum jam usu nomen satius esset retinere. Sic autem definiri potest: *Ritus sacer, quo potestas spiritualis traditur ad Eucharistiam consecrandam, aliave religionis ministeria rite, et ex officio obeunda.* Et quia ritus hic prae-

praecipue in impositione manuum peragitur; ideo veteres ordinationem, manuum impositionem appellarunt. Ii autem, qui hoc Sacramento initiantur, vocantur *Ecclesiastici*, et *Clerici*. Ecclesiastici quidem, non quia ceteri Ecclesiae membra non sunt, sed quia ipsi prae ceteris ad publica Ecclesiae munera ordinati, Clerici vero, quia ipsi sunt praecipua Domini hereditas, et Dominus hereditas illorum est.

II. *Lutherus* ex albo Sacramentorum expunxit ordinem *Lib. de Captivit. Babyl.* Sibi quippe augurabatur, ut *si rueret hoc Sacramentum, vix subsisteret Papatus.*

Concinit Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap.* 18. duo tantum agnoscens Sacramenta *Baptismum*, et *Coenam*, licet *Cap.* 19. §. 28. ordinationem aliquo pacto videatur agnoscere. Ceterum concedunt, Novatores, non quemlibet e populo sacra ministeria attrectare posse, sed eos, qui rite a plebe ad id officii destinati sunt, quam quidem destinationem improprie appellari posse sacramentum, concedunt, sacram scilicet ceremoniam ab Ecclesia institutam, nullamque adnexam habentem gratiae, aut characteris promissionem.

III. Ex quo inferunt, nullum esse inter Clericos, et laicos discrimen, ita ut qui hodie est Clericus, aut Episcopus, cras laicus fieri possit, et qui hodie laicus, cras Sacerdos, si ita Populo placuerit, penes quem, ut ipsi ajunt, sacra potestas est. Ita docent Lutherus *Lib. de abrog. Miss.* et Calvinus *Lib. IV. Instit. cap.* 4. Qua in re veteres haereticos sunt secuti, de quibus Tertullianus *Lib. de Praescript. Cap.* 41 graphice pingens nostri temporis haereticos, ait: *Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes: nunc Neophytos collocant, nunc saeculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus, nam laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Eundem errorem ante *Lutherum* docuisse Wicleffum, auctor est Thomas Waldensis *Tom. III. de Sacram. Cap.* 7. quem errorem primum omnium oportet evertamus. Sed cum ordines plures sint, majores, et mino-

res, nec singuli, nostra quidem sententia, sacramenta sint, satis est contra Novatores ostendere, aliquem saltem ex ordinibus esse sacramentum:

PROPOSITIO.

Ordo, saltem aliquis, est verum, et proprium novae Legis Sacramentum. Est dogma fidei.

Prob. I. ex Script. Ad sacramentum tria sunt necessaria, et sufficiunt, fatentibus adversariis; signum externum, promissio gratiae, et institutio divina. Atqui tria haec in ordine sunt; ait enim Apostolus *II. Tim. I.* 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum, mearum*, et *I. Tim. IV.* 14. *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Ubi manifeste habes signum externum, manuum scilicet impositionem, infusionem gratiae, et ex consequenti institutionem divinam: neque enim Apostoli sine Christi institutione poterant gratiam signis externis illigare. Ergo etc. Sed quia Novatores laudata Apostoli verba sane luce clariora conantur in alienos sensus detorquere,

Prob. II. ex Traditione. 1.° Augustinus *Lib. II. cont. Epist. Parmen. Cap.* 13: *Explicent*, inquit, *quomodo sacramentum baptizati non possit amitti, et sacramentum ordinati possit amitti; si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri Sacramento injuria facienda est.* Ubi vides, *Augustinum* affirmare, ordinem esse Sacramentum ejusdem rationis, ac ipse Baptismus, idque adeo esse exploratum non modo apud Catholicos, sed et apud haereticos, contra quos disputat, ut de eo nemo dubitare possit. 2.° Leo M. *Ep. LXXXI. ad Dioscor. Alex.* ostendit; ordinationem nonnisi a jejunis dandam, et accipiendam; *Ut intelligamus*, ait, *quanta et accipientium devotione curandum sit, ne tantae benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum* 3.° Gregorius M. vel alius auctor *Lib. IV. in Lib. I. Reg. Cap.* 5. *Qui promovetur* (ad Sacerdotium) *bene foris*

ungitur, *si intus virtute Sacramenti roboretur.* Ex quibus, aliisque testimoniis mirari subit, qua fronte Lutherus *Lib: de Capt. Babyl.* mentiatur, unum posse laudari ex veteribus *Dionysium*, qui ordinem nomine Sacramenti donaverit.

Quapropter recte Tridentina Synodus *Sess. XXIII. can.* 3. decrevit: *Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum; vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum, anathema sit.*

Objecta diluuntur.

Objic. I. Ex citato Apostoli loco *ad Timotheum* non potest concludi, per impositionem manuum praeberi gratiam initiatis. Nam in Graeco habetur χαρισμα: Atqui charisma in Novo testamento est gratia *gratis data*, nempe virtus patrandi miracula, idque videtur intelligendum tum ex verbis Apostoli *I. Tim. IV.* 14. ubi ait, datam esse Timotheo gratiam *per prophetiam*, hoc est ad prophetandum, tum ex Hieronymo (*Comment. in h. I.*) ubi gratiam illam interpretatur donum explicandi scripturas, et *Chrysostomo*, qui interpretatur potestatem docendi: et praedicandi Quae quidem gratia *gratis data* Timotheo fuit per impositionem manuum, quia hic ritus erat apud Hebraeos, imo et apud Gentiles communis suffragium dandi per χειροτονιαν, sive manus elevationem; unde suffragium orationum suarum ad Deum pro aliquo dabant Apostoli juxta morem Hebraeorum cum manuum elevatione super eum, pro quo orabant. Ergo etc.

℟. *Transeat ant.* quod ipsos confodit adversarios, qui solam scripturam volunt esse fidei regulam ubique claram, non vero catholicos, qui quod siletur, aut obscurius dicitur in Scripturis, ex Traditione demonstrant. *Ad confirm. Dist. min. Charisma* in Novo Testamento significat gratiam gratis datam aliquando, *conc.* Semper, et praecipue, *neg.* Ipse enim Apostolus *I Cor. XII.* 31. vocat charitatem, sive gratiam sanctifi-

cam-

cantem *Charisma* melius, et excellentius omnibus gratiis *gratis datis*. Quod autem in hoc Apostoli loco gratia sanctificans, et *Sacramentalis* intelligenda sit vel inde liquet, quod gratiae *gratis datae* passim tunc fidelibus tribuebantur, ut constat ex eodem Apostolo *I. Cor. XII.* ac proinde non fuisset aliquid Timotheo singulare privilegium quod Apostolus commendat. Porro gratia illa data dicitur non *ad prophetiam*, ut inepte exponunt adversarii, sed per *prophetiam praecedentem*, ut ipse Apostolus explicat *I. Tim. I.* 18. sive per divinam revelationem, qua electus est Timotheus ad munus Episcopale, sicut ipse Paulus, et Barnabas per prophetiam electi fuerant ad munus Apostolicum *Act. XIII.* 2. *Hieronymus* vero, et *Chrysostomus* asserentes, Timotheo datam fuisse in ordinatione potestatem docendi, praedicandi, exponendi scripturas, non negant, datum fuisse Sacramentum, ex quo potestas illa, et dona fluxerunt. Denique sicut Christus Baptismum, qui apud Hebraeos frequentissimus erat, ad dignitatem Sacramenti elevavit, ita impositionem manuum, quam fatemur olim fuisse ab Hebraeis usurpatam, evexit ad Sacramentum Confirmationis, et Ordinis.

Objic. II. Ipsi Apostoli sine Sacramento facti sunt sacerdotes novi Testamenti, ut docent catholici. Ergo et ipsi alios sine Sacramento ad sacra munia obeunda destinarunt.

℟. *Neg. cons.* Christus enim, ut diximus, ex potestate *excellentiae*, quam in Sacramenta habuit, potuit sine exteriori signo gratiam Sacramenti tribuere; quod quidem Apostolis negatum est.

Objic. III. Petrus Apostolus *I. Pet. II.* 9. fideles omnes vocat *regale sacerdotium*, quod et confirmat Joannes *Apoc. I.* 6. dicens: *Fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo.* Unde Tertullianus *Lib. de Exhort. ad Castit.* ait: *Nonne et Laici Sacerdotes sumus?* Ergo sacra potestas toti fidelium congregationi data est a Christo; quam tamen, ne oriatur confusio, transferunt in unum per manuum impositionem. Hinc videmus, Mathiam *Act. I.* 23. omnium suffragio electum cum *Josepho Barsaba*, ut Judae proditori succederet, inter quos utpote dignitate pares, sors deinde (quaecumque illa fuerit) pro Ma-

thia

thia stetit. Mox Diaconos septem totius plebis suffragia elegerunt *Act. VI.* 5. Qui quidem mos eligendi Sacros ministros communi Cleri, et populi suffragio pluribus saeculis valuit, ut Natalis Alex. *Dissert. VIII. saec. I. prop.* 2. aliique ostendunt viri eruditi. Ergo ordinatio non est Sacramentum, sed sollemnis ceremonia; per quam universa Ecclesiae congregatio transfert in unum vel totam, vel ex parte sacrorum potestatem.

℟. *Dist. ant.* Petrus, et Joannes vocant fideles omnes *Sacerdotes* latiori significatione, sicut etiam latiori sensu dicuntur Reges, *conc.* Strictiori, et propria hujus nominis significatione, *neg.* Quoniam sacrificii nomen, ut supra observavimus, aliquando latius, et improprie accipitur, sicut cum dicimus sacrificium laudis, contriti cordis, bonorum operum, fit hinc, ut quicumque haec sacrificia impropria offerre valent, improprie sacerdotes appellentur. Unde explicans Petrus, quo sensu fideles omnes dixerit Sacerdotes, subjungit; *offerre Deo spiritales hostias.* Sic et improprie fideles dicuntur Reges, quatenus terrenis affectibus dominantur. Quod autem populus aliquando suffragium tulit in electione ministrorum, non probat, ordinationem non esse Sacramentum; distinguenda enim est electio ab ordinatione. In illa Clerus, et populus aliquando jus habuit ex concessione Apostolorum, et Episcoporum, ut suavius esset regimen: nec tamen id semper servatum est, cum Apostoli, inaudita plebe, Episcopos consecraverint. In ordinatione vero non modo jus nullum umquam habuit plebs; sed nec ipsi Presbyteri, juxta illud celebre Hieronymi dictum *Epist. LXXXV. ad Evagr. Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod non facit et Presbyter?* Sic videmus *Act. VI.* 6. fideles elegisse Diaconos; Apostolos vero illos ordinasse per manuum impositionem.

Inst. Subdit Tertullianus (*loc. cit.*) *Differentiam inter ordinem, et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo.* Ergo ex sola Ecclesiae institutione repetenda est differentia inter clerum, et populum; non a Sacramento divinitus instituto.

℟. *Neg. cons.* *Tertullianus* enim ait, duabus ex causis

sis oriri differentiam inter clericos, et plebem, nempe ex auctoritate Ecclesiae, quae illos eligit, et ex honore sanctificato a Deo, nempe ex sacramento, quo consecrantur. Porro ex cooptatione laicorum in clerum, quae fit auctoritate Ecclesiae, perperam deducit Montanistarum errorem, quo ipse laborabat, nempe quod si Clerici fatentibus catholicis bigami esse non possunt; ergo nec laici, quia ex laicis eliguntur Clerici; qua in re inepte (ut saepe alias) argumentatur.

C A P. II.

De variis ordinibus.

Adv. I. Lutherani, et Calvinistae multiplicem ordinum numerum damnant, et irrident, quam insolentiam Concilium Tridentinum damnavit *Sess. XXIII. Cap.* 2. his verbis: *Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione varii essent ministeriorum ordines, qui Sacerdotio ex afficio deservirent*: Et *Can.* 2. *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines majores, et minores, per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

II. *Acrius* IV. saeculo Episcopatum ambiens, passus repulsam, docuit, Episcopos Presbyteris pares esse, ut testantur Augustinus *Lib. de haeres.* et Epiphanius *Haeres. LXXV.* In eumdem errorem impegit *Wicleffus*, teste Thoma Waldensi *Lib. II. art. III. Cap.* 60. et Calvinus *Lib. IV. Instit. Cap.* 4. quem errorem magno molimine adstruere conati sunt Salmasius *Praef. ad Lib. de Primatu Papae*, et *Dissert. de Episc. et Presbyt.* Blondellus *Apolog. pro senten. Hieronymi de Episc. et Presb.* Dallaeus *Lib. de Script. Dionys. et Ignat.* Buddeus *Exercit. de Orig. et Potest. Episc.*

III. Sed disputatur inter catholicos 1.° quot sint ordines; Concilium enim Tridentinum *Sess. XXIII. Cap.* 2. declaravit quidem, esse in Ecclesia septem ordines, *Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Acolythatum*,

thatum, Exorcistatum, Lectoratum, et Ostiariatum, sed non definivit, non esse plures quam septem. Hinc nonnulli Episcopatum volunt esse ordinem a Presbyteratu distinctum, alii negant. Item nonnulli censent, primam tonsuram non esse ordinem, alii affirmant. E contrario Graeci praeter majores ordines solum agnoscunt *Lectoratum*. 2.° quaeritur, utrum singuli ordines sint sacramenta. 3.° Cur tres primi ordines *Presbyteratus*, *Diaconatus*, et *Subdiaconatus* dicantur non solum majores, sed etiam sacri.

PROPOSITIO I.

Dogma fidei est, esse plures ordines in Ecclesia catholica. In Ecclesia autem Latina sunt septem nempe Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus.

Prob. 1*a. pars.* ex Scripturis, et Traditione. Ex Scripturis quidem; nam constat ex Actibus Apostolorum, fuisse ab ineunte Ecclesiae aetate Presbyteros, et Diaconos: ex Traditione vero, nam in universa Ecclesia semper plures fuerunt ordines: ut mox ostendemus, nec id in Conciliis invenitur institutum. Unde juxta *Augustini* regulam ex Apostolica auctoritate traditum, rectissime creditur.

Prob. 2*a. pars.* Vetustissimi Ecclesiae Latinae Patres septem ordinum meminere, non quidem recens institutorum, sed jam a primis saeculis. Sic 1.° *Cornelius* Papa in Epistola ad *Fabium Antiochenum* (*ap. Euseb. Lib. VI. Hist. Cap.* 35.) *de Novato* loquens ait: *Is ergo qui Evangelium vindicabat, nesciebat, in Ecclesia unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos, Exorcistas, et Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos.* 2.° Concilium Carthaginense IV. cui etiam interfuit *Augustinus* eosdem ordines recenset. 3.° Tandem eosdem numerant *Eugenius IV.* et Tridentinum. Perpetua igitur Latinae Ecclesiae Traditio septem illos ordines servavit, et servat. Latinae in

inquam *Ecclesiae*; quia in Graeca varia fuit hac in re disciplina. Nam in Concilio quidem Laodicaeno *Can.* 24. praeter majores ordines recensentur *Lectores*, *Cantores*, *Exorcistae*, et *Ostiarii*: apud Epiphanium vero (*in Expos. fid.*) numerantur *Lectores*, *Exorcistae*, *linguarum interpretes*, *Laborantes*, *Ostiarii*, *et reliqui disciplinae causa ordines instituti*. Memorantur etiam saepe *Chorepiscopi*, *Periodeutae*, *Diaconissae*. Sed jam a mille, et amplius annis ab hac recesserunt disciplina, et quatuor tantum habent ordines, Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, et Lectoratum, ut videre est in eorum Euchologiis, in Actis Concilii VIII. *Act. IX. can.* 5. aliisque monumentis (*a*).

PROPOSITIO II.

Verisimilius est, Episcopatum esse ordinem a Presbyteratu distinctum.

Prob. Ubi distincta est materia, forma, et potestas, ibi distinctus est ordo. Atqui in Episcopatu est distincta materia, nempe nova manus impositio, distincta forma, nempe alia, et quidem diversa oratio ab ea, qua Sacerdos inauguratur; denique distincta potestas, nempe ordinandi ministros, quae presbyteris in ordinatione non datur. Ergo.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. Concilium Tridentinum *Sess. XXIII. Cap.* 2. declaravit, septem esse Ordines. Atqui si Episcopatus ordo esset a Presbyteratu distinctus, jam non septem, sed octo essent ordines. Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Declaravit, septem esse ordines, damnans haereticos, qui minorem numerum, hoc est solum

(a) Vide de his omnibus Morinum in *Exercitationibus de Sacr. Ord.*, *Thomassinum De vet. et nov. Discipl. part. I.* Hallier *De Sacr. Elect. et ordin. Part. II.*

lum Presbyteratum agnoscebant, *conc.* Damnans catholicos, qui majorem numerum esse docent, *neg.* Patres ergo Tridentini non affirmant, ordines non esse plures quam septem, sicut loquuntur, cum docent, Sacramenta non plura, nec pauciora esse, quam septem, sed damnant tantummodo haereticos, qui septenarium illum ordinum numerum irridebant. Quaestionem autem inter Catholicos agitatam non attingunt. Sed etsi daremus, eam fuisse Patrum mentem, ordines scilicet non esse plures, quam septem, non inde sequeretur, Episcopatum non esse ordinem a Presbyteratu distinctum. Responderi enim posset, Presbyteratum esse unum ex septem ordinibus, qui tamquam genus duos sub se habet ordines, Episcopatum, et simplicem presbyteratum: sicut Ordo est unum ex septem Sacramentis, quod veluti genus plures sub se habet ordinum species.

Objic. II. Ordinum varietas, atque distinctio oritur ex varia eorum relatione ad Eucharistiam consecrandam. Sed Episcopatus, et Presbyteratus eandem habent relationem ad Eucharistiam, cum aeque eam consecret Episcopus, et Presbyter. Ergo.

℟. *Dist. maj.* Oritur ex varia relatione, quam habent sive *immediate*, sive *mediate* ad Eucharistiam, *conc.* Secus, *neg.* Quamvis ergo Episcopus, et presbyter *immediate* eandem habeant ad Eucharistiam conficiendam habitudinem; *mediate* tamen habent diversam, quia Episcopus ordinare potest ministros ad Eucharistiam consecrandam, iisque praescribere canones, quibus Eucharistiam consecrent, aut eos ab Eucharistia consecranda prohibere, quod simplices presbyteri non possunt.

Objic. III. Si Episcopatus ordo esset a Presbyteratu distinctus, posset aliquis non presbyter *valide* ordinari Episcopus, sicut posset aliquis non Diaconus *validè* presbyter ordinari. At falsum hoc. Ergo etc.

℟. *Neg. maj.* Christus enim voluit, ut nemo Episcopus esse posset, nisi presbyter; non instituit tamen ut nemo presbyter esse posset, nisi Diaconus: cujus discriminis ea ratio est, quod functiones Episcopales Sacerdotium necessario requirunt; quomodo enim ordinaret presbyteros ad Eucharistiam consecrandam, qui consecrandi potestatem ex Sacerdotio non haberet? at con-

tra

tra functiones Presbyteri non necessario Diaconatum requirunt.

Objic. IV. S. Thomas *in IV. Dist. XXIV. Q.* 3. *art.* 1. docet, Episcopatum nihil aliud esse, nisi extensionem characteris sacerdotalis ad alia munera, sive perfectionem Sacerdotii: quam sententiam *Magister sententiarum* tradiderat, aliique veteres Scholarum principes sunt secuti. Ergo etc.

R. *Neg. cons.* Non enim aliud ex priori propositione consequitur, nisi sententiam nostram non esse dogma fidei, quod ultro fatemur. Ceterum *S. Thomas* scripsit haec iunior, cum commentarios ederet in *Libros Sententiarum*.

PROPOSITIO III.

Dogma fidei est, Episcopos esse jure divino Presbyteris superiores et ordine, et jurisdictione.

Prob. I. Ii sunt jure divino presbyteris ordine, et jurisdictione superiores, qui soli possunt jure divino ipsos ordinare presbyteros, eosque regere, corrigere, deponere. Atqui soli Episcopi possunt presbyteros ordinare, regere, corrigere, deponere Nam 1.° Apostolus Tito Episicopo scribens ait: *hujus rei gratia reliqui te Cretae; ut constituas per civitates praesbyteros Tit. I. 5.* idemque monet Timotheum Episcopum, quo pacto gerere se debeat in corrigendis presbyteris; eisve judicandis, si quando fuerint accusati. 2° Episcopi succedunt Apostolis, ad quos sine dubio potestas ordinandi, regendi, aut puniendi presbyteros spectavit 3.° *Hieronymus*, quo auctore falso gloriantur haeretici, loquens ex communi totius Ecclesiae sensu *Epist. LXXXV. ad Evang. Quid facit*, inquit, *excepta ordinatione, Episcopus quod non facit et presbyter?* quibus verbis jus ordinandi, ac proinde etiam regendi, corrigendi, et puniendi presbyteros solis Episcopis asseruit. Aliorum vero Patrum innumera testimonia vide apud Petavium *Lib. de Eccelesiast. Hierarch. cont. Salmas.* Natalem Alex. *Dissert. XLIV. Saec. IV.* cont. *Blondellum*, Morinum *De Saer. Ordin. Part. III. Exercit.* 3. aliosque.

Prob.

Prob. *II.* Cum *Aerius IV.* Saeculo, iniquo animo ferens repultam Episcopatus, quem ambiebat, ausus est asserere, Episcopos presbyteris pares esse, tamquam haereticus, et quidem insani, et inauditi dogmatis fabricator, ab omnibus est habitus. Sic enim de illo scribit Epiphanius *Haeres. LXXV. Est illius dogma supra hominis captum furiosum, et immune; quanam, inquit, in re Presbyteros Episcopus antecellit? nullum inter utrumque discrimen. Est enim amborum unus ordo, par, et idem honor, et dignitas.* Ergo ex Ecclesiae universae sententia Episcopos presbyteris aequare, habitum est Saeculo IV. portentum haereseos.

Prob. Denique ex definitione Concilii Tridentini *Sess: XXIII. can.* 3. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem ordinandi, et confirmandi, aut eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.*

Scholion.

Aliud est quaerere, utrum Episcopi presbyteris sint majores, aliud, utrum haec excellentia ex jure divino, an Ecclesiastico descendat. Concilium quidem Tridentinum prius conceptis verbis definivit ut fidei dogma: posterius non ita perspicue. Nos utrumque conjunximus; quia ex Tridentini verbis videtur apertissimum. Nam 1.° si ex jure Ecclesiastico esset, non poterat, definiri ut fidei dogma, sed ut institutio disciplinae. 2.° Idem Concilium *Sess. XXIII. can.* 6. ait: *Si quis dixerit, non esse in Ecclesia Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constet ex Episcopis, presbyteris, et ministris, anathema sit*: ubi luculenter excellentiam Episcoporum supra Presbyteros *ex divina ordinatione* descendere, definivit. Ceterum non desunt Theologi, qui nostram sententiam non dogma fidei, sed proxime ad fidem accedere dicunt, ut Maldonatus *Tract. de Ord. Cap.* 8. vel tantummodo certam, et efficaciter deductam ex sacris litteris, ut Estius *in IV. Dist. XXIV.* §. 25. Sacra Parisiensis facultas anno 1564 contrariam doctrinam notavit, ut *falsam, et verbo Dei contrariam.*

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objic. I. Hieronymus *in Cap. I. Epist. ad Tit.* et *Epist. LXXXV. ad Evagr.* tria docet. 1.° In Scripturis eodem nomine appellari Episcopos, et Presbyteros, idque probat tum ex *Cap. XXII. Act. Apost.* ubi ait Lucas, Paulum misisse Ephesum, ut vocaret presbyteros Ecclesiae, eisque inter alia dixisse: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo*; tum ex *Cap. I. Epist. ad Philippenses*, ubi Paulus salutem dicit Ecclesiae Philippensium *cum Episcopis, et Diaconibus*. 2.° Cum omnes Presbyteri olim in communi Ecclesiam administrarent, ex occasione schismatis factum esse, *ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret*. 3.° Episcopos magis consuetudine, quam dispositionis Dominicae veritate Presbyteris esse majores et in communi debere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus praesse popolo Israel, sptuaginta elegit cum quibus populum judicaret. Ergo.

℟. *Neg. cons.* 1.° Quia etsi daremus, unum ex Patribus errasse ante Ecclesiae definitionem, id neque ejus doctrinae, aut sanctitati officeret, nec communi Ecclesiae universae Traditioni. 2.° Quia nec concedimus, *Hieronymum* favere adversariis, cum conceptis verbis affirmet, ordinationis potestatem unis datam esse Episcopis: *Quid facit*, inquit, *excepta ordinatione, Episcopus, quod non facit et presbyter?* Nihil aliud ergo sibi vult laudatis in locis, nisi primam Episcoporum electionem factam esse ab Apostolis ex occasione schismatum, sicut prima institutio Diaconorum facta est ex occasione murmuris Graecorum adversus Judaeos. Non negat ergo, Episcopos esse ex institutione divina Presbyteris majores, sed sicut Diaconi quamvis divinae institutionis sint, tamen nonnisi ex occasione murmurantium Graecorum primum electi sunt; ita Episcopi ex occasione schismatum; quae quidem sententia etsi *Hieronymo* singularis, non satis innixa Scripturis, neo

nec aliorum Patrum doctrinae consentanea, nihil adversariorum causam juvat.

Quod autem ait *Hieronymus*, Episcopos, et Presbyteros uno, eodemque nomine censeri in Scripturis, id verum est, si eo sensu intelligatur, quod Episcopi ibi aliquando *presbyteri* vocantur, cum ipse Apostolus Joannes *Epist. II. et III.* se *Presbyterum* nominet; sed non facile concedendum contrario sensu, nempe quod presbyteri in Scripturis vocantur Episcopi; quos enim alloquitur Paulus *Act. XX. et Philipp. I.* non presbyteri, sed veri nominis erant Episcopi vicinarum Ecclesiarum, ut post *Irenaeum*, viciniorem quam *Hieronymus* temporibus Apostolicis, multi docent. Vide *Duguetum* in *Dissertationibus.*

Subdit quidem, Episcopos cum Presbyteris debere communi consilio Ecclesiam regere, quod sapienter dictum est, sed exemplo Moysis, quem nemo negat, ex divina vocatione, et electione majorem fuisse septuaginta senioribus, quos in consortium regiminis vocavit.

Objic. II. Ultro concessimus supra, multos e veteribus Sholasticis putasse, Episcopatum non ordinem a Presbyteratu distinctum, sed extensionem quandam esse characteris Presbyteralis. Sed haec sententia parum abludit a doctrina adversariorum. Ergo, saltem ad fidem non pertinet, Episcopos esse jure divino presbyteris majores.

℟. *Neg. min.* Contendunt enim Sholastici, hanc extensionem characteris presbyteralis jure divino esse institutam, proinde, eos, in quibus haec extensio per ordinationem Episcopalem facta est, jure divino presbyteris antecellere.

PROPOSITIO IV.

Dogma fidei est, Presbyteratum esse Sacramentum, Diaconatum etiam Sacramentum esse, certum est, sed non ex fide At Subdiaconatum, et reliquos minore ordines non esse sacramenta videtur verisimilius, quamvis non desint satis graves pro affirmante sententia rationes.

Prob. 1a. *pars.* Ordinem esse Sacramentum, fide certum est, ut supra ostendimus. Ergo saltem in supremo ordine, nempe in presbyteratu, quatenus scilicet complectitur Episcopatum, et simplicem presbyteratum sacramenti ratio constare debet.

Prob. 2a. *pars.* In Diaconatu est signum sensibile, et largitio gratiae, ac proinde etiam divina institutio. Esse signum sensibile, manifestum est; Apostoli enim per manus impositionem primos Diaconos ordinarunt. *Orantes imposuerunt eis manus.* Quod autem non desit etiam gratiae infusio, patet ex forma ordinationis Diaconi; nempe *Accipe Spiritum Sanctum*; impium enim est asserere, Ecclesiam adhibere ludicram, et fallacem ceremoniam in re tam gravi, ac proinde tenendum est, Ecclesiam semper existimasse, in collatione Diaconatus infundi revera Spiritum Sanctum, et gratiam. Unde Concilium Tridentinum damnat eos, qui asserunt, Episcopum frustra dicere: *Accipe Spiritum Sanctum Sess. XXIII. can.* 4.

Quod autem hoc non sit dogma fidei, ex eo patet, quod Ecclesia numquam damnavit Theologos catholicos contrarium sentientes.

Prob. 3a. *pars.* contraria ratione. In ordinatione enim Subdiaconi, atque inferiorum ordinum non fit mentio infusionis gratiae. Ergo licet fateamur, hos ordines ab Apostolica traditione descendere, verisimilius tamen est, non esse sacramenta; neque enim omnia, quae Apostoli praeceperunt, sacramenta sunt, sed ea dumtaxat, quae sunt signa interioris gratiae a Christo instituta, et commendata ab Apostolis.

Prob. 4a. *pars.* scilicet satis gravibus rationibus etiam niti adversam sententiam. Nam 1.° *Eugenius IV.* (in

(in *Decreto*) ait: *Sextum Sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo . . . . . ut Sudiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, et similiter de aliis ordinibus per rerum ad sua ministeria pertinentium designationem*; ex quibus verbis videtur manifestum, sententiam *Eugenii* eam esse, nempe Subdiaconatum, et minores ordines esse sacramenta. 2.° Tridentinum generatim definit, ordinem, sive Sacram ordinationem esse Sacramentum; quae propositio indefinita videtur generalis, et complectens omnes ordines. 3.° Sanctus Thomas 3. *P. Suppl. Q. XXXVII. art.* 3. aperte docet, Subdiaconatum, et minores ordines esse Sacramenta. 4.° Ordines etiam minores numquam iterari possunt, ac proinde videntur characterem imprimere. Sed hae rationes contemnendae non videntur. Ergo gravibus rationum momentis nititur adversa sententia: nostra tamen verisimilior est.

PROPOSITIO V.

Prima tonsura ordo non est, sed Ecclesiastica ceremonia ad ordines disponens.

Prob. Omnis ordo aliquod habet adnexum officium, atque a Christo institutus est. Sed prima tonsura nullum habet adnexum officium circa corpus Christi sive *verum*, sive *mysticum*, ut patet, nec a Christo instituta est. Ergo etc. Si quando ergo in Jure Canonico prima tonsura vocatur *Ordo clericalis*, non est hoc nomen strictiori significatione intelligendum, sed latius pro statu Clericali, quo quis gaudet privilegio *Fori*, et *Canonis.*

Corollarium.

Quoniam gravibus nititur rationibus sententia affirmans, Sudiaconatum, et minores ordines esse Sacramenta, sequitur, graviter peccare eos, qui ordinibus illis in statu peccati mortalis initiantur, utpote exponentes se periculo suscipiendi Sacramenta vivorum in

peccato. Utrum autem peccent graviter, si in statu lethalis peccati ministrent in susceptis ordinibus, varia est sententia. Vide quae diximus *Part. I.*

Q. I. *Quare tres priores ordines sacri dicuntur?*

℟. Quamvis omnes ordines aliqua ratione sacri dici possent, cum ad sacrificium rite celebrandum omnes pro modo suo referantur; tamen priores duo, presbyteratus, et Diaconatus peculiari ratione sacri dicuntur, vel quia propius ad celebrandum sacrificium, et Christi Corpus in Eucharistia tangendum referuntur, ut putat *S. Thomas*, vel quia per quamdam consecrationem ministrantur, ut loquitur *Augustinus*; consecratur enim homo cum Presbyter, aut Diaconus ordinatur. At Subdiaconatus olim quidem inter ordines minores, et non sacros recensebatur; unde Saeculo XII. Magister Sententiarum *Lib. IV. Dist. XXIV.* duos tantum numerat sacros ordines Presbyteratum, et Diaconatum. At Saeculo XIII. Innocentius III. *Cap. I multis. De Ætat. et Qual. et ord. praefic.* et *Cap. Miramur. De servis non ordin.* Subdiaconatum in majores et sacros ordines retulit, cum jam pridem indicta subdiaconis esset continentiae lex, unde quodammodo rebus divinis consecrati sunt: et saeculo XI. Urbanus II. *Cap. Nullus 4. Dist. XV.* concessisset, quod antea vetabatur, ut in Episcopos eligi possent.

Q. II. *Quaenam sit singulorum ordinum natura, et definitio?*

℟. 1.° Episcopatus est Ordo sacer, quo per manuum impositionem a tribus Episcopis factam, sub certa verborum forma, traditur Presbytero potestas regendi Ecclesiam Dei.

2.° Presbyteratus est ordo sacer, quo per manus impositionem, et certam verborum formam, potestas traditur Eucharistiam conficiendi; et absolvendi a peccatis.

3.° Diaconatus est ordo sacer, quo per manus impositionem, sub praescripta forma verborum, potestas traditur legendi Evangelium, et Sacerdoti celebranti immediate adsistendi.

4.° Subdiaconatus est ordo sacer, quo per traditionem calicis, et patenae vacuae, cum certa verborum for-

forma potestas traditur inserviendi Diacono sollemniter ministranti, et legendi Epistolas in Ecclesia.

5.° Acolythatus est ordo minor, quo per traditionem ceroferarii, cerei extincti, et urceolorum vacuorum potestas traditur accendendi Ecclesiae luminaria, et parandi materiam vini, et aquae ad Eucharistiam consecrandam.

6.° Exorcistatus est ordo minor, quo per traditionem Libri *exorcismorum* cum adnexa verborum forma, potestas traditur daemones adjurandi, atque ejiciendi.

7.° Lectoratus est ordo minor; quo per traditionem Libri Lectionum, sub praescripta verborum forma, potestas traditur sacras lectiones recitandi in divinis officiis.

8.° Ostiariatus est ordo minor, quo per traditionem Clavium Ecclesiae, et adjuncta verba, potestas traditur aperiendi, et claudendi Ecclesiae januas, earumque habendi eorum, quae clavibus ipsis clauduntur.

C A P. III.

De materia, forma, et officiis singulorum ordinum.

Quoniam non omnes ordines eodem ritu, atque ob idem officium tribuuntur, operae pretium est, ut ritus, atque officium singulorum ordinum singillatim explicemus.

§. I.

De materia, forma, et officiis Episcopatus.

Adv. I. in ordinatione Episcopi tres Episcopi adesse debent, ex quibus unus tantum Episcopus *consecrator*, reliqui duo assistentes, unde si unus tantum Episcopus Episcopum ordinaret, *valida* quidem, quamvis illicita, consecratio esset, ut ostendit Benedictus XIV. *De Synodo Dioec. Lib. XIII. Cap.* 13.

II. Porro tres illi Episcopi quatuor hasce obeunt circa ordinandum Episcopum ceremonias quae in Pontificali Romano praecipiuntur. 1.° Tres Episcopi ambas ma-

manus ordinando imponunt, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum*, quo ritu peracto, Episcopus consecrator recitat orationem illam: *Propitiare Domine etc.* 2.° Episcopus consecrator caput, et manus ordinandi Sancto Chrismate inungit dicens: *Ungatur, et consecretur caput tuum etc. Unguntur manus istae etc.* 3.° Deinde Episcopus idem Pastoralem, et annulum tradit ordinando, dicens; *Accipe baculum pastoralis officii etc. Accipe annulum etc.* 4.° Denique idem consecrator Episcopus librum Evangeliorum imponit cervici ordinandi, eumdemque ei tradit in manus, dicens: *Accipe Evangelium, et vade, praedica populo tibi commisso etc.* Quaeritur ergo, in quanam ex his ceremoniis materia, et forma Episcopatus sita sit.

PROPOSITIO I.

Materia Episcopatus est manuum impositio, forma vero verba illa: Accipe Spiritum Sanctum etc.

Prob. 1a. pars. Ea est materia Episcopatus, quam adhibuerunt Apostoli, quamque omnibus saeculis adhibuit Ecclesia tum orientalis, tum occidentalis, in consecratione Episcoporum. Sed Apostoli manus impositionem adhibuerunt, ut manifestum est ex verbis Pauli *II. Tim. I. 6. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Ecclesia vero semper impositionem manuum in ordinatione Episcoporum adhibuit, ut videre est cum in *Can. XVII.* Concilii Antiocheni anno CCCXLI. *Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, et . . . ministerium subire neglexerit . . . . hunc oportet communione privari*; tum in libris *Pontificalibus* Latinorum, et Graecorum *Euchologiis.* Ergo etc.

Prob. 2a. pars, quae ex priori sequitur. 1.° Ea enim est sacramenti forma, quae materiam comitatur. 2.° Fere omnes Scholastici fatentur, ea verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, esse formam Episcopatus. Ergo etc.

Qua-

Quapropter reliquae ceremoniae ad majorem ordinationis sollemnitatem ab Ecclesia institutae sunt.

Objic. Impositio manuum ritus est communis Confirmationi, ordinationi Diaconi, et Presbyteri, et olim in aliis etiam orationibus, ut super poenitentes, aliosque, adhibebatur. Non potest ergo esse Episcopatus materia.

℟. *Neg. cons. Circumstantiae* enim ritum hunc communem definiunt ad significandam Episcopi ordinationem. Quis enim videns Presbytero manus imponi a tribus Episcopis, poterit umquam arbitrari, sacramentum Confirmationis, aut Diaconatum, vel Presbyteratum ei conferri, et non statim intelliget, eum ordinari Episcopum?

PROPOSITIO II.

Episcopi sunt Apostolorum successores sub R. Pontifice; ideoque ipsis in ordinatione ea potestas, officium, et onus traditur, quod a Christo datum est Apostolis, nimirum praedicandi, ministrandi omnia Sacramenta, leges ferendi ad disciplinam pertinentes, et rebelles censuris, et poenis Ecclesiasticis plectendi. Haec tamen auctoritas jure Ecclesiastico certis dioeceseon limitibus coërcetur

Prob. 1a. *pars*. Episcopus successores esse Apostolorum res est in tota antiquitate testatissima, unde Augustinus *Lib. VII. de Bapt. cont. Donat. Cap.* 43. *Clarus a Mascula Episcopus ait: Manifesta est sententia domini nostri Jesu Christi Apostolos mittentis, et ipsis solis potestatem sibi a Patre datam permittentis, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes.* Quod *Cyprianus* saepe in suis epistolis inculcat, et uno ore Patres omnes. Ex quorum auctoritate Concilium Tridentinum *Sess. XXIII. Cap.* 4. Declarat, *praeter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut . . . Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.* Ergo etc.

Prob.

Prob. 2a. pars. Eadem est successoris potestas, quam antecessoris. Sicut ergo Apostolorum erat praedicare, ministrare sacramenta omnia, leges ferre, coërcere rebelles, uno verbo ea omnia facere, quae pascendis ovibus Christi, sive animarum saluti expedirent, salvo Petri primatu, sicut ex Scriptis Apostolorum constat; ita eadem potestas, idemque officium, et onus Episcoporum est, salvo S. Pontificis primatu.

Prob. 3a. pars. Christus Apostolis in solidum dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Joan. XX.* 21. et Marc. XVI. 15. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*. Et Matth. XXVIII. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Nullas ergo iis peculiares destinavit provincias, ac proinde provinciarum, et dioeceseon distinctio ab Apostolis, eorumque successoribus facta est, ne qua fieret in Ecclesiae regimine confusio, ac perturbatio. Hinc illud celebre *Cypriani* effatum: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur.* Ergo quamvis multis canonibus interdictum sit Episcopis in alienae dioecesis fines invadere, imo Concilium Tridentinum *Sess. VI. de Ref. Cap.* 5. Episcopum in aliena dioecesi, nemine invitante, *Pontificalia* exercentem ipso jure suspendat ab exercitio Pontificalium, tamen si publica Ecclesiae necessitas postulet, potest unusquisque Episcopus subvenire, et alienae dioecesis, non secus ac propriae, curam gerere, sicut a viris sanctissimis *Athanasio*, *Eusebio Vercellensi*, *Eusebio Samosatensi*, aliisque factitatum legimus.

§. II.

§. II.

De materia, forma, et officiis Presbyteratus.

Adv. In Presbytero ordinando quinque peraguntur ab Episcopo ritus. 1.° Tres manuum impositiones, in quarum prima Episcopus, et Sacerdotes, qui ordinationi adsunt, manum super caput ordinandi imponunt, nihil dicentes; in secunda idem Episcopus manu extensa super ordinandum recitat orationem, quae in Pontificali habetur: *Oremus fratres charissimi etc.* quo tempore similiter iidem Sacerdotes ordinationi adstantes manum dexteram super ordinandum extensam habent, in tertia vero post communionem solus Episcopus ambas manus super caput ordinandi imponit dicens; *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta sunt.* 2.° Episcopus ambas ordinandi manus oleo catechumenorum inungit, dicens: *Consecrare, et sanctificare digneris Domine etc.* 3.° Porrigit ordinando calicem cum vino, et patenam cum hostia, dicens. *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini. Amen.* Quo facto celebratur missa ab Episcopo simul cum ordinando. Quaeritur ergo in quanam ex his ceremoniis materia, et forma Presbyteratus sita sit. Qua de re tres sunt sententiae celebriores. Prima, quam sequitur inter veteres *S. Bonaventura*, inter recentiores *Morinus*, *Tournely*, aliique, docet, in sola manuum impositione materiam, in oratione vero ipsi adjuncta formam Presbyteratus sitam esse. Altera; quam sequitur, *Dominicus Soto*, *Estius*, aliique, materiam presbyteratus in sola instrumentorum porrectione constituit. Tertia vero in porrectione instrumentorum, et ultima manuum impositione ponit completam materiam, formam vero in verbis adjunctis. Hanc sequuntur *Maldonatus*, *Bellarminus*, *Hallierius*, *Vasquez*, aliique.

PRO-

PROPOSITIO I.

Nec in porrectione instrumentorum, nec in prima, nec in postrema manuum impositione videtur constituenda essentialis materia Presbyteratus, sed dumtaxat in secunda manuum impositione: forma vero in oratione illi adjuncta.

Prob. 1a. pars. Quod non semper, nec ubique servatum est, non potest esse materia sacramenti; cum enim materiae sacramentorum a Christo sint institutae, variare non possunt. Atqui porrectio instrumentorum nec ubique, nec semper servata est in Ecclesia. Nam illam nec umquam adhibuit, nec hodie adhibet Ecclesia Graeca, et orientalis, cum in *Euchologiis*, aliisque Graecis Scriptoribus altum de ea sit silentium; Ecclesia vero Latina ante saeculum X. eam ceremoniam minime usurpavit, cum de ea nullum sit vestigium in *Sacramentario* Gregorii M. et Scriptoribus Latinis, qui ordinationis ceremonias singillatim exposuerunt, ut *Amalarius*, *Rabanus*, *Isidorus Hispalensis*, aliique. Ergo etc.

Prob. 2a. pars eadem ratione. Prima, atque postrema manuum impositio non semper adhibita est in ordinatione Sacerdotum in Ecclesia Latina, ut satis probat veterum Latinorum silentium, nec hodie adhibetur in Ecclesia orientali, ut constat ex *Euchologiis*, in quibus ordinationis ritus accurate describuntur. Ergo etc. Praeterea prima manuum impositio nulla habet adjuncta verba, cum fiat ab Episcopo, et Presbyteris silentibus. Ergo.

Prob. 3a. pars 1. Ritus, quo Apostoli usi sunt, quemque Ecclesia universa constanter retinuit in ordinatione Presbyterorum, videtur essentialis materia Presbyteratus. Atqui talis est secunda manuum impositio. Nam 1.° Illam adhibuerunt Apostoli; sic enim Paulus monens Timotheum, ne quem inconsiderate presbyterum ordinaret, ait: *manus cito nemini imposueris*, quae verba sic explicat Leo M. *Epist. I. ad Episcop. Afric. Cap.* 2. *Quid est manus cito imponere, nisi ante aetatem maturitatis .... Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?*

2.°

2.° Ecclesia universa constanter eam manus impositionem retinuit, ut videre est in omnibus Latinis Ritualibus, et Graecorum Euchologiis.

Prob. II. ex veterum testimoniis. 1.° Auctor Constitutionum Apostolicarum *Lib. VIII. Cap.* 26. *Cum ordinas*, inquit, *Presbyterum*, Episcope, *manum super caput ejus ipse impone, et orans dic: Domine omnipotens etc.* 2.° Dionysius *Lib. de Eccl. Hierarch. Cap.* 5. *Sacerdos utroque poplite ante altare flexo, in capite dexteram habet Pontificis, et hoc modo ab illo Pontifice, qui illum consecrat, sanctis invocationibus consecratur.* 3.° Concilium Carthaginense *IV. Can.* 3. *Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.* Reliqua vide apud *Morinum*, *Martenium*, *Menardum*, *Tournely etc.* Ergo etc.

Prob. 4a. pars. Forma est, quae *moraliter* cum materia, conjungitur; per formam enim materia, quae vaga est, ad constituendum sacramentum definitur. Ergo oratio, quae impositioni manuum adnexa est, forma est Presbyteratus.

Objic. I. Eugenius IV. in *Decreto* solam porrectionem instrumentorum ait esse materiam Presbyteratus. Sic enim habet: *Ordinis materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Ergo cum Pontifex ille non loquatur, nisi ex sententia totius Ecclesiae Latinae, vel solam instrumentorum traditionem oportet agnoscamus, ut presbyteratus materiam, vel saltem ut materiam *partialem*, quae cum manuum impositione integram efficit Presbyteratus materiam.

℟. *Neg. cons.* Scopus enim Eugenii erat Armenos edocere ritus Latinae Ecclesiae, qui Orientalibus erant ignoti; cum praesertim non deessent Theologi, qui eos essentiales assererent, salvis tamen iis ritibus, quos illi jam adhibebant ex Apostolica traditione. Cum ergo apud Armenos, imo et in tota Occidentali, et Orientali Ecclesia jam adhiberetur ante Eugenium impositio manuum, sicut etiam post Eugenium adhibita est, hodieque

adhibetur, voluit Pontifex eis praecipere ritus, quos Ecclesia Latina servabat, et addebat materiae essentiali sacramentorum, quos ritus materiam appellat, non definiens Theologorum controversias, utrum essentiales, an accidentales essent.

Objic. II. Qui Sacerdotio initiantur, etiam post alteram manuum impositionem in Pontificali Romano dicuntur *ordinandi*; tantumque post traditionem instrumentorum *ordinati* vocantur. Ergo etc..

℞. *Neg. cons.* Quamdiu enim perdurat sacrae ordinationis ritus merito *ordinandi* vocantur, quia licet materia essentialis adhibita sit, non tamen illud omne peractum est, quod ad majorem ordinationis sollemnitatem instituit Ecclesia.

PROPOSITIO II.

Officia Presbyterorum sunt quae in Pontificali exprimuntur, nempe offerre, benedicere, praeesse, baptizare, praedicare.

Prob. Et 1.° quidem offerre Sacerdotum est. *Omnis namque Pontifex*, inquit Apostolus *Heb. V.* 1. *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccatis.* Et Heb. *VIII.* 3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur.*

2.° Sacerdotum est benedicere. Hanc enim Scriptura rationem affert cur Melchisedech in lege naturae Abrahamo benedixerit. *Erat enim*, inquit, *Sacerdos Dei altissimi Genes. XIV.* 18. Et in Lege Mosaica hoc tiam munus Aaronicis Sacerdotibus servavit Deus: *Sic benedicetis*, inquit, *filiis Israel Num. VI.* 23. Demum idem jus esse in Lege Evangelica, constat ex ipsis verbis, quae profert Episcopus manus sacerdotis inungens: *Consecrare, et sanctificare digneris, Domine, manus istas per istam Unctionem, ut quaecumque benedixerint, benedicantur, et quaecumque consecraverint, consecrentur, in nomine Domini nostri Jesu Christi.*

3.°

3.° Praeesse populo Christi, et pascere ejus oves sub auctoritate tamen Episcoporum, Sacerdotum officium est. Cum enim Apostoli, eorumque successores Episcopi, non possent ipsi per se soli totam molem, eamque supra humanum captum gravissimam; Ecclesiastici regiminis sustinere, idcirco Christus ipse Apostolis adjumentum Septuaginta discipulorum dedit *Luc.* X. 1. ipsique Apostoli praeter Episcopos, Sacerdotes etiam secundi ordinis, simplices nempe Presbyteros in Ecclesiis ordinarunt. Qui quidem presbyteri olim in communi praeerant Ecclesiae sub Episcopo capite, sine cujus nutu nihil agere poterant; cum tamen et ipse Episcopus sine eorum consilio nihil gravioris momenti agere deberet, ut ex auctoritate Patrum, praesertim *Cypriani*, et veterum canonum ostendit Benedictus XIV. *De Syn. Lib. XIII. cap.* 1. quam disciplinam et hodie jure Decretalium in capitulo Cathedrali valere docet. Ceterum ut etiam Parochos, quibus ἀμέσως cura est animarum, Episcopi audiant, atque aliquando consiliis adhibeant, optandum esse, monet *Espenius*. Deinde crescente fidelium numero, divisae sunt Parochiae, et unicuique proprius Sacerdos praepositus est, nullusque Presbyter ordinabatur, nisi *ad titulum curae animarum*. Mox inventae ordinationes *ad titulum patrimonii*, quae tamen non liberant ordinatum ab onere adjuvandi Episcopum, et Parochos in regimine fidelium. Imo Concilium Tridentinum *Sess: XXI. de Ref. Cap.* 2. statuit, neminem ordinandum ad titulum Patrimonii, *nisi quem Episcopus judicaverit assumendum pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum.* Itaque si Parochi spectentur ut presbyteri, sunt divinae institutionis, et hoc sensu vera est doctrina S. Facultatis Parisiensis, Parochos esse de jure divino. Si vero spectentur, ut divisi in suas parochias, Ecclesiasticae institutionis sunt.

4.° Ex hoc munere pascendi oves Christi sub Episcopo capite sequitur munus baptizandi, aliaque ministrandi sacramenta, quae Episcopalem ordinem non requirunt. Hinc a primis Ecclesiae saeculis haec sacramenta ministrarunt presbyteri, jubente Episcopo, ante Parochiarum divisionem; post divisionem vero etiam injussu Episcopi.

5.° Praedicandi etiam officium ex munere pascendi sequitur. Sed olim hoc munus soli obibant Episcopi. Deinde inductum, ut Episcopo impedito, ex ejus jussu Presbyter praedicaret, quod inter primos fecisse traditur *Valerius* Hipponensis Episcopus, qui *Augustino* presbytero praedicandi provinciam dedit. Ceterum distinctis parochiis, unusquisque pastor in sua parochia Dominicis, festisque diebus praedicare debet ex Tridentino *V. Cap. 2. et Sess. XXVI. de Ref. Cap. 4. et 7.*

§. III.

De materia, forma, et officiis Diaconatus.

Adv. Quatuor in ordinando Diacono peraguntur ritus. 1.° Episcopus orationem fundit super ordinandum, in cujus orationis medio manum superimponit ejus capiti, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus*, ac deinde orationem prosequitur, manum tenens extensam. 2.° Stolam humero ejus sinistro imponit dicens: *Accipe stolam candidam de manu Dei etc.* 3.° Induit eum *Dalmatica* dicens: *Induat te Dominus indumento salutis etc.* 4.° Tradit ei Librum Evangeliorum, ea proferens verba: *Accipe potestatem legendi Evangelium etc.* Nonnulli ergo Theologi affirmarunt, traditionem Libri Evangeliorum esse Diaconatus materiam, alii solam manuum impositionem, alii utrumque.

PROPOSITIO I.

Nec traditio Libri Evangeliorum, nec aliae ceremoniae, sed sola manuum impositio, cum oratione adiuncta, constituit materiam, et formam diaconatus.

Prob. 1a. *pars.* Traditio Libri Evangeliorum recentior est institutione, et prima ordinatione Diaconorum; cum enim primi Diaconi ab Apostolis ordinati sunt, nondum erat scriptus Evangeliorum Liber, imo nullum adhuc scriptum Evangelium; et tamen illi rite ordinati sunt Diaconi. Ergo in traditione libri Evange-

lio-

niorum non potest *essentialis* materia Diaconatus constitui. Idem dicas eadem ratione de impositione stolae, et *Dalmaticae*, quae recentior est institutione Diaconorum, nec eodem modo servatur in Ecclesia Graeca, in qua stola quidem sine ullis verbis imponitur, peracta ordinatione, Dalmatica vero minime imponitur, ut observat *Morinus*. Ergo etc.

Prob. 2a. pars. Ritus, quo uno usi sunt Apostoli, quemque semper, et ubique servavit Ecclesia in ordinatione Diaconorum, essentialis materia, et forma Diaconatus est. Hujusmodi est impositio manuum cum adjuncta oratione. Eo enim solo ritu usi sunt Apostoli, ut testatur Lucas *Act. VI.* 6. *Hos*, inquit, *statuerunt ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Eodem semper, et ubique usa est Ecclesia universa, Latina quidem, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 4. *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponet*; et ex omnibus Latinis Ritualibus: Graeca vero, ut probatur ex Constitutionibus, quae dicuntur Apostolicae: *Lib. VIII. Cap.* 27, Dionysio *Lib. de Eccl. Hierarch. Cap.* 5. et Graecorum *Euchologiis*, in quibus non alius praescribitur ritus, nisi sola manuum impositio cum oratione, nec propterea ulla est mota lis Graecis a Latinis in Concilio Florentino. Ergo manus impositio, et adjuncta oratio materiam, et formam Diaconatus constituit.

PROPOSITIO II.

Diaconorum est ministrare ad altare, baptizare, praedicare.

Prob. I. ex verbis Episcopi Diaconos ordinantis, ut in Pontificali Romano praescribitur: *Diaconum*, inquit, *oportet, ministrare ad altare, baptizare, et praedicare.*

Prob. II. de singulis officiis. Et 1.° quidem quamvis occasio ordinationis Diaconorum fuerit murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum; tamen non solum ipsis concreditum est mensarum ministerium; sed praecipue ministerium altaris, 2.° quia ipse ritus sacer, quo Diaconi or-

ordinati, sunt, satis ostendit, eos non ad solum profanum ministerium fuisse destinatos. 2.° quia ex perpetua Ecclesiae traditione constat, ministrasse in sacrificio Altaris, et Eucharistiam fidelibus dispensasse, qua de re vide quae supra diximus de ministro extraordinario Eucharistiae distribuendae. Porro altaris ministerium plura complectitur. 1.° proxime adesse Sacerdoti celebranti, 2.° parare materiam Sacrificii. 3.° simul cum Sacerdote fundere orationem, quae in oblatione calicis profertur. 4.° olim excommunicatos, poenitentes, catechumenos sollemni voce expellebat cum missa fidelium incipiebat. 5.° a communione arcebat indignos alta voce conclamans: *Sancta Sanctis*. 6.° absoluta missa, discedendi veniam populo facit verbis illis: *Ite missa est*.

2.° Baptizare etiam sollemniter Diaconorum est: extraordinarie tamen, ut diximus agentes de ministro Baptismi. Hinc ubi erat penuria Sacerdotum, Episcopi ruralibus praesertim Ecclesiis Diaconos praeficiebant, qui baptismum ministrarent, et Eucharistiam a Sacerdote consecratam dispensarent, et ipsos poenitentes morti proximos per manus impositionem (quae vera non erat absolutio, ut supra diximus) Ecclesiae reconciliabiant, ut ex Cypriano *Epist. XI.* Concilio Eliberino, Hieronymo, aliisque veteribus monumentis constat. Supersunt etiamnum Romae Ecclesiae Diaconales, quibus Cardinales Diaconi praefecti sunt.

3.° Praedicationis officio jam ab initio Diaconi functi sunt, ut videre est in primis Diaconis *Stephano*, et *Philippo*, prout in Actis Apostolorum narratur. Haec tamen praedicatio si sollemniter e suggestu fieri debeat, accedat oportet jussus Episcopi, ad quem potissimum praedicationis munus, et onus spectat. Ergo etc.

Praeter haec sacra ministeria ad Diaconos etiam pertinebat pauperum, viduarum, pupillorum cura, erantque ipsi Ecclesiasticorum redituum Oeconomi, praesertim primus inter illos, qui et Archidiaconus dicebatur, ne Episcopi temporalium rerum cura a ministerio verbi, et Sacramentorum, vel ab oratione distraherentur, unde aliquando in superbiam elati Diaconi, ipsis Presbyteris anteire studuerunt, imo injuriam sibi fieri puta-

tarunt nonnulli Archidiaconi, si a diaconatu ad Presbyteratum promoverentur.

Scholion.

Quamvis nostra quidem sententia Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus materia sit sola manuum impositio; tamen cum contraria etiam opinio de porrectione instrumentorum auctores habeat viros gravissimos, omnia in ordinatione religiosissime servanda sunt, et si quid incaute praetermissum, supplendum est.

§. IV.

De materia, forma, et officiis Subdiaconatus.

PROPOSITIO I.

Materia Subdiaconatus verisimilius est traditio calicis vacui cum patena vacua superposita: forma vero verba Episcopi, quae hanc traditionem comitantur.

Prob. I. Traditionem calicis, et patenae vacuae semper usurpavit Ecclesia in ordinatione Subdiaconi: *Subdiaconus cum ordinatur; quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum*, verba sunt Concilii Carthaginensis IV. *Can.* 5. idemque praescribunt vetusti Rituales libri. Reliqui vero ritus, ut traditio Libri Epistolarum, indumentum Amictus, Manipuli, Tunicae, recentioris sunt institutionis, ut ostendit Morinus *Part. III. Exercit. XII. Cap. I.* Ergo traditio calicis, et patenae vacuae est Subdiaconatus materia, ac proinde forma sunt verba, quae traditionem illam comitantur. Sed quia graves etiam Theologi opinantur, traditionem libri Epistolarum ad Subdiaconatus materiam pertinere; haec etiam religiose servanda, atque supplenda, si forte omissa sit.

Prob. II. In traditione calicis, et patenae vacuae significatur potestas praecipua, quae in hoc ordine datur nempe vasa sacra contingendi, praeparandi, ac ministerio altaris propius inserviendi. Ergo etc.

PROPOSITIO. II.

Quinque sunt Subdiaconatus munia.

Prob. enumeratione. 1.° Subdiaconus hodie calicem, et patenam Diacono offert, et ponit in altari. Quod quidem olim ipse Diaconus faciebat, sicut et hodie facit in Ecclesia Graeca. 2.° Aquam in calicem fundit, Sacerdote eam benedicente; et ipsi Sacerdoti celebranti aquam fundit ad extrema digitorum abluenda, ideoque in ordinatione accipit etiam ab Archidiacono urceolos cum mantili, et manutergio. 3.° Suscipit populi oblationes in Missa ad offertorium. 4.° Legit in Missa Epistolam. 5.° *Pallas, corporalia, et purificatoria* abluit. Haec in Pontificali Romano in ordinatione Subdiaconi praescribuntur.

PROPOSITIO III.

Onera Subdiaconorum quatuor sunt, obligatio habendi verum, et non fictum patrimonium, vel beneficium, recitandi horas canonicas, servandi perpetuam et omnimodam castitatem, et deferendi habitum, et tonsuram clericalem.

Prob. 1.° De vero, ac sufficienti patrimonio, vel beneficio. Tridentinum *Sess. XXI. Cap. 2. de Ref.* statuit, neminem ad sacros ordines promoveri posse, nisi ad titulum sufficientis beneficii, vel patrimonii, innovando antiquorum canonum poenas. Poenae autem sunt contra ordinatum quidem suspensio *ipso facto* incurrenda ex *Cap. Neminem, et Can. Sanctorum Dist. LXX.* in qua suspensione si ministret, irregularitatem incurrit, contra ordinantem vero obligatio praestandi ordinato alimenta, quibus sine ordinis dedecore vitam agat, ex *Cap. Cum secundum, De Praebend.* Poena autem suspensionis contra ordinandum in Synodalibus constitutionibus Dioecesanis passim confirmata est, eaque tenet eos etiam, qui cum ficto beneficii, vel patrimonii titulo ordinatur. 2.°

2.° De onore recitandi horas canonicas secundum *Breviarii* Romani ritum, patet ex universali Ecclesiae consuetudine, sacris canonibus confirmata: unde ex quo Subdiaconus ordinatur, ad recitationem officii tenetur, et quidem incipiendo ab illa hora, in qua ordinatus est, etiamsi ante ordinationem recitaverit (ut probabiliter docent Theologi, ipso assentiente P. La Croix *Lib. IV. n.* 1187.), puta a Sexta. De origine vero, et progressu Canonicarum horarum vide Thomassinum *Discipl. Eccl. P. IV. Lib. I. Cap.* 4.°

3.° Servare perpetuam et omnimodam castitatem debent qui Suddiaconatu initiati sunt. Sic enim habetur in *Can. I. Dist. XXVIII. Nullum facere Subdiaconum praesumant Episcopi, nisi qui se caste victurum promiserit, quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi hujus castitas ante susceptum ministerium probetur.* Et in Concilio Tridentino *Sess. XXIV. Cap.* 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem sollemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.* Disputatur autem inter Theologos, utrum haec castitatis obbligatio oriatur tantum ex Ecclesiastica lege, an ex voto ordinibus sacris implicite adnexo. Et verisimilius est hoc posterius, quod docet S. Thomas 2a. 2ae. *Q. LXXXVIII. art.* 7. Bellarminus *Lib. I. de. Matrim. Cap.* 21. aliique; imo et eruitur ex verbis Capituli *Cum. olim. De Cleric. Conjug.* quare ad castitatem ille quoque servandam obligatur, qui in ordinatione intra se firmus statueret, nolle vovere castitatem, quia hoc ipso, quod ordinem suscipit sacrum, implicite vovet, vel vovere tenetur, ut *Salmaticenses* affirmant, licet alii doceant, eum tunc non ex voto, sed ex lege Ecclesiastica, ad castitatem obligari. Ergo.

48. Denique quod habitum, et tonsuram Clericalem deferre debeant; multis canonum sanctionibus statutum est, ut habetur praesertim sub titulo *De vita, et honestate Clericorum.* Unde Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 6. *Tanta*, inquit, *hodie inolevit aliquorum temeritas, religionisque contemtus, ut propriam dignitatem, et honorem Clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice laicales. Propterea omnes Ecclesiasticas personas,*

quae aut in sacris fuerint, aut Dignitates, Personatus, Officia, aut Beneficia Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo moniti fuerint, honestum habitum clericalem non detulerint; per suspensionem ab ordinibus, ac ab officio, beneficio, et fructibus, nec non si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et Beneficiorum coerceri debeant. Ex qua poenae gravitate gravitas culpae merito arguitur. Idem de tonsura, et corona Clericali dicendum est. Ex Concilio enim Lateranensi sub Leone X. *Sess.* IX. excommunicationem incurrunt Clerici in sacris constituti, si tonsuram capitis non servent, ut observat *Merbesius.* Adde, Clericos, qui ter ab Episcopo admoniti habitum, et tonsuram Clericalem deferre detrectant, amittere privilegium *Canonis*, et *fori* ex *Cap. Contingit* 45. *De Sent. Excomm.*

§. V.

De materia, forma, et Officiis minorum Ordinum.

I. Materia, et forma Acolythatus duplex est, quae in Pontificiali Romano praescribitur, 1.° quidem traditio candelabri, cereum habentis extinctum, hisce verbis: *Accipe ceroferarium cum cereo, et scias, te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini.* 2.° traditio urceolorum vacuorum cum hac verborum forma: *Accipe urceolos ad suggerendum vinum, et aquam in Eucharistiam . . . . . in nomine Domini.* Unde satis aperte colligitur, quae sint Acolythi officia.

II. Materia, et forma exorcistatus est traditio Libri Exorcismorum his verbis peracta: *Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem manus imponendi super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.* Ac proinde Exorcistarum est adjurare daemones, eosque a corporibus obsessorum ejicere. Sed quia multi ea in re abusus irrepserant, cautum est, ut ne Sacerdos quidem, nisi ex Episcopi venia, adjurare daemones possit.

III. Materia, et forma Lectoratus est Traditio Libri Lectionum cum iis verbis; *Accipe, et esto Verbi Dei re-*

relator, habiturus si fideliter, et utiliter impleveris officium tuum, partem cum his, qui verbum Dei ministrarunt, ab initio. Lectorum ergo est sacras Lectiones, in divinis officiis occurentes recitare.

IV. Materia, et forma Ostiariatus est traditio clavium Ecclesiae cum his verbis: *Sic age, quasi Deo redditurus rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur.* Hinc Ostiariatus officia sunt, fores Ecclesiae aperire, et claudere; indignos expellere; canes, qui non solum ecclesiam foedare, verum etiam rebus divinis incommodare solent, ejicere; suppellectiles Ecclesiae custodire, in eisque munditiam, quae rebus sacris digna sit, curare; et campanas pulsare.

V. Porro cum contactus duplex esse possit, *physicus*, et *moralis*; in iis ordinationibus, quorum materia est instrumentorum porrectio, contactus physicus sit opertet, juxta tutiorem doctrinam S. Thomae 3. *P. Supr. Q. XXXIV. art.* 5. *ad* 3. licet non desint Theologi, qui putent, sufficere si ab Episcopo porrigantur instrumenta, quae initiandus aliquo signo se accipere testetur.

CAP. IV.

De ministro ordinationis.

Adv, I. Minister vel ordinarius est, vel extraordinarius. Porro dogma fidei est, Episcopum esse ordinarium hujus Sacramenti ministrum. Sic enim definit Tridentinum *Sess. XXIII. can.* 7. *Si quis dixerit, Episcopos . . . non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit.* Idem antea declaraverat *Eugenius IV.* (in *Decreto*). Sed controversia est, utrum simplex presbyter, saltem extra ordinem a Summo Pontifice possit ad ordines conferendos deputari.

II. Rursus quaeritur, utrum tres Episcopi, qui ad unum Episcopum ordinandum convenire debent, necessarii sint jure divino ad valorem sacramenti, an ex praecepto duntaxat Ecclesiastico ad majorem sollemnitatem.

III.

III. Expendendum etiam est, a quonam Episcopo ordines conferri liceat.

PROPOSITIO I.

Simplices Presbyteri possunt esse ministri extraordinarii Subdiaconatus, et minorum ordinum, et primae tonsurae, non vero ordinum superiorum.

Prob. **1a.** *pars.* Privilegium conferendi Subdiaconatum, et minores ordines revera concessum legitur quibusdam Abbatibus, qui simplices sunt Presbyteri, conferendi, inquam; eos ordines *Regularibus* sibi subjectis. De minoribus ordinibus id certum est ex *Cap. Requisivit*: *De Ordinatis ab Episc.* ex *Cap. Cum contingat*: *De aetate et qualit. ordinand.* et ex Tridentino *Sess. XXIII. Cap.* 1.° *De Ref* ubi ait: *Abbatibus, ac aliis quantumvis exemtis non liceat in posterum* . . . . *cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, et minores ordines conferre.* Subdiaconatus quoque conferendi potestatem fuisse aliquando concessam; ostenditur 1.° ex auctoritate Gelasii Papae *Epist. IX. Tom. IV. Concil.* ubi ait; *Meminerit* (Presbyter) *sibi nulla ratione concedi sine Summo Pontifice Subdiaconum, aut Acolythum, jus habere faciendi*; ac proinde jus habere ex Summi Pontificis venia: 2.° ex pluribus Conciliis, ut Antiocheno, et Nicaeno II. quae generatim hanc potestatum fecere *Chorepiscopis*, qui tamen non omnes Episcopis erant. 3.° ex privilegiis a Summo Pontifice concessis Abbatibus Cisterciensibus, et Benedictinis, subditis suis Regularibus conferendi Subdiaconatum, ut testantur Victoria *Sub. n.* 235. Navarrus, aliique. 4.° ex consensu omnium Theologorum, paucis exceptis.

Prob. **2a.** *pars.* ex Scriptura, et Traditione. Ex scriptura quidem, ex qua constat, solos Apostolos ordinasse Diaconos *Act. VI.* et Presbyteros *Act. XIV.* 22. solosque Episcopos ab Apostolis ordinatos, Episcopos, Presbyteros, et Diaconos ordinasse *I. Tim. III. et V. ad Tit. I.* Ex traditione vero quae perpetuo docet, solis Episcopis ordinandi jus esse. *Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus*, inquit Hieronymus

Ep.

Ep. LXXXV. ad Evag. quod non facit et Presbyter? quod quidem cum non possit intelligi de Subdiaconatu, et minoribus ordinibus, quos vidimus a Presbytero conferri posse, saltem de majoribus intelligendum est. Unde Synodus Alexandrina anno CCCXIX. declaravit *Ischyram* non esse censendum Presbyterum, quia ordinatus a *Collutho*, qui Episcopus non erat; cui concinunt Patres omnes, et Concilia, quae ubi de ordinatione loquuntur, solis Episcopis eam adserunt, nec ullum est antiquitatis exemplum, etiam furentibus persecutionibus, in magna Episcoporum raritate, quo probetur aliquando Presbyteros ordinasse Sacerdotes, vel Diaconos; quod sine dubio in tam gravi necessitate aliquando factum esset. Ergo etc.

Solvuntur Objecta.

Objic. I. illud Apostoli *I. Tim. IV. 14. Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Quod quidem in ordinatione Presbyterorum semper servandum statuit Concilium Carthaginense IV. *Can.* 3. Ergo Presbyteri sunt cum Episcopo Presbyteralis ordinationis ministri.

℟. *Neg. cons.* Presbyterium enim, de quo loquitur Apostolus, est Episcoporum coetus, qui ad ordinandum Timotheum Episcopum convenerant; alioquin presbyteris etiam ordinandi Episcopos potestas esset. Quod autem statuit Carthaginense Concilium, mera est ceremonia, quae et hodie observatur, ut Presbyteri ordinationi adstantes ordinando manum imponant, ut supra diximus.

Objic. II. Concilium Nicaenum, teste Theodoreto *Lib. I. Cap.* 9. Socrate *Lib. I. Cap.* 19. aliisque, oeconomiae gratia, statuit, ut ordinati a *Meletio*, etiam Presbyteri, et Diaconi, si schismati ejus adhaeserant, et ad Ecclesiam venirent, reciperentur cum suis ordinibus, sine facultate tamen confirmandi ministros a Clero, et populo electos: *illi autem* (verba sunt Epistolae Synodicae

quū

qui Dei gratia ad nullum schisma defecisse comperti sunt, jus habeant et ordinandi, et eos, qui digni Clero fuerint, nominandi. Hac etiam prudenti oeconomia usus Leo M. *Epist. XCII. ad Rustic. Narbon. Cap.* 1. statuit, ut ordinatio a nonnullis *Pseudoepiscopis* facta cum consensu, et judicio Episcoporum, rata habeatur. Ergo.

℟. *Neg. cons. Meletius*, enim, et *Pseudoepiscopi* illi, de quibus loquitur *Leo M.* vere consecrati fuerant in Synodo Alexandrina anno CCCV. isti vero consecrati sine electione Cleri, et populi, et consensu Episcoporum provincialium; dicuntur falsi Episcopi. Quapropter eorum ordinationes illicitae quidem, sed *validae* erant. Quod autem additur in synodica Concilii Nicaeni Epistola, Clericos, qui schismati non adhaeserant, habere jus ordinandi, et nominandi; non significat, eos habuisse jus ministrandi sacramentum ordinationis, alioquin dicendum esset, ipsos Diaconos, et inferiores Clericos ordinandi potestatem habere, quod absurdum est; sed significat, eos habuisse jus cooptandi in clerum sacros ministros, quae quidem cooptatio, sive electio tunc a Clero et populo fiebat. Id vero jus denegatum est iis, qui schismati adhaeserant, ne forte adhuc ipsi prava mente, atque animo affecti indignos eligerent.

Objic. III. Magni nominis Theologi, et Canonistae contendunt, Presbyterum esse posse extraordinarium ministrum Presbyteratus, et Diaconatus, ut *Altissiodorensis*, *Aureolus*, *Angelus de Clavasio*, *Glossa in Can. Munus Dist. V. Innocentius IV: in Cap. Quanto De consuetudine*, aliique. Ergo non est omnino certa sententia nostra.

℟. *Neg. cons.* Non enim aliud ex contraria Theologorum sententia inferri potest, nisi sententiam nostram non pertinere ad dogma fidei, quod ultro fatemur. Ceterum rationes, quibus adversa nititur sententia, tanti non sunt, ut incertam valeant reddere communem Theologorum doctrinam.

Objic. IV. Eugenius IV. (in *Decreto*) affirmat, ordinarium ministrum Sacramenti ordinis esse Episcopum. Ergo satis innuit, esse alium ministrum extraordinarium,

rium, quemadmodum ex eo quod ait, Episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum, recte concluditur, esse alium ministrum extraordinarium.

℟. *Neg. cons. et parit.* Ratio autem dissimilitudinis ea est, quod postquam *Eugenius* dixit, Episcopum esse ordinarium confirmationis ministrum, subjungit: *aliquando per Apostolicae sedis dispensationem ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis Sacramentum*; quod de ministro ordinis non affirmat. Ait quidem *Eugenius*, Episcopum esse ordinarium ministrum ordinis, tum quia sunt aliqui ordines (nempe minores) qui extra ordinem a Presbytero conferri possunt, tum quia noluit definire rem inter Catholicos salva fide disputatam, sed posuit quod apud omnes certum est; et dogma fidei, nempe Episcopum esse ministrum ordinarium.

Objic. V. Celeberrimum *Innocentii VIII.* Rescriptum, sive *Bullam*, qua potestas tribuitur Cisterciensibus Abbatibus, ut *Regularibus* sibi subditis Subdiaconatum, et Diaconatum conferant. Hoc autem privilegium videtur in dubium revocari non posse, non solum quia extat *in Lib. I. Privilegiorum* ejus Ordinis *Privil. CXVIII.* sed etiam quia illud se vidisse testatur Vasquez *Disp. CXLIII. Cap.* 4 in vetusto Codice, qui servabatur in Bibliotheca Collegii Complutensis Soc. Jesu; ejusque meminit Navarrus *Lib. V. Consil. XIII.* aitque, eo privilegio semper usos Cistercienses Abbates ante Tridentinum Concilium. Imo addit Franciscus Heuno *Tom. VIII. pag.* 419. Generalem Cisterciensem ejus privilegii vigore Romae anno 1662. sciente, et annuente *Alexandro VII.* Subdiaconatus, et Diaconatus ordinem suis Regularibus contulisse. Ergo etc.

Respondent nonnulli, gesta singulorum Pontificum non habenda, ut canonicas leges, nisi Traditioni innitantur. Sed hac missa responsione, affirmamus, *Apochryphum* esse, aut vitiatum *Innocentii VIII.* Rescriptum, nec id mirum; cum multa hujusmodi commentitia diplomata in Archivis inveniantur. Et 1.° quidem nemo unus ejus privilegii *authenticum* exemplar in Romanis scriniis invenire adhuc potuit, nec illud

Mar

Magno Bullario Romano insertum est. 2.° Non est credibile, Romanum Pontificem in re dubia, imo contra communionem eo tempore Theologorum doctrinam nullo traditionis fundamento innixum, privilegium illud concessisse; cum constans sit Romanae sedis institutum, tutiorem semper partem sectari, praesertim ubi agitur de valore Sacramenti. 3.° Auctores, qui *Bullam* hanc se vidisse testantur, varie eam recitant. *Franciscus Victoria* testatur, ibi de solo Subdiaconatu mentionem fieri: *Vasquez* etiam de diaconatu, ac proinde varia ejus circumferuntur exemplaria, quod est falsitatis nota. 4.° In supplici libello, quem Cisterciensis Abbas *Innocentio VIII.* porrexerat, id unum petebatur, nempe ut recovaretur antiquum privilegium Tonsuram, et minores ordines conferendi. Quis ergo credat, Pontificem ultra progressum concessisse quod nec Orator postulaverat, nec concedi posse Theologi affirmabant?

Sed esto verum fuerit illud privilegium, eo tantum sensu explicatum esse a *S. Congregatione* Concilii anno 1592. et a *Clemente VIII.* scribit Bensonius *Lib. II. de Anno Jubil. Cap.* 23. quod Cistercienses Abbates possent quos voluerint advocare Episcopos, iisque offerre *Regulares* suos, ut ordinentur Subdiaconi, vel Diaconi non habita ratione Dioecesis, aut Provinciae.

Reliquas adversariorum argutationes omittimus, in iis enim; quae a divina institutione pendent, nihil valent rationes humano ingenio excogitatae.

PRO-

PROPOSITIO II.

Tres Episcopi ad unum ordinandum Episcopum convenire debent, non jure divino, sed Ecclesiastico, ideoque potest unus Episcopus, ex dispensatione Sedis Apostolicae, valide et licite Episcopum ordinare: sine ea dispensatione vero valide quidem, sed illicite.

Prob. 1a. *pars*, nempe tres Episcopos ad unius ordinationem convenire debere, ex perpetua Ecclesiae disciplina ab Apostolis derivata. 1.° enim Timotheus non a solo Paulo ordinatus est, sed cum impositione manuum *Presbyterii*, sive plurium Episcoporum, ut *Chrysostomus*, aliique veteres explicant. 2.° Canones, qui dicuntur Apostòli *Can.* 1. et plurima Concilia vel a prioribus usque saeculis celebrata, idem constituunt, ut Arelatense I. *Can.* 2.° Nicaenum *Can.* 2. Antiochenum ann. 341. *Can.* 19. Sardicense *Can.* 5. Carthaginense II. *Can.* 12. Carthaginense III. *Can.* 39. omnesque Libri Rituales. Ergo etc.

Prob. 2*a*, *et* 3*a*. *pars*. Quod ex dispensatione Sedis Apostolicae saepe est omissum, nemine reclamante, id ex jure Ecclesiastico descendit, omittique potest *valide*, et *licite* ex ejus sedis dispensatione. Atqui hujusmodi est trium Episcoporum praesentia in consecratione Episcopi. Nam 1.° Gregorius M. *Augustino*, qui solus erat in Anglia universa Episcopus, indulsit, ut solus Episcopos consecraret *Lib. II. Epist.* 64. sive ut verius dicamus, non indulsit quidem, sed declaravit, posse eum ipso jure solum Episcopos consecrare: *Et quidem*, inquit, in *Anglorum Ecclesia*, *in qua adhuc solus tu Episcopus inveniris, ordinare Episcopum non aliter, nisi sine Episcopis potes.* 2.° *Gregorius XIII.* Patriarchae Æthyopum e *Societate Jesu* concessit, ut solus Episcopus consecraret, teste Henriquez *Tom. I. Lib. IV Cap.* 29. et aliis. 3.° *Innocentius X.* duo similia privilegia concessit, quae vidisse testatur Franciscus Henno *Tom. VIII. p.* 411. 4.° Idem indulsisse perhibentur *Urbanus VIII*, *Alexander VII.*,

VII., *Benedictus XIV.* At nemo unus adversus eas dispensationes reclamavit. Ergo etc.

Prob 4a *pars.* quam tuentur Hallerius *De sacr. ord. sect. V. Cap.* 2. *art.* 2. Witassius *P. II. Q.* 2. *art.* 4. Ludovicus Habert, aliique post *Paludanum*, et *Sylvestrum*. contradicentibus tamen *Bellarmino*; *Vasquez*, *Is. Habert*, *Gonero*, *Tournely*, aliisque. 1.° In constitutionibus, dicuntur Apostolicae, quaeque licet non editae ab Apostolis, disciplinam tamen continent Ecclesiarum Orientalium antiquam, sic habetur *Lib. VIII. Cap.* 27. *Episcopus debet ordinari a duobus, aut tribus Episcopis. Si vero aliquis ab uno Episcopo ordinatus fuerit, tum is, qui ordinatus est, tum is, qui eum ordinavit, deponatur. Quod si necessitas coegerit ab uno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliam causam plures adesse non possunt, afferatur decretum commissionis plurium episcoporum.* Ex quibus vides, ratam fuisse habitam ordinationem ab uno Episcopo factam (alioquin ordinatus deponi non potuisset) imo et licitam, si coegisset necessitas.

2.° *Gregorius M.* non ex dispensatione videtur *Augustino* concessisse, ut solus Episcopos in Anglia ordinaret, sed declarasse dumtaxat, id posse fieri, necessitate cogente.

3.° In concilio Regensi anno CCCCXXXIX. ordinatio *Armentarii* sine tribus Episcopis facta, declarata est irrita quidem quoad possessionem Episcopatus, a qua depulsus est, sed tamen valida; permissum enim ei est *Can.* 3. Episcopalibus officiis fungi in aliqua Ecclesia, sibi misericorditer ab aliquo Episcopo concedenda.

4.° Narrat Synesius *Epist. LXVII. ad Theophil. Siderium* a solo *Philone* Cyrenensi ordinatum esse Episcopum Plebiscae *contra omnia jura*, atque ideo sine ulla dispensatione, et tamen ejus ordinationem ratam judicasse *Athanasium*.

5.° Unus Episcopus dicitur in Pontificali Romano *Consecrator*, reliqui *Adsistentes*, et a Gregorio M. *testes.* Ergo facta ab uno consecratio rata est; licet propter Ecclesiae canones, qui id vetant, illicita; nisi Apostolicæ sedis accedat dispensatio, cogente necessitate.

Multa objiciunt *Conetus*, *Tournely*, aliique, ut probent,

bent, trium Episcoporum praesentiam in ordinatione Episcopi, descendere, ex traditione Apostolica, eaque omissa sine Summi Pontificis dispensatione, ordinationem vocari a Patribus *irritam*, eumque, qui ordinatus est, *non esse Episcopum, nihil accepisse etc.* Sed nos quamvis concedamus, ex Apostolica traditione institutam trium Episcoporum praesentiam, negamus tamen, omnia, quae Apostoli tradiderunt, esse necessaria ad sacramenti valorem; alioquin etiam aqua vino ex Apostolica traditione admiscenda, esset ad Eucharistiae *validam* consegrationem necessaria. Dicitur vero *irrita* ordinatio sine tribus Episcopis, et ordinatus *non esse Episcopus* quoad usum, et jurisdictionem; non vero quoad Episcopalem characterem, cum constet exemplis supra memoratis, eis, qui hoc modo ordinati sunt, functiones episcopales fuisse aliquando permissas, imo eos habitos esse ut Episcopos, licet ab officio suspensos. Vide Benedictum XIV. *Lib. XIII. Cap.* 13. *De Synodo Dioec.*

PROPOSITIO III.

Non omnis Episcopus potest omnes licite ordinare.

Prob. Concilium Tridentinum *Sess. XXIII. De Ref. Cap.* 8. *Unusquisque*, inquit, *a proprio Episcopo ordinetur: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum: ordinatus vero a susceptorum executione, quamdiu ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Ergo quamvis ordinatio a quolibet Episcopo rite consecrato *valide* fiat, licite tamen non fit, nisi a proprio Episcopo.

Proprius autem Episcopus in veteri quidem disciplina erat Episcopus ille; a quo quis semel minorem aliquem ordinem susceperat. Laici enim poterant a quocumque alterius Dioecesis Episcopi ordinari, sed semel ab uno ordinati, ab alio deinceps ordinari non poterant sine prioris consensu. Deinde additum est, ad servandam pacem, et praecavendos abusus, ut ne laici quidem nisi ab Episcopo suae dioecesis ordinari possent, idque in Concilio Sardicensi *Can.* 19. et Carthaginensi I. *Can.* 5. statutum est. Cum autem haec discipli-

na in summa rerum confusione saeculo X. labefactari cœperit, primo *Clemens IV.* decrevit ut nemo sine Apostolicae sedis licentia ordinari posset, nisi *ab Episcopo de cujus dioecesi traxit originem, vel in cujus dioecesi beneficiatus existeret.* Deinde Bonifacius VIII. *Cap.* 3. *De Temp. Ordin. n.* 6. statuit, ut ille proprius censeatur Episcopus, *de cujus dioecesi est is, qui promoveri desiderat, seu in cujus dioecesi Beneficium obtinet Ecclesiasticum; seu habet, licet alibi natus fuerit, domicilium in eadem.*

Triplex ergo est proprius Episcopus *Originis*, *Domicilii*, et *Beneficii* Ecclesiastici. Episcopus originis ille est, in cujus dioecesi quis natus fuerit, non quidem ex accidenti occasione, ut itineris, mercanturae, aut alterius temporalis morae, sed in paterna domo. Episcopus domicilii est is, in cujus dioecesi aliquis per decennium fuerit commoratus, atque animum habeat ibidem permanendi; vel omnes, aut majorem rerum suarum partem eo transtulerit, aedes construxerit, et satis longo tempore ibidem commoratus jure jurando affirmet, animum se habere ibidem perpetuo manendi. Excipiendus tamen familiaris Episcopi ex Tridentino *Sess. XXIII. De Ref. Cap.* 9 si per triennium secum fuerit commoratus eiq. Episcopus beneficium, quacumque fraude cessante, statim reipsa concedat. Episcopus denique beneficii est, in cujus dioecesi quis beneficium Ecclesiasticum habeat sufficiens juxta synodalem aestimationem, aut morem regionis; sive residentiam illud requirat, sive non requirat, modo tamen beneficium illud non fuerit per fraudem consecutus, ut scilicet proprii Episcopi jurisdictionem fugeret; alioquin, ut monet *Fagnanus*, aliique Canonistae, suspensionem incurrit, tamquam a non suo Episcopo ordinatus. Statuit tamen Innocentius XII. in Bulla *Speculatores* an. 1694. ne Episcopus Beneficii aliquem ordinet sine testimonialibus, ut ajunt, litteris Episcopi originis, et domicilii, de natalibus, vita, et moribus ordinandi, quae litterae Episcopo beneficii exhibendae, et in Actis ejus Curiae servandae sunt. Quae quidem testimoniales litterae generatim semper necessariae sunt, cum quis aliquandiu in aliena dioecesi commoratus canonico aliquo impedimento ibi irretiri potuit.

Q. I.

Q. I. Quis sit Regularium proprius Episcopus quoad ordines suscipiendos?

℟. Esse Episcopum Diocesis, in quo Monasterium situm est. Quamvis enim *Pius V.* in Bulla *Etsi Mendicantium*, Fratribus Mendicantibus indulserit, ut a quocumque Episcopo ordinari possent, illud tamen privilegium a *Gregorio XIII.* revocatum, atque ad Concilii Tridentini statuta coarctatum est.

Q. II. Quis possit dimissorias litteras dare?

℟. 1.° Episcopus proprius, ad quem spectat ordines ministrare, ut statuit Tridentinum *Sess. VII. De Ref. Cap.* 1.°

2.° Capitulum, sede vocante, post annum tamen a die vacationis, nisi agatur de *arctatis* ad suscipiendos ordines propter Beneficium; quibus etiam infra annum dimissorias dari jus est.

3.° Praelati *Regulares* quoad subditos. Ad Episcopum tamen dioecesanum dimissiorias dare debent, nisi ille absens fuerit, aut ordinationem non celebret; tunc enim possunt ad alium Episcopum litteras dare dimissorias; reddita tamen in ipsis litteris ratione, absentiae proprii Episcopi, vel ordinationis ab eo non celebrandae; ut statuit *Clemens VIII.* adjecta poena privationis officii, et dignitatis, ac *vocis activae.*

Varias autem quaestiones, quae de origine, domicilio, et beneficio agitari solent, expedire omnes non vacat. Eas apud Canonistas passim reperies.

Ex iis autem, quae in hoc capite disputavimus, satis ostenditur, Lutheranorum et Calviinianorum ordinationis irritas esse, cum *Lutherus* Episcopus non fuerit, *Calvinus* Subdiaconus quidem; omnemque apud ipsos ordinationem esse ceremoniam ab ipsis inventam, qua quis ad sacra munia destinatur a popolo. Sed de ordinationibus Anglicanis diu, multumque est inter viros doctos disputatum. Duabus enim rationibus ordinationes illae nutant. 1.° quidem, quia *Matthaeus Parker*, a quo omnes ministri Anglicani ordinati sunt, utrum fuerit ordinatus Episcopus, incertum est. 2.° quia forma ordinationis quoad sensum est immutata ab Eduardo VI. *P. Quien*, *Harduinus*, aliique, irritas esse ordinationes Anglicanae, fuse demonstrarunt. *Franciscus Courayerus* con-

contra magno molimine in Prolixa *Dissertatione* ratas illas esse, adstruere conatus est. Ecclesia tamen Romana reipsa irritas habuit, cum saepe Anglicanos ministros ad Ecclesiae sinum redeuntes, iterum ordinaverit. Vide Collet. *Tom. VII. Dissert. I. et II.* qui late hac de re disserit.

C A P. V.

De subjecto ordinis.

Quae ad ordinis *subjectum* pertinent, quia non multum difficultatis habent, paucis expediemus.

I. Mulieres jure divino ab ordinibus prohibentur Ait enim Apostolus *I. Cor. XIV. Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et Lex dicit Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Et. *I. Tim II. 12. Mulier in silentia discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto.* Unde damnati sunt *Gnostici*, *Collyridiani*, *Montanistae* ea etiam de causa, quod sacros ordines mulieribus in sua secta conferebant.

II. Ut *valide* ordinetur adultus, certum est, requiri intentionem Sacramentum suscipiendi, ut agentes de Sacramentis in genere explicavimus. Ordinationes enim illae, quae in veteri Ecclesia, invitis, et reluctantibus ordinandis, aliquando factae leguntur, non alia de causa ratae fuerunt, nisi quia certum erat, illos tandem, cognita Dei voluntate, ordinationi consensisse, cum manus ipsis imponerentur.

III. Disputatur autem inter Theologos, utrum pueris ante usum rationis, aut amentibus *valide* ministretur ordinatio. Alli afiirmant alii et quidem verisimilius negant. Cum enim ordo certum quendam vitae statum constituat, qui proprias habet leges, ad quas nemo invitus compelli potest; non videtur posse unquam valide ordinari, nisi adultus rationis compos. Illud tamen certum est, ut valide quis ordinetur, oportere, ut sit baptizatus *Cap. I. De presbyt. non Baptiz.*

IV. Dispositiones autem ad ordines licite suscipiendos necessariae sunt haec. 1.° Vo-

1.° Vocatio, ex aeterna Dei praedestinatione. Ait enim Apostolus *Heb. V.* 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret etc.* Sine hac vocatione ordinatus gratia congrua ad sacra munia obuenda ordinarie carebit.

2.° Status gratiae sanctificantis, cum Ordo sit e sacramentis vivorum.

3. Confirmatio ante primam Tonsuram, et prima Tonsura ante minores ordines ex Tridentino *Sess. XXIII. De Ref. Cap.* 4.

4.° *Titulus* vel beneficii, vel patrimonii, vel pensionis, de quo supra diximus.

5.° *Aetas* legitima, quae in Sacerdotio esse debet annus vicesimus quintus jam inceptus, in Diaconatu annus vicesimus tertius, in Subdiaconatus vicesimus secundus.

6.° Tempus in Jure Canonico definitum ad ordinationem, nempe ad ordines sacros Sabatum aliquod *Quatuor temporum*, aut Sabatum ante Dominicam Passionis, aut Sabatum Sanctum, ad minores ordines qui libet Dominicus, aut festus dies.

7.° Annua interstitia inter Acolythatum, et subdiaconatum, et inter omnes Sacros ordines, nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat ex Tridentino *Sess. XIII. Cap.* 11. 13. et 14. (*a*).

8.° Ut nemo ad ordinem aliquem promoveatur, nisi prius suscepto ordine proximo inferiori, seu ut ordinatio non fiat *per saltum*, qua in caussa ordinatus *ipso facto* ab exercitio ordinis sic suscepti suspensus est ex *Cap. Tuae Litterae de Cleric. per salt. prom.*

9.° Ut ordinandus nulla sit irretitus irregularitate. Sed in primis magna ejus sanctitas esse debet, qui ad alios sanctificandos sacris ordinibus initiatur.

(a) A diaconatu ad presbyteratum, ut in annuo interstitio dispensetur, necessitatem simul, et utilitatem Ecclesiae Concilium requirit.

(b) Vide quae de vocatione, statu, et officiis clericorum diximus *Lib. XII.* in *Tomo VIII.* quem nuper edidimus.

C A P. VI.

De ordinis effectibus.

Effectus ordinationis duo sunt, gratia, et character. Gratiam quidem sanctificantem non primam, qualis est quae confertur per sacramenta *mortuorum*, sed *secundam*, nempe gratiae augmentum tribui per ordinationem, ostenditur eisdem argumentis, quibus supra ordinem sacramentum esse demonstravimus. Gratia autem haec non est quodcumque gratiae incrementum, sed gratiae plenitudo, seu gratiae excellens, ut loquitus *S. Thomas*, qua homo repente mutatus in virum alium, sicut excellit potestate, sic sanctitate supereminicat, si tamen recte dispositus ad sacramentum suscipiendum accedat.

Porro praeter gratiam sanctificantem datur etiam in ordinatione potestas sacramenta conficiendi, ac ministraudi, et gratia *sacramentalis*, seu jus quoddam ad auxilia actualia, quibus ordinis munia recte, et cum fructu exerceantur, si tamen permaneat quis in gratia sanctificante; cui gratia sacramentalis innititur. Characterem quoque per ordinationem imprimi, demonstravimus supra, agentes de Sacramentis in genere. Hinc Concilium Tridentinum *Sess. XIII. De Ord. can. 4. Si quis dixerit, per sacram ordinationem . . . non imprimi characterum, vel eum qui semel Sacerdos fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.* Haec tamen intelligenda sunt de iis ordinibus qui vere sacramenta sunt.

C A P. VII.

De irregularitatibus.

Quoniam supra monuimus, unam ex dispositionibus ad ordines suscipiendos eam esse, ut quis nulla sit irretitus irregularitate, necesse est, ut quid irregularitas sit, explicemus, quod hic quatuor absolvemus articulis. 1.° de irregularitate generatim. 2.° de irregularitatibus ex delicto. 3.° de irregularitatibus ex defectu. 4.° de cessatione, et dispensatione irregularitatis.

§. I.

De irregularitate generatim.

Irregularitas est impedimentum *canonicum*, seu canonibus constitutum, quo vir baptizatus directe redditur inhabilis ad ordines licite suscipiendos, et beneficia Ecclesiastica. et ad eorum functiones exercendas; quae definitio si recte intelligatur, ac teneatur, ad multas hac in re difficultates enodandas valet.

Dicitur ergo 1.° *impedimentum*, ut significetur, irregularitatem non esse poenam, ideoque contrarhi posse sine culpa, ut sunt irregularitates ex defectu aliquo, qui culpa caret; atque etiam dimissa culpa, permanere.

2.° *Canonicum*, seu jure Canonico, non naturali, aut divino constitutum, quia nulla est irregularitas, nisi in jure expressa habeatur: neque valet ad irregularitatem inducendam argumentatio *a simili*, vel *a majori*; imo nec ab homine potest alicui irregularitas irrogari, sed a jure tantum *Cap. Is qui*: *De Sent. Excom. in* 6.

3.° *Quo vir baptizatus*; mulier enim incapax est ordinis, infidelis vero legibus Ecclesiae non est subjectus, ideoque nec proprie irregularis est. Quod si baptizetur, quidquid ante deliquerit, irregularem eum non facit.

4.° *Directe redditur inhabilis*, ut distinguatur irre-

gularitas a censuris, nempe ab excommunicatione, suspensione, et interdicto, per quas potest aliquis indirecte a susceptione ordinum impediri.

5.° *Redditur inhabilis*; ut significetur, ante omnem judicis sententiam, etsi causa occulta sit, contrahi irregularitatem.

6.° *Ad ordines*, quo nomine venit etiam prima Tonsura, quae latiori significatione in Jure Canonico vocatur *ordo*.

7.° *Ad ordines licite suscipiendos*, quia etiam irregularis *valide* ordinatur.

8.° *Et ad beneficia Ecclesiastica.* Unde qui in irregularitate beneficium accepit, retinere non potest, nec fructus lucrari. Qui vero post acceptum beneficium evadit irregularis, non ipso jure illud amittit, sed eo spoliandus est sententia judicis *Cap.* 1.° *De Excess. Praelat.*

9.° *Nec non ad eorum functiones exercendas*, quia qui ordine initiari non potest, nec ejus munia potest obire, ut in variis Canonibus declaratum est.

II. Quoniam autem irregularitas non contrahitur, nisi in jure canonico expressa sit; quaerunt Theologi, utrum in dubio quis irregularis censendus sit. Qua in re distinguendum est inter dubium *juris*, et *facti*. Si jus seu lex dubia sit, non est quis ob eam rem irregularis censendus, ut cum *Navarro* passim Canonistae docent urgentes verba laudati *Cap. Is qui. De Sent. Excom. in 6.* Si vero jus, sive lex certa sit, et de facto tantum ambigatur; ut si dubitatur, an revera quis homicidium fecerit, tunc debet ut irregularis haberi, non solum ubi agitur de dubitatione homicidii, ut censent Suarez, aliique, sed in quacumque probabili dubitatione. De dubitatione admissi homicidii id conceptis verbis statuitur in *Cap. Ad audientiam De Homic. volunt. Cap. Significasti. Eod. tit.* Sed quia Pontifices generatim pronuntiant: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem*, hinc sequitur, etiam in aliis factis dubiis, quando lex certa est, debere hominem ut irregularem haberi.

III. Quamvis autem irregularis functiones ordinis obire prohibeatur, si tamen eas exerceat, peccat quidem graviter, sed quia hoc peccatum nulla poena, aut no-

va

va irregularitate per Jus canonicum plectitur; ideo qui sic temere ordinis functiones obire audet, nulli poenae, aut irregularitati existimandus est obnoxius.

VI. Dividitur autem irregularitas 1.° *in totalem, partialem, et temporalem.* Totalis irregularitas est, quae ab omnibus omnino ordinibus, et eorum functionibus arcet, ut est *ex. gr.* irregularitas ex homicidio. *Partialis* est, quae ab aliquo tantum ordine suscipiendo arcet, vel ab aliqua dumtaxat ordinis jam suscepti functione. Sic caecitas in sinistro oculo a Presbyteratu dumtaxat prohibet, et si ei, qui jam Presbyteratu initiatus est, superveniat, prohibet dumtaxat a celebratione missae. *Temporalis* denique est, quae ad certum usque tempus ab ordinibus arcet, ut minor aetas.

V. Rursus dividitur 2.° irregularitas in eam, quae est ex delicto, et eam, quae est ex defectu, etiam sine culpa.

§. II.

De irregularitatibus ex delicto.

I. Irregularitates ex delicto sunt, quae ob aliquam gravem culpam opere externo consummatam contrahuntur, etsi reus omnino ignoret, crimini illi irregularitatem esse adjunctam. Sunt autem ex delicto irregularitates quatuor; prima ex haeresi, vel apostasia; altera ex itetatione baptismi: tertia ex illicita susceptione, vel usu ordinis; quarta ex homicidio, mutilatione, et abortu. Quae singillatim explicandae sunt.

II. Sunt ergo propter haeresim irregulares 1.° ii, qui haeresim mente conceptam ore, vel signo profeferunt; 2.° eorum fautores, receptores, et filii usque ad secundam generationem ex linea paterna, et ad primam generationem ex materna linea: ex *Cap. Quicumque* 25. *De Haeres. in 6.* Idem decernitur de Apostatis a fide in *Can. Presbyteros Dist. V.* Haec tamen irregolaritas non ubique viget quoad eos, qui ab haeresi, vel apostasia in sinum Ecclesiae redeunt.

III. Ex ita ratione Baptismi, non vero confirmationis, et Ordinis, irregulares sunt Rebaptizantes, et rebapti-

zati. Rebaptizantes quidem ex *Cap. Ex litterarum De Apostatis*: Rebaptizati vero ex *Can. Confirmando Dist. I.* Si quis tamen sub conditione rebaptizet, irregularis non est, si dubitatio collati baptismi gravis sit; ut vulgo omnes Theologi, et Canonistae docent; quia non vult ille iterare datum, sed dare Baptismum, si forte datum non fuerit. Sed si dubitatio tam levis sit, ut nulla viro prudenti appareat dubitandi ratio, non desunt Theologi, qui docent, tunc sub conditione rebaptizantem irregularitatem contrahere; quod tamen probabilius alii negant, eo quod irregularitas haec a jure iis est imposita, qui rebaptizare audent: at qui sub conditione baptizat animum rebaptizandi non habet

IV. Ex illicita susceptione ordinis irregulares sunt 1.° Qui furtive, idest non approbatus ad ordinem suscipiendum irrepit *Cap. Veniens De eo, qui furtive.* 2.° Qui post contractum matrimonium etiam non consummatum invita uxore ordinatur *Extrav. Antiquae De voto.* 3.° Qui ordinatur *per saltum Cap. Tuae litterae De Cleric. per salt. prom.* 4.° Qui ordines suscipit ab Episcopo jurisdictionem non habente *Cap. Requisivit De Ordinatis ab Episc. non habente* etc.

Propter illicitum vero usum ordinis irregularis est 1.° Qui majori excommunicatione, suspensione, aut interdicto ligatus functiones exercet sacri ordinis, quo initiatus est *Cap. Si quis Presbyter de Cleric. Excom. ministrant.* Unde concludunt Canonistae nonnulli Presbyterum, qui in ipsa ordinatione cum Episcopo concelebrat, item Diaconum, qui Evangelium, et Subdiaconum, qui Epistolam sollemniter legit, in ipsa ordinatione fieri irregulares. 2.° Qui exercet functiones sacri ordinis quo initiatus non est *Cap. Si quis De Clerico non ordinato ministr.* Excipiunt eum, qui Subdiaconi ministerium sine manipulo exercet. 3.° Qui sciens celebrat in loco interdicto, non autem qui celebrat in Ecclesia polluta (licet hic quoque graviter peccet) *Cap. Is qui; De Sent. Excom. in* 6.

V. Denique ob homicidium, mutilationem, et abortum incurrunt irregularitatem, qui homicidium, mutilationem, et abortum perpetrant, mandantes, consulentes, cooperantes, non impedientes cum ex justitia

re-

tenentur, ut constat ex toto Decretalium Titulo *De Homicidio*

Sed observandum est, ex homicidio mere casuali irregularitatem non contrahi, cum omnis adhibita diligentia est, nisi quis rei illicitae vacans casu hominem occiderit. *Cap. Quidam de Homic.* Idem dicas de eo, qui injustum adgressorem cum moderamine *inculpatae tutelae* interficit *Clementina Si furiosus De Homic.* Quod si rei licitae det operam, sed non omnem adhibeat diligentiam, irregularis est *Cap. Presbyterum de Homic.* Debet autem indiligentia illa esse gravis; ut recte infertur *Cap. Quaesitum de Poenit. et remis.* Ceterum Concilium Tridentinum *Sess. XIV. Cap.* 7. decrevit, ut etiam in casuali homicidio dispensatio a Summo Pontifice petatur, qui Ordinario, vel Metropolitano, vel viciniori, Episcopo committat, ut causa cognita dispenset. Hanc irregularitatem pueri ante septennium non contrahunt.

§. III.

De irregularitatibus ex defectu.

Sunt nonnulli defectus, qui quamvis culpa careant, efficiunt tamen, ut non deceat, hominem illis maculatum ministrare. Sunt autem octo, nempe defectus animae, corporis, natalium, famae, aetatis, Sacramenti, lenitatis, et libertatis, de quibus singillatim agendum est.

Defectus animae.

Triplex animi defectus irregularem facit, defectus nempe usus rationis, scientiae, et fidei confirmatae. 1.° ex defectu usus rationis irregulares sunt amentes, furiosi, energumeni, et epileptici, qui quoniam raro perfecte sanantur, in perpetuum ab ordinibus arceantur *Cap. Maritum, et Cap. Communiter Dist. XXXIII.* nisi epilepsis ante pubertatem acciderit (haec enim sanari solet, crescete aetate; ut ex *Hippocrate* notat *Cabassutius*). Sed si defectus isti Clericis jam rite ordinatis supervenerint, ab ordinum exercitio prohibentur, nisi

per

per annum integrum ab eis liberati fuerint; *Cit. Cap. communiter.*

2.° Qui scientiam ad ordines requisitam nec habent, nec comparare possunt, ii defectu scientiae irregulares habendi sunt *Cap. Illiteratos Dist. XXXVI.*

3.° Tandem ex defectu fidei confirmatae ab ordinibus prohibentur *Neophyti*, seu recens ab infidelitate conversi, ac baptizati *Can Quoniam multa Dist. XLVIII.* ne in superbiam elati in judicium incidant diaboli; et filii haereticorum *Cap. Quicumque De Haeres.* licet isti, imo et haeretici ipsi ad Ecclesiam venientes non ubique habeantur irregulares.

Defectus corporis.

Ex defectu corporis irregulares sunt, qui tali laborant vitio, quod functiones ordinis vel omnino impediat, vel reddat indecoras, aut ipsum ministrum ita faciunt deformem, ut scandalum, vel horrorem, vel contemptum creent; qua de re Episcopi erit judicare *Cap. Significavit de Corp. vitiat.*

Priori ex capite irregulares sunt caeci, surdi; qui carent manu, vel etiam digito indice, vel pollice; abstemii. Isti enim munia ordinis Presbyteralis, ad quem minores ordines tamquam gradus ducunt, exercere non possunt.

Ex altero capite ab ordinibus arcentur qui carent oculo sinistro (non enim legere possunt Canonem missae, nisi indecore ad populum versa facie, item ii, quibus alteruter oculus est erutus *Cap. Thomas De Corp. vitiat. Cap. Evangelicam Dist. LV.* Praeterea gibbosi, gigantes, pigmaei, aethyopes (in regionibus in quibus hominum facies alba est) nisi tales facti sint ob infirmitatem, vel injustam violentiam (*Cap. Ex parte De Corp. vitiat.*

Defectus natalium, et famae.

Irregulares sunt ex defectu natalium filii illegitimi, sive spurii, sive naturales, etsi occulti *Cap. 1. et 2. De Fil. Presbyt.* Excipiuntur ii, qui illegitime nati postea per sub-

Digitized by Google

subsequens matrimonium legitimi facti sunt *Cap. Tanta. Qui filii sint legit.* vel qui nati sunt ex matrimonio invalido quidem propter dirimens impedimentum, sed tamen bona fide saltem unius conjugis coram Ecclesia inito *Cap. Cum inter*: *Qui filii sint legit.*

Ex defectu autem famae ab ordinibus arcentur omnes, qui laborant infamia *juris*, vel *facti Can. Infames Caus. VI. Q. I.* Infamia juris est poena a jure inflicta vel ob crimen, vel ob artem apud viros honestos infamem, cujusmodi est ars mimica, histrionica.

Infamia vero facti oritur ex crimine quocumque, quod graviter famam laedat, vel ex infami poena a judice propter crimen inflicta, qualis est fustigatio, damnatio ad triemes etc.

Defectus aetatis, et sacramenti.

Illi sunt defectu aetatis irregulares, qui ad aetatem a Canonibus ad ordines suscipiendos statutam nondum pervenerunt; qualis est annus vicesimus secundus in subdiaconatu, vicesimus tertius in Diaconatu, vicesimus quintus in Presbyteratu, tricesimus in Episcopatu.

Defectu autem Sacramenti irregulares sunt bigami, etiamsi bigamia baptismum praecesserit *Cap. Deinde Dist. XXVI.* eo quod non perfecte repraesentant sacramentum unionis Christi, et Ecclesiae. Bigamia porro triplex est *vera*, *interpretativa*, *et similitudinaria.* Vera bigamia est matrimonium cum duabus successive contractum, et consummatum *Cap. Debitum De Bigamis non ordin.* Interpretativa est matrimonium contractum cum vidua, aut corrupta *Can. 9. Dist. XXXIV.* vel propriam uxorem post ejus adulterium cognoscere *Can. II. Ead. dist.* vel post mortem primae uxoris alterum contrahere matrimonium, licet irritum propter dirimens impedimentum *Cap. Nuper De Bigam. non ordin.* Tandem *similitudinaria* est matrimonium etiam cum virgine irrite contractum ab eo, qui votum sollemne castitatis in Religione approbata emiserat, vel sacro ordine fuerat initiatus *Can. Quotquot Caus. XVII. Q. I.*

Re-

Defectus lenitatis, ac libertatis,

Quoniam ministri Christi illius mansuetudinem praeseferre debent, merito Ecclesia a sacris ordinibus repulit eos, qui defectu lenitatis laborant; hoc est eos, qui ad hominis necem, vel mutilationem quamvis injustam voluntarie, et proxime concurrunt. Tales sunt, 1.° qui reum judicio sanguinis accusant, aut alias ad accusandum inducunt, item testes, Judex, Notarius, Carnifex, omnesque ii, qui operam suam in executione sententiae praestant *Cap. Sententiam Ne Clerici, vel Monachi.* 2.° Qui in bello justo propria manu occidit, vel mutilat *Cap. Petitio De Homic. volunt.* vel in bello injusto militat, in quo aliquis hostium occiditur, vel mutilatur, etsi ipse propria manu neminem laedat. 3.° Qui data opera mortem alterius accelerat, effectu tamen secuto *Clement. un De Homic.*

Sed quoniam ad irregularitatem hanc contrahendam voluntaria, et proxima debet esse *cooperatio* ad necem, vel mutilationem, hinc sequitur, irregulares non esse 1.° spectatores supplicii reorum, licet Clericos tristi huic spectaculo adesse non deceat, nisi ad reum spiritualibus adjumentis confortandum. 2.° Principes, qui leges ferunt capitales, et Episcopos, qui Clericum degradatum Judici tradunt seculari, praefati, nolle se poenam sanguinis. 3.° Clericos, qui ad repetendas res suas, vel reparandam injuriam accusant, similiter protestantes, se nolle sanguinis poenam *Cap. Praelatis. De Homic.* 4.° Cum eadem protestatione Clericos, qui legibus Regni ad testimonium ferendum, praecedente Curiae Episcopalis venia *servatis servandis*, compelluntur. 5.° Medicos, vel Chirurgos juxta regulas artis consulentes, vel mutilantes, nisi gravi eorum culpa aegrotus intereat *Cap. Significasti. De Homic.* 6.° Qui infirmum versando, vel transferendo, involuntarie mortem accelerant. 7.° Qui injustum invasorem cum moderamine inculpatae tutelae occidunt *Clem. si furiosus De Homic.*

Tandem defectu libertatis irregulares sunt 1.° servi, non qui apud nos serviunt mercede conducti, sed qui vere in jure servi appellantur *Tit. de Servis non ordin.*

2.°

2.° Conjugati *Cap. Uxoratus*: *De Conjun. uxorat.* 3.° Curiales, seu ministeriis publicis addicti *Cap. Designasa Dist. LI.* 4.° Obligati ad ratiocinia, ut Thesaurarii, Tutores, Procuratores donec rationes reddertnt *Cap. Un. De obligatis ad ratioc.* Excipiuntur tamen Procuratores Causarum piarum, Ecclesiasticorum, et personarum miserabilium *Can. Pervenit Dist. LXXXVI.*

§. IV.

De Cessatione, et Dispensatione ab irregularitate.

Irregularitas vel cessat ipsa per se, vel per dispensationem tollitur. Cessat ipsa per se irregularitas, quando temporalis est, vel conditionalis, veniente tempore, vel posita conditione. Hinc 1.° irregularitas ex defectu aetatis cessat, legitima aetate adveniente. 2.° quae est ex defectu natalium, cessat per subsequens matrimonium, per legitimationem Pontificiam, et per professionem religiosam (quoad ordines tantum *Cap. Ut filii, De Filiis Presb.*). 3.° irregularitas ex defectu libertatis, recuperata libertate; quaeque est ex defectu scientiae, comparata scientia, cessant.

Dispensare autem in irregularitatibus potest primo Summus Pontifex, deinde Episcopus in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, execpta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, ut statuit Tridentinum *Sess. XXIV. Cap.* 6. *De Ref.* Dixi autem *ex delicto*; nam in irregularitatibus, quae ex defectu oriuntur, dispensare non potest Episcopus, excepta bigamia *similitudinaria*, et defectu natalium, quoad minores ordines tantum, et beneficia simplicia, quae ordinem sacrum non requirunt *Cap. Is qui. De Fil. Presb. in* 6.

Haec autem, quae de Sacramento ordinis strictius prosecuti sumus, propterea quod solent adolescentes, quorum commodis, studemus, cum ordinibus initiandi sunt, ea in peculiaribus Institutionibus accipere, eruditissime pertractata sunt a *Jo: Morino* in Opere *De Sacris ordinationibus.* Multa etiam de iis habent *Goarius, Me-*

Menardus, Martene, Thomassinus. Petrus Collet in septimo Volumine, quod totum est de Sacramento Ordinis, hoc argumentum plene, quantum sufficit, ac pro rei dignitate tractavit.

PARS VIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Ut essemus in hac parte breviores, ipsa rerum nos coegit et copia, et difficultas. Tot enim agitantur controversiae, ut quantumvis nostra se extendat oratio, multa tamen necessario praetermittenda sint, quae a Juris civilis, et Canonici consultis, qui hanc materiam ex professo versant, adolescentes cum et ratio, et aetas, et officium postulabit, debeant accipere. Ea igitur, quae turpe esset ignorare theologum, dumtaxat delibabimus.

CAP. I.

De essentia, et proprietatibus matrimonii, prout est contractus.

Adv. I. Quoniam in matrimonio contractus est ad Sacramenti rationem a Christo elevatus, de contractu primum, deinde de Sacramento dicendum est.

II. Hujus autem contractus definitio est: *Viri, et mulieris mutuo consensu inita maritalis conjunctio inter legitimas personas individuam retinens vitae consuetudinem.*

III. Consensus autem non modo verus, et interior esse debet (sine consensu enim voluntatis nullus potest constare contractus); verum etiam exterioribus signis proditus. Non pertinet tamen ad ejus consensus essentiam, ut non possit pari consensu servata virginitate esse, vocarique conjugium, ut *Augustinus* aliique Patres advertunt.

IV. Esse Deum matrimonii auctorem, Manichaei negaverunt, quos redarguit Christus *Matth. XIX.* dicens: *Quod Deus conjunxit homo non separet*; patetque ex

ex multis non solum veteris, quod Manichaei respuebant, sed etiam novi Testamenti locis.

V. Ejus autem proprietates hic expendendae duae sunt, unitas, et *indissolubilitas.*

PROPOSITIO I.

Polygamia simultanea jure divino prohibita est in Evangelio. Est dogma fidei.

Prob. Christus in Evangelio matrimonium ad primaevam sui institutionem revocavit *Matth. XIX.* in qua ejus unitas clare expressa est iis verbis: *Masculum, et feminam fecit eos*, Et *Luc. XVI.* duo simul definite pronunciat: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, moechatur.* Quod et ex perpetua Ecclesiae traditione manifestum est, ut merito Tridentinum *Sess. XXIV. can.* 2 anathemate damnaverit eos, qui contra sentirent, Lutheranos scilicet illos, qui Philippo Hassiae Landgravio veniam dederant duas simul uxores habendi.

Scholion.

I. Non est tamen aeque exploratum inter Theologos, utrum simultanea polygamia jure etiam naturali vetita sit. Nonnulli enim id negant propter exempla, quae sub lege Mosaica legimus, ideoque concludunt, infideles, qui nihil de Evangelio audire potuerunt, ea in re non peccare. Alii vero affirmant; eo quod Christus naturalem legem in Evangelio sanxerit, excusant autem veterum exempla propter temporis circumstantias, in quibus volunt; non fuisse simultaneam polygamiam contra naturae legem. Alii denique volunt, eam esse non contra finem matrimonii primarium, sed secundarium, pacem scilicet, et concordiam familiae.

II. Polygamia vero successiva nec naturali, nec positivo jure vetita est, ut contra Montanistas docet Ecclesia ex Apostolo *I. Cor. VII.* et perpetua traditione, licet propter quandam incontinentiae notam, qui secunda nupserint, irregulares sint, eisque Concilium Neocae-

sa-

tariense poenitentiam imponat: nec Sacerdoti liceat secundas nuptias benedicere.

PROPOSITIO II.

Matrimonium indissolubile est quoad vinculum jure tum divino, tum naturali.

Prob. 1a. *pars.* Christus Pharisaeis de divortio interrogantibus absolute respondet *Matth. XIX.* 6 *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et Apostolus *I. Cor. VII.* 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit.* Ergo etc.

Prob. 2a. *pars.* 1.° ex ipsis Christi verbis, quae naturalem legem videntur explicare. 2.° ex fine matrimonii, qui est sancta prolis educatio, quae in incerto, ac solubili matrimonio haberi non potest; ex quo etiam familiarum, ac reipublicae perturbatio ortum habet Ergo etc.

Objectiones.

Objic. I. Judaeis ex lege Moscica permissum erat divortium, sive *repudii libellus* Ergo etc.

℟. *Dist. ant.* Ob eorum cordis duritiam, *conc.* Secus, *neg.* Tolerabat igitur hoc lex, ut levius malum, ut ipse Christus Pharisaeis respondet *Matth. XIX.* 8. *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras: ab initio autem* (seu jure naturae) *non fuit sic.*

Inst. Ipse Christus in laudato *Matthaei* loco causam excipit fornicationis. Ait enim; *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Ex quibus verbis Graeci putant matrimonium, etiam quoad vinculum, in causa fornicationis, seu adulterii dissolvi posse, nec eorum sententiam Concilium Tridentinum damnare voluit. Ergo,

℟. *Dist. ant* Christus causam excipit fornicationis, ut separetio fiat quoad habitationem, *conc.* Quoad vinculum, *neg.* Duas enim sententia Christi partes habet. In prima; *Quicumque dimiserit uxorem suam*, exceptionem ad-

adjicit, *nisi ob fornicationem*: in altera, in qua ait, *et Alteram duxerit*, sine ullo discrimine, aut exceptione pronunciat, *moechatur.* Quod autem Tridentinum prudenti oeconomia propter Graecos, qui Venetae Reipublicae subjecti erant, noluit rem definire, nihil aliud probat, nisi non esse dogma fidei, quod in causa adulterii non sit matrimonium quoad vinculum dissolubile; nam excepta hac causa, dogma fidei est.

Objic. II Matrimonium ratum, et non consummatum intra duos menses per religiosam professionem dissolvitur, etiam altero conjuge invito. Ergo.

℞. *Neg. cons.* Cum ea lex sit, ut ante duos menses possit quis, etiam post ratum, sed non consummatum matrimonium religiosam vitam profiteri, in mutuo consensu, quo matrimonio contrahitur, haec tacita conditio est, nisi alter infra duos menses ante matrimonium consummatum religiosam vitam profiteri velit.

Scholion.

Diximus, indissolubile esse matrimonium *quoad vinculum*, nam quoad habitationem pluribus de caussis dissolvi posse, ceterum est, 1.° Propter unius adulterium ex laudata Christi sententia *Matth. XIX.* Nam si uterque peccavit, non licet, *Cap. Significasti: De divortiis*, aut si alter alterius adulterium sciens, habitare cum eo utique perrexit *Can. Benedictio Caus. XXXIII. Quaest.* 1. 2.° Propter alterius lapsum in haeresim, aut apostasiam *Cap. De illa: De divortiis.* 3.° Si alter alterum ad peccatum mortale etiam monitus provocare non cesset, *Cap. Quaesivit De Divort*, 4.° Propter alterius saevitiam, aut furorem *Cap. Litteras. De restit. Spoliat.* De his vide Canonistas.

CAP.

C A P. II.

De sollemnitatibus hujus contractus.

Sollemnitates contractus matrimonii quatuor sunt, I. sponsalia, proclamationes, parentum consensus, praesentia parochi, et testium, de quibus hic pauca dicenda sunt.

II. Sponsalia etiam jurejurando confirmata, multis dissolvuntur ex causis. 1.° ex mutuo partium consensu. 2.° per absentiam unius diuturnam, qualis censetur esse bienium. 3.° per ingressum in Religionem. 4.° per unius fornicationem, id tamen in partis innocentis favorem. 5.° per superveniens affinitatis impedimentum. 6.° per ordinis sacri susceptionem. 7.° per supervenientem infirmitatem gravem, atque perseverantem, sive deformitatem 8.° per graves post sponsalia subortas inimicitias; de quibus fusius agunt Cabassutius, Collet, aliique Theologi, et Canonistae.

III. Proclamationes tribus continuis diebus festis fieri debent in contrahentium Parochia; et si diversas inhabitent parochias, in utraque; idque ex constitutione Concilii Lateranensis IV. sub Innocentio III. et Tridentini *Sess. XXIV. De Ref. Cap.* 3. Quod praeceptum violantes graviter peccant; non tamen irritum erit, praetermissis proclamationibus, matrimonium. Debent autem illae iterari, si duobus exactis post proclamationes mensibus, matrimonium non fuerit celebratum, ut *Rituale Rom. jubet.* Potest denique Episcopus justa de causa in iis dispensare ex Tridentino.

IV. Consensus parentum ita est necessarius, ut sine eo matrimonium illicitum sit; non tamen invalidum, ubi Tridentinum concilium promulgatum est. In aliis regionibus disputant Theologi, utrum ex principum legibus invalidum sit, saltem quoad effectus civiles, quod ad nos non pertinet. Vide Collet.

V. At praesentia Parochi, alteriusve Sacerdotis ex Parochii venia, et duorum saltem testium, ex Concilio Trdentino *Sess. XXXIV. De Ref. Cap* 1. ita necessaria est, ut sine ea matrimonium clandestinum censeatur, at-

atque irritum in locis, in quibus Tridentinum promulgatum e.t.

CAP. III.

De impedimentis.

I. Duplicis sunt impedimenta generis; alia scilicet dirimentia, quae non solum matrimonium faciendum impediunt, verum etiam irritum faciunt, ac dirimunt; alia vero impedientia, quae licet illud impediant propter legitimi superioris praeceptum, sed irritum non efficiunt.

II. Posse Ecclesiam impedimenta utriusque generis matrimonio apponere, ex prescriptione perspicuum est, cum contractus hic ad rationem, et dignitatem Sacramenti a Christo elevatus sit, ideoque Ecclesiae administrationi concreditus. Ex quo efficitur, ut Ecclesia, sive Romanus Pontifex Ecclesiae caput dispensare possit in impedimentis iis, quae jure humano constituta sunt. Potest tamen Episcopus quatuor ex caussis dispensare. 1.° Si matrimonium bona fide contractum, et consummatum fuerit, impedimentum vero occultum, ac separatio scandalum pariat, aut partes ita pauperes, ut ad S. Pontificem mittere non valeant. 2.° Si matrimonium contrahendum sit, et occultum adest impedimentum affinitatis ex fornicatione, per sacramentalem confessionem cognita, nec differri sine scandalo matrimonium possit. 3.° Si impedimentum non sit dirimens, sed impediens, modo non oriatur ex voto perpetuae castitatis, aut religionis profitendae. 4.° Si impedimentum matrimonio superveniat, illicitum reddens matrimonii usum. Vide de dispensationibus istis Canonistas, qui fusius de hoc argumento pertractarunt.

III. Dirimentia impedimenta his versibus comprehenduntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.

1.° *Error* est, vel circa personam, vel circa qualitates. Circa personam est, quando una persona accipitur,

tur, vel obruditur pro alia, ut Lia pro Rachele: et sic dirimit matrimonium, quia excludit consensum. Circa qualitates contra, quando creditur, aliquem esse divitem, nobilem etc. cum tamen non sit, et hic cum non excludat consensum, non dirimit matrimonium *Gratian.* Caus. 29. Q. I. nisi qualitas illa praecipuum, ac principale consensus objectum, ac veluti conditio fuerit, ut ex S. Thoma *Suppl.* 3. *p.* *Q.* *LI.* *art.* 2. Theologi docent.

2.° *Conditio* servilis, prout in Jure sumitur, dirimit matrimonium cum persona libera, quatenus tamen intercedat ignorantia, et injuria, nempe ignota fuerit conditio servilis, nec persona libera cesserit juri suo.

3.° *Votum* castitatis perpetuae, si fuerit sollemne; hoc est emissum in sollemni professione Religionis ab Ecclesia approbatae, dirimit matrimonium; non vero si fuerit simplex, licet vero id reddat illicitum.

4.° *Cognatio* est, vel spiritualis, vel legalis, vel naturalis. Spiritualis est adfinitas quaedam orta ex Baptismo, vel Confirmatione, quae intercedit inter susceptores, et susceptum, ejusque parentes; item inter Ministrum eorum Sacramentorum, et ea suscipientem ejusque parentes. Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione consurgens, quae nectit adoptantem cum adoptato, ejusque uxore, et posteris usque ad quartum gradum; item adoptatum cum uxore, et filiis adoptantis. Haec duplex cognatio dirimit matrimonium inter personas commemoratas.

Cognatio naturalis, alio nomine consaguinatis, est conjuctio personarum ab eodem stipite per propagationem descendentium. Stipes autem est persona illa, a qua propago originem ducit. Distantia personarum cognatarum a stipite, *gradus cognationis* appellatur. Ad numerandos gradus cognationis, duplex linea consideranda venit, recta scilicet, et collateralis, seu transversa.

Linea recta est ordinata series personarum unius ab altera, descendentium; ut pater, filius, nepos, pronepos: vel ascendendo, pater, avus, proavus, abavus, atavus etc. In ea tot numerantur gradus, quot sunt generationes. Sic pater, et filius sunt in primo gradu; avus et nepos in secundo etc. Li-

Linea transversa, vel collateralis est comparatio cognatorum inter se, demto communi stipite, a quo descendunt: eaque est aequalis, si aequaliter ambae distent a communi stipite; inaequalis vero, si inaequaliter. Omissis iis, quae in Jure Civili habentur, regulas tantum Juris Canonici adferemus pro computatione graduum, nempe: In linea aequali, *quot gradibus personae cognatae distant a communi stipite, tot gradibus distant inter se*: In linea vero inaequali, *quoto gradu pessona remotior distat a communi stipite, tot gradibus personae cognatae distant inter se.*

Hisce positis, consanguinitas dirimit matrimonium in linea recta usque ad infinitum inter eas personas, quae inter se parentum, ac liberorum loco sunt; in collaterali vero in primo gradu, idque jure Naturae; Jure autem Ecclesiastico usque ad quartum gradum inclusive.

5.° *Criminis* nomine intelligitur adulterium, et homicidium. Ut autem praestent impedimentum dirimens matrimonium, aliqua ex his quatuor conditionibus concurrere debet. 1.° Si quis occidat conjugem, conspirante, vel consentiente occisi consorte, caussa matrimonium inter se contrahendi: *Cap. Laudabile, De convers. infid.* 2.° Si praecesserit adulterium cum conjuge superstite, licet in homicidium causa matrimonium contrahendi patratum non consentiente: *Cap. super haec, De eo, qui dux., uxor.* etc. 3.° Si adulterium sit commissum, accedente promissione acceptata futuri matrimonii post obitum conjugis, *Conc. Tribur. can.* 40. 4.° Si vivente legitima uxore, quis cum altera sciente matrimonium iniit, et consummavit. etiam post mortem legitimae conjugis, matrimonium cum secunda consistere nequit: *Cap. Veniens, De eo, qui duxit in matr.*

6.° *Cultus disparitas* est diversitas Religionis in contrahentibus, puta cum Baptizatus cum non baptizata matrimonium contrahit. Non enim umquam licitum fuit Israelitis in veteri, aut Christianis in nuovo foedere jungi matrimonio cum infidelibus. *Deut VII. I. Cor. VII.* et ibi Tertull. contra Marcion. *cap.* 7. et *II Cor. VI.* Hieron. contr. Jovin. *cap.* 3.

7.° *Vis* significat vel actualem vexationem, quae coactio dicitur, vel minas, quae metum gravem incuti-

 unt.

unt. Metus autem, dummodo sit gravis, et ad extorquendum consensum injuste incussus, licet voluntarium, et liberum non tollat, sed minuat, jure positivo irritat matrimonium, *Cap. Veniens*, et *Cap. Consultationis*: *De Sponsal.*

8.° *Ordo* Sacer, quum eo initiatos reddat inhabiles ad matrimonium contrahendum, ut alias dictum est, est etiam impedimentum dirimens.

9.° *Ligamen* est vinculum matrimonii legitime contracti, licet non consummati, quod impedit, quo minus alteras nuptias persona conjugata contrahere valeat, contractasque dirimit, ne habeatur polygamia simultanea, Jure saltem divino prohibita.

10.° *Honestas publica* est impedimentum ex sponsalibus, vel ex matrimonio dumtaxat rato consurgens. Ex sponsalibus non excedit primum gradum: ex matrimonio rato profertur usque ad quartum gradum.

11.° *Amens*; quia mentecaptus non est capax consensus; et ideo matrimonium contrahere nequit.

12.° *Affinitas* est necessitudo quaedam inter unum conjugum, et alterius familiam intercedens. Cumque conjunctio duorum possit esse, vel licita, idest per legitimum matrimonium; vel illicita, nempe per fornicationem: ideo duplex oritur affinitas, quarum prima dirimit matrimonium in linea collaterali usque ad quartum gradum; secunda vero ultra secundum gradum non extenditur.

13.° *Clandestinum* dicitur matrimonium, quod non fit coram proprio Parocho, aut de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, coram alio Sacerdote, ac duobus testibus. Idque ut supra diximus irritum, et prorsus nullum declaratur a Tridentino *Sess. XXIV. Cap. P. De Ref.*

14.° *Impotentia* physica sive a naturali frigiditate, et debilitate, sive a maleficio, sive aliunde procedat; si absoluta ea sit, vel respectiva; dummodo perpetua, et matrimonium antecedat, illud irritat; cum obtineri non possit praecipuus matrimonii finis, prolis scilicet procreatio, *Cap. Fraternitas*: *De Frigid. et malefic.*

15.° *Raptus* tandem est personae abductio violenta, aut dolosa, ad contrahendum matrimonium. Unde raptus dividitur in violentum, et fraudulentum. Uterque dirimit matrimonium, donec mulier a potestate rapto-

Digitized by Google

ri exemta, et in loco tuto constituta, libere in matrimonium consenserit. Conc. Trid. *Sess. XXIV. Cap.* 6. *de Reform.*

IV. Impedientia vero impedimenta sunt haec: *Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.*

1.° *Ecclesiae vetitum* significat prohibitionem ab Episcopo, vel Parocho ex justa, et rationabili causa alicui factam, ne contrahat, donec a Judice competente causa discutiatur.

2.° *Tempus* denotat spatium illud temporis, quo Ecclesia Nuptiarum sollemnitas celebrari vetat; quodque ex Concilio Tridentino *Sess. XXIV. de Ref. Cap.* 1.° extenditur ab Adventu usque in diem Epiphaniae, et a feria IV. Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusivé.

3.° *Sponsalia* valide cum una persona contracta graviter illicitum reddunt matrimonium cum alia, nisi prius rite fuerint dissoluta.

4.° Denique *votum* simplex castitatis, vel religionis: item votum Sacros Ordines suscipiendi, vel numquam nubendi obstant, quominus matrimonium licite ineatur.

Quorum quidem impedimentorum rationem tirones, plenamque notitiam accipient uberius non solum ex Theologis; verum etiam ex Canonistis. cum ista scire ad eorum officium pertinebit. Nobis sufficiet, ea notasse, brevique sermone explicasse. (*a*).

C A P. V.

De matrimonio prout est Sacramentum.

Adv. LUtherani, Calvinistae, Sociniani, aliique haeretici, matrimonium sacramentum esse negant, nisi forte improprie; quo sensu verba Apostoli Ephes. V, 32. *Sacramentum hoc magnum est*, intelligenda esse volunt.

(a) Vide quae de impedimentis Matrimonii fusius diximus in peculiari *Dissertatione Tomo VIII.* harum Institutionum, post *Lib. XII.*

PROPOSITIO

Matrimonium esse verum Sacramentum, dogma fidei est.

Probatur non solum ex iis, quae generatim de septem sacramentis dicta sunt in Parte prima, verum 1.° etiam ex consensu tum Orientalis, tum occidentalis Ecclesiae, ut perspicuum est ex censura Hieremiae Patriarchae C. P. schismatici, de qua saepe mentionem fecimus, 2.° ex Patrum constanti traditione, quam *Bellarminus* fusius exponit. Certe Augustinus *Lib. De bon. conjug. Cap.* 24 matrimonium cum baptismo, atque ordinatione comparat. Innocentius I. *Epist. IX.* docet, fidelium matrimonium divina gratia fundari. Constantiense Concilium *Sess. XV.* septem recenset Sacramenta. quod et facit Eugenius in *Decreto*, inter quae septimo loco matrimonium est. Jure ergo Tridentinum *Sess. XXIV. can.* 1. contrarium haereticorum errorem anathemate perculit: *Si quis*, inquit, *dixerit, Matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem Sacramentis Evangelicae legis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

Scholion.

Quamvis inter Catholicos omnes conveniat, matrimonium esse Sacramentum; gravissima tamen inter Theologos, controversia est, quis sit ejus minister, quae materia, quae forma. In qua quidem duae sunt sententiae. Nonnulli enim cum Melchiore Cano, Estio. Sylvio, Juenino, Dugueto etc. volunt, ministrum esse Parochum, materiam ipsum contractum verbis, aut signis expressum, formam vero verba, quae secundum Ritualis praescriptum a Sacerdote proferuntur: *Ego vos conjungo in matrimonium etc.* Ex quo sequitur, nec clandestina matrimonia iis in regionibus, in quibus Tridentinum Concilium promulgatum non est, neque ea, quae cum sola Parochi, et testium prae-

praesentia celebrantur, sine ea formula a Parocho prolata, vera esse sacramenta, sed contractus tantummodo civiles. Alii vero putant, hujus Sacramenti ministros esse ipsos contrahentes, formam esse consensum verbis, aut signis expressum; materiam vero eorum corpora; quae multorum sententia Scholasticorum est. Utraque autem sententia magnis animis est inter Theologos agitata; magnosque habet patronos, rationibusque innititur non contemnendis. Nos quoniam hucusque nihil Ecclesia hac de re definivit, nec si prolixius disputemus, rem possumus ad evidentem perducere veritatem, grandiusque jam hoc volumen evasit, quam nostri instituti ratio pati videbatur, eam quaestionem libenter omittimus.

Finis Lib. VIII.

INDEX CAPITUM

cite

A. S. E.

IL CARDINALE ARCIVESCOVO DI NAPOLI

PRESIDENTE DELLA GIUNTA PERMANENTE DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Gennaro Reale Pubblico stampatore di questa fedelissima Città umilmente espone, che desidera ristampare un' opera intitolata *Institutiones Theologicae* per uso della gioventù divisa in 6. tomi dell' Autore D. Gaetano de Fulgore, perciò prega l' Eminenza Sua di accordargli un revisore, e l' avrà ut Deus.

Addì 15 *Gennaro* 1822.

Per disposizione di Sua Eminenza, il Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano avrà la compiacenza di rivedere la soprascritta opera, ed osservare se vi sia cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità, col farne rapporto in iscritto alla Giunta.

Il membro della Giunta Deputato

FERDINANDO CANONICO PANICO

ed by Google

Neapoli die 25 Januarii anni 1822.

Institutiones theologicae a viro doctissimo Cajetano de Fulgure Canonico Aversano conscriptae, et jam a prima editione mihi notae, et probatae, dignissimae sunt, quae novis typis evulgentur. Tanta enim aviditate ab adolescentibus clero adscriptis exoptantur, ut Exemplaria, quae adhuc supersunt, eorum votis sufficere non possint. Accedit doctorum hominum judicium, qui has Institutiones commendant, quum contineant sanam, et Catholicam doctrinam, accuratam theologicae scientiae discussionem, selectam propositionum seriem, quae aut ipsam Catholicam Fidem, aut in rebus non definitis saniores, probatiores, graviores sententias complectuntur. Nihil in iis extat, quod regulis morum, aut regni tranquillitati adversetur. Mihi igitur gratulor, quod expectationem publicam, quam in ipso hujus operis ortu aliquo modo familiari epistola praeoccupavi, publico judicio confirmatam viderim. Teque, Eminentissime, et Reverendissime Praesul, exoro, ut novae huic editioni libenter assentiaris.

Humillimus, addictissimus famulus

CANONICUS JOACHIM LAVITRANO

Napoli 4 Febbrajo 1822

La Giunta permanente per la Pubblica Istruzione.

Veduta la domanda di Gennaro Reale Pubblico Stampatore per dare alle stampe l' opera intitolata *Institutiones Theologicae*.

Veduto il parere del Regio Revisore Signor Canonico Lavitrano; permette che la indicata opera si stampi, ma ordina, che non si pubblichi se prima lo stesso Regio Revisore non attesti di aver nel confronto riconosciuta la impressione uniforme all' Originale approvato, e non sia eseguita la consegna ad essa Giunta delle sedici copie ordinate dal Real Decreto de' 24 Dicembre 1817.

Il Presidente = firmato

L. CARDINALE ARCIVESCOVO

Il Segretario Generale, e Membro della Giunta = firmato

ANGELO ANTONIO SCOTTI

VAI 1530080

Digitized by Google

16 A 10

Digitized by Google